UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Sacrarum Literarum Primarij Professoris Defensio Fidei Catholicæ Et Apostolicæ Adversvs Anglicanæ ...

Suárez, Francisco

Coloniae Agrippinae, 1614

Liber Qvartvs. De Immvnitate Ecclesiastica, Sev Exemtione Clericorvm A Ivrisdictione Temporalivm Principvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-93459

Visual Library

nec legislatoribus leges præscribite. Non est enim dissensionis, & confusionis Deus, sed pacis, & ordinis. Nequis igitur caput sit, qui vix, aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum est: verum quo vocatus est, in eo gradu quisque maneat, etiam si alioqui præstantiori dignus sit, plus vtique laudis habiturus ex eo, quod præsenti gradu acquieuerit, quam si eum quærat, quem non accepit. Ne quis, cum sine periculo alium sequi liceat, præire cum periculo expetat: nec obedientiæ lux, quæ tam terrena, quam cœlestia tuetur, atque conseruat, infringatur.

Quid, quæso, Rex humanissimè, à tuis subditis tam anxiè postulas, & summo iure exigis, sicut obedientiam Principi debitam? Illam Pauli sententiam in tuo libro frequenter inculcans: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: imple igitur naturalem illam legē à Christo propositam, & commendatam: *Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et quam obedientiam à subditis requiris, eam fideliter præsta illi prudēti, ac fideli dispensatori, quem Christus super omnia bona sua constituit, tibique ita præposuit, vt rationem pro anima tua redditurus sit. Quod enim Paulus fideles omnes monuit, & præcepit: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri*, non minus ad Regem, si Christianus sit, quam ad cæteros fideles pertinet. Quod si fortasse, Rex serenissime, verbis meis non dignaris attendere, audi, quæso, Bernardum ad Conradum Regem scribentem, & pro me loquentem: *Regis dedecus, regni vide diminutionem nunquam volui, violentos odit anima mea. Legi quippe, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Quam tamen sententiam cupio vos, & omnimodis moneo custodire in exhibenda reuerentia summa, & Apostolicæ Sedi, & Beati Petri successori, sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso vestro seruari imperio.* Et adiungit, quæ non minus libenter vsurpo sequentia verba.

Sunt, quæ non putaui scribenda, præsens ea fortasis opportunius intimarem.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER IV.

DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA, SEV EXEMPTIONE CLERICORVM A IVRISDICTIONE TEMPORALIVM PRINCIPVM.

DOGMATIS de Immunitate Ecclesiastica, seu de exemptione clericorum à temporalium Principum iurisdictione, veritatem sæpe in superioribus suppositimus, eamque in præsenti libro expendere, confirmare, ac defendere, tum in principio huius operis, tum in cap. 9. superioris libri promisimus, quoniam ad huius operis complementum, plenamque ad querelas, & obiectiones Regis Angliæ responsionem, necessariam esse iudicamus. Rex etenim in fine Apologiæ pro Iuramento fidelitatis, & in Præfatione ad Principes Christianos, dogma istud ex libris Bellarmini *mirabundus* (vt ipse ait) referens, non solum audaciam, & temeritatem in Cardinali, sed etiam in dogmatē ipso nouitatem affingere, & reprehendere ausus est. Et inde maximè catholicos Reges contra Pontificem excitare, ac prouocare nititur, quòd *eorum præcipuè interfit, ne quid prærogatiuis Legalibus detrahatur.* Vnde ad illos sic loquitur: *Quod si potentissimus quisq; vestrum altè, serioq; recogitet, pene tertiam populi, solique vestri partem Ecclesiæ esse dicatam: non ne quæso, illius tacturæ sensus animos vestros percutiet, quæ tantum hominum fundorumque vestro iuri subtrahat, vt vbiq; Pontifici coloniæ, prouinciæq; constituantur?* & alia prosequitur, quæ infrà referemus; nam obiectiones quasdam continent, quibus in discursu huius libri satisfaciendum est. Priùs ergo catholicum dogma de verâ libertate, seu immunitate Ecclesiastica, & clericorum exemptione iuxta veram Theologiæ, ac iuris canonici principia explanare, & diuinis testimonijs, ac rationibus pro nostra tenuitate stabilire curabimus. Deinde verò non solum Regias obiectiones, sed etiam quæ occurrerint grauiores, in medium afferemus, eisque ita, vt spero, satisfaciemus, vt locum in hoc dogmate habere constet, quod aliàs Chrysostomus dixit. *Nihil veritate clarius, nihil simplicius, nisi maligni esse velimus.* Homil. 50 in Ioan.

In præf. pag. 25.

pag. 27.

CAPVT I.

QVID NOMINIBVS ECCLESIASTICÆ immunitatis, libertatis, ac exemptionis significetur?

QVoniam huius libri materia non solum fidei, sed etiam morum doctrinam complectitur, ita à nobis tradenda est, vt & contra Ecclesiæ Catholicæ aduersarios veritatem fidei ostendamus, & pro morali vsu, ac praxi catholicis inseruire possimus. Ac propterea non solum sacræ paginæ testimonia, sed etiam leges tum canonicas, tum ciuiles diligenter considerabimus, & expendemus, ab his enim maximè doctrina præsertim moralis pender. Ideoque in primis voces, quibus iura de hac materia loquentia, vti solent, explicandæ sunt, vt ita res ipsa, & iura melius intelligi valeant. Sunt autem potissimum hæ voces tres illæ, quas in titulo proposuimus, quas breuiter in hoc capite declarabimus. Methodus in hoc lib. seq. B

Prima

2 *Immunitatis deſcriptio*

Prima vox eſt *Immunitas*, quæ generatim ſumpta deſcribi poteſt, vt ſit, *Priuilegium, quo res aliqua, vel perſona a communi aliqua obligatione, ſeu onere eximitur.* Quam deſcriptionem ſumo ex l. *Munus* 18. ff. de Verbor. ſignificat. vbi *munus* inter alia onus ſignificare dicitur, de quo ſubiungit Paulus I. C. *Cum remittitur, vacationem militiæ, muneriſq; præſtat, inde immunitatem appellari.* Vbi *militiæ* nomen exempli cauſa poſitum videtur, quatenus oneroſum munus eſt; immunitas autem generatim eſſe dicitur vacuitas muneris, pro onere ſumpti, quæ per quandam remiſſionem, ſeu conceſſionem datur: hæc igitur carentia, ſeu ablatio oneris ad Eccleſiam applicata dicitur immunitas Eccleſiaſtica. Quid autē per hāc particulā vltimam denotetur, ex dicendis conſtabit. Poteſt autē in hac immunitate cōſiderari, vel actus remittēdi, ſeu ius ſpeciale, quo aliquis eximitur cōmuni onere, vel effectus illius iuris, qui eſt carentia, ſeu vacatio talis oneris, & obligationis. Et vtrumque poteſt nomine immunitatis ſignificari, vt ſumi poteſt ex titulo de Immunitate nemini cōced. C. lib. 10. Immunitatem ergo vt ſignificat ius vacandi à munerib⁹, dicimus eſſe priuilegium excuſans ab onere communi. Vtimur autē nomine priuilegij lato modo, vt cōprehendere poteſt ius aliquod naturale, vel diuinum alicui ſpecialiter conueniens cōparatione aliorū, vt in ſequentibus magis declarabimus. Immunitas autem ſumpta pro ipſo effectu priuilegij dici poteſt vacuitas, ſeu excuſatio à munere, vtique legitima, & aliquo iure fundata. Et fortaſſe hoc modo diſtinguī poſſunt duo tituli iuris ciuilis ff. de Vacat. & excuſat. munerum, & de Iure immunitatis. Sed de hoc aliàs. In præſenti ergo vtroque modo ſumi poteſt immunitas, quæ Eccleſiaſtica appellatur, quatenus res, vel perſonas Eccleſiaſticas ab oneribus, alijs rebus, vel perſonis communibus, eximit, & in talium rerū, vel perſonarum decentiam; ac reuerentiam conceſſa eſt.

3 *Immunitas triplex, locorū, perſonarū & bonorum.*

Hæc autem immunitas ex parte ſubiectorum, ſeu rerum, quibus conceſſa eſt, & quaſi adhæret, duplex, vel triplex diſtingui ſolet. Vna eſt immunitas locorum, ſeu templorum, aut Eccleſiarum, alia eſt immunitas perſonarum, ſeu clericorum, tertia eſt immunitas bonorum, quæ ad duas priores reuocari poteſt, quia bona aut ſunt Eccleſiarum, aut clericorum, & ratione illorum ab oneribus, ſeu tributis eximuntur. Prima locorum ſacrorum immunitas in duobus conſiſtit, primo in vacatione ab actionibus prophanis talium locorum ſanctitati repugnantibus, aut ea polluentibus. Secūdo in hoc quòd ſunt loca refugij, ſecuritatis, ac cuſtodiæ, tam reorum ad ea confugientium, quàm bonorum, quæ in eis reponuntur. Ita ſumitur ex titulis de immunit. Eccleſiarum, & ex 17. qu. 4. ferè per totam, & notanit ſpecialiter Gloſ. in c. *Cum deuotiſſimam* 12. q. 2. verb. *Pro violata immunitate.* De hac verò immunitatis ſpecie dictum latè à nobis eſt in tom. 1. de Religione lib. 3. toto, nihilque hoc loco addendum occurrit maximè cum ad præſentem cauſam nihil pertineat. Aliæ verò duæ immunitates perſonarum, & bonorum præſentis conſiderationis maximè ſunt, & vtramq; attingit Rex Angliæ, cùm ingentem perſonarum, & fundorum partem regio iuri ſubtrahi conqueritur, & ideo de vtraque dicemus.

Immunitas locorū in quo conſiſtat.

4 *Quid libertas Eccleſiaſtica ſit. 1. Opinio.*

Atq; ex huius vocis declaratione facilè intelligitur, quid libertas Eccleſiaſtica ſit, aliqui enim exiſtimāt has voces eſſe ſynonimas; alij differentiā aliquā inter eas conſtituunt. Vt videre licet in Caietano in Sum. verb. *Immunitas*, vbi licēt priùs illas voces confundat, in fine tamen in ordine ad intelligentiā canonum, illas ita diſtinguit, vt nomine libertatis Eccleſiaſticæ ſolā immunitatē perſonarū in ſe, & in bonis ſuis, nomine autem Eccleſiaſticæ immunitatis locorū tantum exemptionem ſignificari velit, ideoq; violātem templi immunitatē, non cenſet agere contra libertatem eccleſiaſticam, nec cenſuras contra violātes eccleſiaſticam libertatem latas incurrere. Et ad confirmandū expendit Caietan. verba Benedict. 11. in Extrauag. 1. de Priuileg. vbi referens caſus reſeruatos, diſtinctè numerat *Eccleſiarum immunitatis, & Eccleſiaſticæ libertatis violatores*; ergo ſentit verbis illis diuerſa priuilegia Eccleſiæ ſignificari.

5 *2. Opinio.*

Nihilominus voces illas idem ſignificare docuit Couar. d. c. 20. li. 2. Variar. in prin. & ſequutus eſt Tuſchus ver. *Eccleſiæ immunitas*, concl. 8. n. 9. Poteſtque ſuaderi ex deſcriptione immunitatis, quia immunitas non eſt niſi carentia quædam ſubiectionis, & oneris, quæ carentia nomine etiam libertatis ſignificatur, ſicut etiam libertas ſignificare ſolet carentiam ſeruitutis, ſeu neceſſitatis, ergo addita eadem determinatione Eccleſiaſticæ libertatis, ſicut & immunitatis, idem vtraque voce ſignificabitur. Vnde ponderat Couar. in dicta Extrauag. 1. non addi eandem determinationem, ſed variari, cùm dicitur, *Eccleſiarum immunitatis, & Eccleſiaſticæ libertatis*, nam voces: *Eccleſiarum, & Eccleſiaſticæ*, non idem ſignificant, quia nomine *Eccleſiarum* ibi ſignificantur templa, iuxta vulgarem vſum, & ita per illam vocem cōpoſitam ſolum ibi ſignificatur immunitas ſacrorum locorum; cùm verò dicitur *Eccleſiaſtica libertas*, nomen *Eccleſiaſtica* ſumptum eſt generaliter ab Eccleſia maximè ratione Eccleſiaſtici ſtatus: & ideo ibi propriè ſignificat exemptionem Eccleſiaſticarum perſonarum tam in ſe, quàm in bonis ſuis. At hæc libertas etiam vocatur in iure immunitas Eccleſiaſtica in cap. *Aduerſus* de Immunitate Eccleſiarum iuncto cap. *Non minus* eodem. Ergo ſtante eadem determinatione Eccleſiaſticæ libertatis, & immunitatis idem vtraque voce ſignificatur. Vnde in communi vſu Doctorum voces illæ tanquam ſynonimè vſurpantur, vt videre licet in Ioan. Lup. tractat. de libertat. Eccleſiaſt. à princip. per totum, & præſertim, 1. p. q. 3. & 2. p. q. 11. Rebuff. tract. de Immunit. & Hier. Alban. in tract. alio de Immunit. & reliquis in Rubricis de Immun.

6 *Præfertur ſecunda ſententia.*

Quocirca hæc poſterior ſententia in rigore vera eſt, rectèque probatur, attento vſu, & verborum proprietate. Nec Caieta. ſimpliciter contradicit, ſatetur enim voces illas ſæpe confundi; addit verò, in vſu canonum cenſuram ferentium contra violantes Eccleſiaſticam immunitatem, vel contra Eccleſiaſticam libertatem, illam differentiam ſeruari, quòd priora tantum puniunt inferentes iniuriam locis ſacris, poſteriora verò eos, qui agunt contra immunitatem perſonarum. Quæ etiam differentia non ſatis firma eſt, nam prior pars ad ſummum habet locum, quando in canone eſt ſermo de immunitate Eccleſiarum, nam tunc ordinariè nomine Eccleſiarum ſignificantur tēpla, vt dixi, & ex illo addito determinatur canon ad loca ſacra. At ſi canon diſponat contra violantes immunitatem Eccleſiaſticam, planè omnia comprehendit, niſi ex actione, quam puuit, vel ex alijs circumſtantijs conſtet, de immunitate locorum, vel perſonarum ſpecialiter loqui: & ita vox de ſe indifferens eſt, & omnia comprehendit, niſi aliunde determinetur. Idemque eſt, ſi canon loquatur de immunitate *Eccleſiæ* in ſingulari, tum quia vox *Eccleſiæ* de ſe ſolùm generaliter determinat immunitatem Eccleſiæ conceſſam, ſiue in locis, ſiue in perſonis: tum etiam quia præcipuè ſignificare ſolet congregationem fidelium, niſi aliunde determinetur, vel ex contextu conſtet, ſermonem eſſe de materiali templo.

7 *Differentia inter canones delicta cōtra immunit. vel libertatē Eccleſiæ punientes.*

Alia verò differentia excogitari poteſt inter canones punientes eos, qui contra immunitatem Eccleſiæ aliquid faciunt, vel contra libertatem. Duobus enim modis poteſt immunitas violari. Primo ſolo facto, ſiue vſurpatione iuris, ſecundo ſub prætextu iuris alicuius, ſeu legitimæ poteſtatis. Priori modo agit contra immunitatem, qui Eccleſiam incendit, infringit, ſpoliat, bona Eccleſiæ furripit; poſte-

riori modo agit contra immunitatem iudex, qui reum ab Ecclesia extrahit. Vnde posterior hic modus non solet committi, nisi à gerente publicam potestatem, vel sub aliquo eius colore, seu prætextu, prior verò à quocunque, priuata potestate per violentiam potest committi, vtroque autem istorum modorum sit contra immunitatem, propriè vero contra libertatem Ecclesiasticam tantùm posteriori modo committi videtur. Sic enim qui violentas manus in clericum injicit, contra immunitatem Ecclesiæ agit, non tamen videtur agere contra libertatem Ecclesiasticam; è contrario verò iudex sæcularis iudicium in clericum vsurpans, violator est Ecclesiasticæ libertatis propriè (vt ita dicam) & specificè, licèt ibi etiam generatim includatur immunitatis violatio, quia non potest ius immunitatis violari sine actione immunitati contraria.

8. *Quando cõtra immunitatẽ, & quando cõtra libertatem Ecclesiæ fiat.*

Simili modo qui priuata authoritate per solam vim, & iniuriam aliquam personam ab Ecclesia extrahit, contra immunitatem tantùm Ecclesiæ agit, qui autem id facit titulo publicæ potestatis, & iurisdictionis, vel qui statuit, vt Ecclesiæ non habeant priuilegium securitatis, & asyli delinquentium cõfugientium ad ipsas, etiam libertatem Ecclesiasticam violat, quia non solum vsum, sed etiam ius immunitatis Ecclesiæ eripere conatur: Et hoc modo videntur optimè intelligi verba Benedicti 12. suprà citata. Et ratio reddi potest, quia minus requiritur ad agendum contra immunitatem, quam contra libertatem Ecclesiæ, ac subinde latiùs patet agere contra immunitatem, quàm contra libertatem, omnis enim, qui libertatem infringit, immunitati etiam derogat, non verò è conuerso, sicut omnis hæreticus schismaticus est, non verò è conuerso, nam qui negat facto tantum obedientiam Ecclesiæ ad sũmum erit schismaticus. Et hac etiam ratione dixit Cardinalis Zabar. in Repetit. cap. *Perpendimus*, de Sentent. excomm. n. 2. oppos. 7. odiosius esse clericum iudicari a laico, quam ab alio vt priuato percuti, nimirum, quia illud prius est contra libertatem Ecclesiasticam hoc verò posterius tantum videtur contra immunitatem. Habetque hoc fundamentum in cap. *Si verò*, de sentent. excomm. vbi percussio clerici facta à ministro Potestatis, non vt ministro, sed vt priuata persona, & sine vsurpatione iurisdictionis, non censetur semper inducere censuram reseruatam Pontifici, percussio autem facta ab officiali potestatis, vtique vt ministro eius, semper declaratur reseruata, cuius ratio non videtur esse alia, nisi quia hæc posterior est grauior, & odiosior actio, vtpote contraria libertati Ecclesiæ, & non tantùm immunitati, sicut prior. Denique differentia hæc etiam videtur proprietati verborum consentanea, nam ille propriè agit contra libertatem alicuius, qui vult illum in seruitutem redigere, & onus seruitutis illi imponere, qui vero facto tantum iniuriam alteri facit, eumq; tanquam seruum percutit, non propriè agit contra libertatem eius.

9 Veruntamen in hoc puncto negare quidem non possumus, illos duos modos violandi Ecclesiasticam immunitatem esse distinctos: Et ex suo genere grauius multò esse delictum, quando non solùm facto, sed etiam prætenso iure immunitas rumpitur, sicut longè grauius est ius decimarum Ecclesiæ negare, quàm decimas non soluere. Nihilominus tamen hoc non obstat, quominus vtroque modo violetur libertas Ecclesiastica, sicut immunitas, quia (vt ostendi) immunitas & libertas Ecclesiastica, eodem modo determinatà in re idem sunt. Et quamuis verum etiam sit potuisse facilè nomen violationis libertatis Ecclesiasticæ quasi per antonomasiam applicari ad significandum modum violationis, qui non solùm violentia, sed etiam præsumpto, & vsurpato iure nititur: eo quod libertatis nomine magis ius ipsum significari videatur, & quia frequenter videntur iura hanc violationem immunitatis contra libertatem Ecclesiasticam vocare, vt in dicto c. *Non minus*, & in multis censuris Bullæ Cœnæ videre licet: nihilominus affirmare non possumus, differentiam illam esse in iure constantem, nec tanquàm regulam constituere, quòd censura lata contra violantes libertatem Ecclesiasticam, non comprehendat omnes violatores immunitatis, nisi ex verbis, vel materia legis limitatio talis colligatur. Quia illa regula, vel differentia nullo iure satis fundata est, nec est in vsu Doctorum, vt constat ex his, quæ congerit Ioan. Lup. tract. de Libert. Ecclesiastic. p. 1. quæstio. 10. & alijs, quæ enumerat Guilielmus Luueranus in tract. de Arbore iurisdiction. in illius declarat. numero 15. & ex Rebuff. in Concordat. titu. de Firma, & irreuoc. concordat. stabili §. Penult. verb. *Quæro, quæ sunt statuta.*

10 *Quid erõtia Ecclesiastica significes.*

Atque ex his tandem explicata relinquitur tertia vox, *Exemptionis Ecclesiasticæ*, nam in re idem significat, quod immunitas, vel libertas, & ita communiter solet vna vox per aliam explicari, seu describi. Videtur tamen nomen exemptionis esse magis facti, quam iuris, ac proinde magis significare effectum priuilegij, quàm priuilegium ipsum immunitatis. Vnde potest non immeritò quæri, an omnis exemptio priuilegio concessa templis, rebus, aut personis Ecclesiasticis, censeatur ad immunitatem, vel libertatem Ecclesiasticam pertinere, ita vt qui omnem huiusmodi exemptionem violauerit, censeatur contra immunitatem, vel libertatem Ecclesiasticam agere, & censuras contra eiusdem libertatis vsurpatores latas incurrere. Duplex enim potest esse tale priuilegium, vnum generale, concessum Ecclesijs omnibus, vt Ecclesiæ sunt, vel personis Ecclesiasticis, qua tales sunt, & de eiusmodi priuilegio certum est, ad immunitatem Ecclesiasticam pertinere, in hoc enim consentiunt omnes, & patebit ex dicendis. Alia verò potest esse exemptio ex priuilegio particulari dato tali Ecclesiæ, vel dignitati, aut personæ Ecclesiasticæ ex peculiari illius consideratione.

11 *An priuilegium alicui specialiter concessũ ad immunitat. Ecclesiæ pertineat.*

Et de hac exemptione est dubium, an pertineat ad immunitatem Ecclesiasticam, ita vt violatio illius sit Ecclesiasticæ immunitatis violatio. Affirmate enim apertè Rebuffus in Concordat. loco proximè citato referens plures: sequitur Cardinalis Tuschus verb. *Libertas Ecclesiastica*, concluf. 341. numero 17. & sequentibus vbi alios allegat. Et idem videtur sentire Rochus Curt. tract. de Consuet. sect. 5. circa 2. 1. Semicia partem Glossæ num. 2. & Ioan. Lup. dicto tractat. de Libert. Ecclesiast. p. 1. q. 10. casu 12. & 16. Moueri potuerunt hi Doctores, vel quia immunitas Ecclesiastica comprehendit omnia priuilegia Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis concessa, vel quia ad agendum contra libertatem Ecclesiasticam, satis est agere contra libertatem vnius Ecclesiæ. Nam statuta priuata vnius reipublicæ contra Ecclesiam, tantùm Ecclesias illius territorij lædunt, & nihilominus sunt contra Ecclesiasticam libertatem, quia in vna Ecclesia offenduntur omnes, sicut in percussione vnius clerici totus clerus offenditur, & timidior fit. *Rebuf. Fundamẽt.*

12 Nihilominus dicendum est, secundum iuris vsum & Ecclesiasticum morem, solam illam exemptionem ad Ecclesiasticam immunitatem, vel libertatem pertinere, quæ manat ex generali priuilegio dato Ecclesiæ, vel in honorem, & reuerentiam templorum, vel ob decentiam, & dignitatem Ecclesiastici status, seu clericalis ordinis. Hæc est communis sententia Iurisperitorum in cap. *Nouerit*, de sentent. excomm. & in Authent. *Cassa*. C. de Sacrosanct. Eccle. vt testantur Panormitanus in dicto cap. *Nouerit*, numero 2. & lib. 1. Consil. in 83. numero 1. & Decius in dict. Authent. *Cassa*. numer. 18. Iuli. Clar. libro 5. §. vltim. q. 77. numer. 28. Sylu. verb. *Excommunicatio.* 9 Excommunic. 10. & Lapus, Allegat. 3. & alios retuli, &

tuli, & sequutus sum tom. 5. de Censur. disp. 21. sect. 2. nu. 89. & 90. vbi hoc latiùs explicui. Et idem sensit Caietanus in Summa verb. *Immunitas*, dicit enim, quoad pœnas iuris sub immunitate non venire, nisi exemptiones, quæ ex generali priuilegio Ecclesiæ competunt, quoad culpam verò eiusdem rationis esse posse violationem exemptionis speciali priuilegio alicui Ecclesiæ datæ, cum violatione immunitatis communiter Ecclesiæ concessæ, licèt prior culpa non ita puniatur in iure, sicut posterior. Vnde sentit, & bene, exemptionem alicuius Ecclesiæ ex speciali priuilegio in re ipsa verè esse quandam immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam. Quia est liberatio ab onere, quam vox immunitatis generatim B significat, est autem concessa rei sacræ qua talis est, ac subinde religiosa, & suo modo sacra meritò dici potest; ergo violatio eius est irreligiosa, sacrilega, & consequenter eiusdem speciei cum violatione similis immunitatis concessæ Ecclesiæ per generale priuilegium. Et nihilominus iura non puniunt has violationes specialium priuilegiorum, neque de illis tractant quando libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam tuentur, sed de his, quæ generaliter ad Ecclesiam, & Ecclesiasticum statum spectant. Et ideò diximus, in vsu iuris sub immunitate ecclesiastica solas exemptiones ex priuilegijs vniuersalibus manãtes comprehendi.

13. Vnde fit, vt determinatio illa immunitatis cum Ecclesiastica dicitur, habitudinem dicat ad Ecclesiã secundum communem rationem suam. Non quia debet priuilegium esse concessum Ecclesiæ vniuersali in omnibus membris suis, hoc enim necessariũ nõ est, vt constat, sed vt respiciat totam Ecclesiam pro illis membris, vel locis, quæ talis immunitatis sunt capaces. Vnde etiam rectè adnotauit Caietan. ad violationem huius immunitatis non esse necessariũ, vt in tota Ecclesia, vel in omnibus personis, aut locis, quibus conuenit, violetur, sed satis esse quòd violetur in vno, seu in quolibet, cui ex vi generalis priuilegij competit. Et hoc solum probat fundamentum contrariæ sententiæ, & aliqui ex prioribus authoribus nihil aliud intendunt, præsertim Rochus Curti. qui alios refert. Et est manifestum ex iuribus, quæ ipse allegat c. 2. de Reb. Eccles. non alienan. & c. 2. de Foro compet. vbi etiam ratio redditur, quia iniuria facta vni personæ contra generale priuilegium communitatis, & propter communitatem concessum, in totam communitatem redundat, & ideò est propria violatio immunitatis, quam iura puniunt. Vnde etiam obiter intelligitur, licèt contingere possit, violationem specialis priuilegij, propriæ immunitatis E Ecclesiasticæ quoad speciem culpæ esse eiusdem rationis, nihilominus ex genere, seu modo suo violationem immunitatis hoc habere peculiare, quod est veluti communis iniuria, & in communitatem speciali titulo redundans: ita ergo immunitas propriè dicit exemptionẽ aliquam Ecclesiæ communem.

14. *De qua immunitate in hoc opere agatur.* Ex quibus tandẽ cõcluditur de hac sola propria immunitate, seu libertate Ecclesiastica in præsẽti tractari, &, quia iã locorum immunitatem exclusimus, solũ de immunitate personarũ, vel in se, vel in rebus esse sermonẽ. Addendũ verò est personis Ecclesiasticis duplicé immunitatẽ, seu duplex generale priuilegium esse concessum, vnum appellatur priuilegium canonis, aliud fori. Prius est priuilegium (vt ita dicam) securitatis, & indẽnitatis personarũ Ecclesiasticarũ, cui per canonẽ, *Si quis suadente* 17. q. 4. cautũ est, singularẽ censuram ferẽdo cõtra percussores clericorũ. Et de hac immunitate nulla est nobis controuersia cũ Rege Angliæ, & alioqui materia illius canonis alibi est à nobis tractata, & ideo de illa exẽptione seu immunitate nõ erit in præsenti sermo. Priuilegiũ aũt fori dicitur illud, quo clericis exemptio à iurisdictione laica concessa est, cui consequenter annexa est exemptio à tributis, & in his tota controuersia versatur.

A

CAPVT II.

VTRVM CLERICI IN SPIRITV ALIBVS, ET Ecclesiasticis causis à potestate Principum sæcularium iure diuino exempti sint.

PVnctum hoc in principijs superiori libro positis virtute definitũ est, illud autẽ hic præmittimus, tum quia Rex Angliæ clerũ in omnib. rebus, & causis sibi fore subiectũ in suo regno contẽdit; idemq; respectiuè de cæteris Regibus, & regnis cũ Marsilio Patauino, & alijs similibus affirmat, tum etiã quia hoc errore reiecto, maiori claritate, & certitudine cõstabit, in quo propria immunitas, & exẽptio clericorũ posita sit. Fundamentũ ergo prædicti erroris est, quia vel nulla est in Ecclesia Christi spiritualis potestas, sed sola ciuilis, seu tẽporalis, per quã omnia tam sæcularia, quã Ecclesiastica gubernãda sunt, & omnes leges ferendæ, & iudicia terminãda, in quacumq; materia versentur. Quia omnia tam Ecclesiastica, quã ciuilia cõprehendũtur sub politico ordine, ac regimine, neq; aliter cadũt sub potestatẽ humanã, totus autem politicus ordo sub regiã potestatẽ cadit. Vel certè, si illius erroris sectatores aliquã spiritualem potestatẽ agnoscunt, illam volunt esse in Regibus in supremo gradu, ex eodẽ ferè fundamento, quòd totus ordo Hierarchicus Ecclesiæ est tantũ politicus id est, propter externã politiam Ecclesiasticã, quæ vnum corpus facit cũ ciuili, & ideò necesse est totã eidem Regi supremo subijci. Vnde ad hoc confirmandũ expendunt, Paulum omnia, quæ ad humanum regimẽ spectant, Regi suppositisse sine vlla exceptione, dicens. *Qui potestati resistit* C *Dei ordinationi resistit.* Ex quibus verbis quidã intulit, Principes sæculares habere authoritatẽ ferendi leges in omni materia, & obligãtes oẽs personas, iuxta illud: *Per me Reges regnãt, & legũ conditores iusta decernũt.* Cõfirmatur hoc, quia Theodosius Imp. in suo Cod. & postea Iustinian. in suo multas leges de spiritualibus rebus cõdiderunt, vt de Sacrosãctis Ecclesijs, de Episcopis, & clericis, &c. Et plures similes habet Alfonsus Hisp. Rex in suis legibus Partitar. part. 1. ergo *qui illis resistit* (teste Paulo) *Dei ordinationi resistit*

Veritas nihilominus catholica est, clericos in spiritualibus seu Ecclesiasticis causis omnino esse immunes à iurisdictione tẽporalium Principũ. Ita docẽt oẽs catholici scriptores in locis infrà allegandis, conueniuntq; oẽs, immunitatẽ clericorũ quoad hanc partem esse de iure diuino: quæ quidẽ certũ, ac de fide esse censeo, quia eisdem principijs, & fundamẽtis nititur. Hęc autẽ principia tria sunt præcipua, quæ in superiori libro probata sunt. Vnũ est, esse in Ecclesia potestatẽ gubernatiuã spiritualẽ, à ciuili distinctam, & superioris ordinis, datam ipsi Ecclesiæ ex singulari Christi institutione, & donatione vltra omne ius naturæ. Quod principiũ in c. 6 præcedentis libri probatũ est. Aliud principium est hanc potestatẽ spiritualem nõ esse in Regibus, vel Principibus temporalibus, sed in Pastoribus Ecclesiæ à Christo datis, & præsertim in Sũmo Pontifice, qui est Romanus Episcopus, & hoc principiũ probatũ est in eodem libro à cap. 10. Tertium principiũ est, hanc spiritualẽ potestatem non esse subordinatam potestati Regum, sed potius habere illam sibi subiectam, quod in eo libro à cap. 20. fusè probatum, ac defensum est.

Ex his ergo principijs sic cõcluditur, Causæ spirituales per spiritualem potestatẽ stabiliendæ, ac definiendæ sũt, sed hæc potestas spiritualis neq; est in Regibus, neq; sub ordinatur potestati eorũ; ergo tales causæ spirituales sunt extra forum, & potestatẽ sæculariũ Principum tã directè, quã indirectè; ergo personæ Ecclesiasticæ quoad has causas ex vi diuini iuris extra iurisdictionem Principũ cõstituti sunt, ac subinde eodẽ diuino iure tali exemptione, seu immunitate gaudent. Maior est per se euidens, supposito primo principio, quia si potestas iurisdictionis spiritualis, & temporalis distinguũtur, necesse est, vt circa distinctas materias versentur & vna quæq; materiã sibi proportionatã vendicet, & intra illam contineatur; ergo spiritualis F materia quoad omnem dispositionem, & regimen ad potestatẽ spiritualẽ pertinet, & è cõuerso spiritualis potestas in materia spirituali tanquã in propria sphæra operatur, eamq; pro adæquato, & proprio obiecto habet. Minor aũt in secundo, & tertio principio probata est. Prima verò illatio euidenter expræmissis infertur, quia nulla potestas operatur directè nisi in sua materia, neq; extẽditur indirectè, nisi ad materiã potestatis sibi subordinatæ, neutrũ aũt habet potestas ciuilis respectu materiæ spiritualis, vt ostẽsum est; ergo spiritualis materia omnino est extra iurisdictionẽ temporaliũ Principum. Et inde tandem euidenter concluditur altera illatio, quia in primis clerici vt clerici sunt ad spiritualem materiam pertinent, ratione ordinis,

1. *Aliquorum hæreticorum error.*

Fundamẽtũ.

Rom. 13.

Prou. 8. *Confirmatio.*

2 *Conclusio de fide.*

3 *Probatur assertiorationis.*

qui spiritualis est, & ex Christi institutione. Deinde personæ sortiuntur forum pro ratione materiarum, seu causarum, quia iurisdictionis actus proximè versatur circa aliquam materiã, quàm præcipit, vel discutit personæ subiectæ, & ideò si materia est extra iurisdictionem alicuius, etiam personæ, ad quas pertinet talis materia sub ratione tali erunt ab eadem iurisdictione immunes.

4. *Ex Scripturis ostenditur conclusio.* 1. Cor. 4.

Hæc ergo manifesta probatione supposita, ex principijs fidei iam probatis, non aliter ostenditur hæc veritas ex Scriptura, quàm ex illis locis in quibus Ecclesiæ regimen Pastoribus Ecclesiæ à Christo commissum esse ostenditur, *Pasce oues meas, & Quodcunq; ligaueris*, &c. *Qui vos audit, me audit*, &c. Item ex illis, quibus ex institutione Christi ostenditur, esse in Ecclesia potestatem iudiciariam, & Ecclesiasticum tribunal, iuxta illud: *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* &c. Et illud: *Ego quidẽ absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui vt præsẽs eum, qui sic operatus est*, &c. Et infrà: *Nam etsi amplius gloriatus fuero de potestate nostra*, &c. Item illud: *Obedite Præpositis vestris*, &c. Et quòd ad hanc potestatem pertineat clericorum regimẽ, satis declaratur ex verbis Pauli ad Timotheum, *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*. Inde enim satis constat, causas clericorum, saltem vt clerici sũt ad Prælatos Ecclesiæ pertinere, & ad solos illos. Nam licèt hæc exclusiua ibi expressè non addatur, satis ex eo colligitur, quòd illa potestas superioris ordinis est, & alijs data non est, nisi Ecclesiæ Pastoribus, nec inferiori potestati subordinata est, vt dixi.

1. Timot. 2.

5. *Confirmatur ex Summis Pontificibus.*

Atque hoc modo veritatẽ hanc ex Christi, & Apostolorum doctrina sumserunt sacri Pontifices, & Cõcilia. Huc enim spectant verba illa Ioan. Papæ. *Si Imperator Catholicus est, filius est, nõ præsul Ecclesiæ*. Et infrà: *Vt Dei beneficia nõ ingratus contra dispositionem cælestis ordinis nihil vsurpet, ad Sacerdotes enim voluit Deus, quæ Ecclesiæ disponẽda sunt, pertinere, non aũt ad sæculi potestates*, &c. In quibus verbis apertè declarat, hanc institutionẽ esse de iure diuino, & illud verbum *Discuti*, ponderandũ est, nã ex illo constat, causas clericorum ad forum Ecclesiasticum tantùm pertinere ex diuino iure. Quod saltem de causis Ecclesiasticis, & de clericis, vt clerici sunt, necessariò intelligẽdum est. Eandem doctrinam cõprobant, & confirmant Gelasius, Nicolaus I. & Symmachus Pontifices in varijs decretis synodalibus in eadem dist. 69. allegati. Et Felix Papa, atq; iterũ Nicolaus in cap. *Certum est*, & cap. *Imperium*, & cap. *Quoniã*, dist. 10. & Innoc. 3. in cap. *Ecclesia*, de Constit. & in cap. *Soliæ*, de Maiorit. & obedien. & in cap. *Nouit*, de iudicijs, ibiq; cap. 2. idem habetur ex Concil. Rhemens. sub Eugenio, & ex Honor. Papa in cap. 2. de iurament. calum.

6. Scio quidẽ Regem Angliæ cum suis Protestantibus tãtorũ Pontificũ authoritatẽ contẽnere, eosq; tanquam iudices in causa propria recusare. Verũtamen iã dixi in præcedenti libro, istorũ vel ignorantiã, vel pertinaciã Pontificum authoritatẽ quæ in Christi verbis, ac promissionibus fundata est, nõ posse minuere. Eò vel maximè, q̃ non soli Romani Pontifices, sed alij etiã antiquissimi Patres in eandẽ veritatem conspirant, vt ex Ambr. Greg. Nazianz. & alijs multis in superiori lib. c. 9. & sequent. latè monstratũ est, & ideò eorum sententias iterum referre superuacaneum iudico. Quòd si de his omnibus dicatur, esse Episcopos, aut Sacerdotes, & in propria causa loqui: certè Ecclesia nũquam habuit alios Pastores, aut Doctores, à quibus doceretur, & per quos diuinas, & Apostolicas traditiones acciperet, & in fidei puritate, & sana Scripturarũ intelligentia conseruaretur, *Ad cõsummationem sanctorũ in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus oēs in vnitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virũ perfectũ, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, vt dixit Paul. ad Ephes. 4. Impiũ ergo est, cogitare, eos in hac causa Ecclesiæ imposuisse, aut humano affectu fuisse loquutos, sed Ecclesiæ causã, quæ à sua seperari nõ poterat, defendisse nõ potestatem nouã sibi arrogando, sed quam à Christo per Apostolos, & corũ successores acceperunt, conseruando, & posteris ad Ecclesiæ vtilitatem defendendo.

7. Sic ergo cõfirmata catholica assertione tã infallibili authoritate, quã firma ratione, & ex eadẽ probatione intelligi potest primò, hãc immunitatẽ, seu exẽptionem clericorũ nõ esse per modũ ablationis, seu diminutionis iurisdictionis, quę prius esset in Principibus, sed per modũ negationis, quia nunquã talẽ iurisdictionẽ habuerũt, neq; vnde illã habeãt, ostendere poterũt. Quia (vt sæpe dixi) Christus Dñs condendo nouã spiritualẽ Rempublicã, nullam Principibus tẽporalibus dedit potestatẽ (vbi enim, aut quando illã cõtulit? sed eã dedit Ecclesiæ Pastoribus, ideoq; tẽporales Reges nullã potestatẽ habẽt in Ecclesiasticas personas, & earum causas, prout tales sunt, neq; huiusmodi personæ quoad tales causas Regibus subiiciuntur, & hoc modo dicũtur exẽpti, nõ quia illorũ iurisdictioni subtracti sint, sed quia ipsi Reges potestatẽ in ipsos nunquã acceperunt. Quod declaratur optimè ex tẽpore primitiuæ Ecclesiæ, in quo Principes tẽporales infideles erãt, nemo n. dicet, eos habuisse tunc potestatẽ ad iudicandas Ecclesiasticas causas clericorũ, & nihilominus tũc Ecclesia nõ carebat perfecta potestate ad se gubernandũ, & ad iudicium ferendũ in huiusmodi causis, & de huiusmodi personis, quę ad Principes sæculares nullo modo pertinebãt. At sæculares principes propter conuersionẽ ad fidẽ non acquisierunt iurisdictionem aliquã nouam in Ecclesiã (quis n. eis illã cõtulisset?) ergo neq; nunc illã habent. Rectè igitur dicũtur clerici in his exẽpti, non per propriam subtractionem & quasi ex priuilegio nouo, sed quia ipsi Principes ex se carẽt tali potestate in clericos quoad huiusmodi causas.

2. *Omnes illi spirituales causæ à sæcularibus potestatibus eximuntur.*

Secundò colligo ex dictis, licèt hæc exemptio præcipuè eluceat in clericis quia & personæ sacræ sũt, ac diuino cultui specialiter dicatæ, ideoq; & canonicis legibus principaliter gubernãtur, & cõsequenter causæ Ecclesiasticæ in eis maximè & quasi in ,,proprio subiecto locũ habẽt; nihilominus etiã in alijs fidelibus quatenus spirituales causæ ad eos etiã pertinere possunt, eandem exemptionẽ obtinuari, quia nõ tantùm ex proprio statu personę Ecclesiasticæ, sed ex generali ratione taliũ causarum nascitur, vt declaratum est. Vocantur aũt spirituales causæ oēs illæ, quę ad fidem, sacramẽta, sacrificium, & in vniuersum ad diuinum cultũ, & ad salutẽ animę, eiusq; à peccatis curationẽ, ac remedium pertinent, vt in lib. 4. de Legib. qui est de legibus canonicis, latiùs diximus, & tractant Doctores in dicto cap. *Ecclesia*, de Constit. & varia exẽpla videri possũt in Tusco, verb. *Libertas Ecclesiastica*, cap. 1 & nonnulla de hoc puncto addemus infrà cap. 15. & 16.

9. *Solutio ad fundamentum contrarij erroris.*

Vltimò ex dictis patet responsio ad fundamentũ cõtrarij erroris. Principia enim in quibus fundatur, hæretica sunt, satisq; in superioribus impugnata. Verba aũt Pauli *Qui potestati restitit, Dei ordinationi restitit*. Et verba Sapientiæ *Per me Reges regnant*, ineptissimè inducuntur. Nam Paulus loquitur de potestate in suo foro, & intra limites suos præcipiẽte. Cùm enim dixit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, nõ intellexit, omnẽ hominem debere esse subiectum cuicunq; Regi, sed suo, nec enim Hispanus tenetur Regi Galliæ parere, aut subesse, vnusquisq; ergo suo Regi subesse præcipitur: ita ergo etiam dicitur Dei ordinationi resistere, qui potestati se superiori, & ordinatè seu in materia sibi subiecta præcipiẽti resistit. Neq; Paulus dixit, itegi obedièdum esse in omni materia, sed simpliciter loquutus est, sicut alibi etiam dixit: *Obedite Præpositis vestris*. Ideoq; necessariũ non fuit addere limitationem, vel exceptionẽ, quia in ipsa obedientię ratione intrinsecè includitur respectus ad superiorem, vt superior est, & legitimè præcipit. Et in alio loco, sicut dixit Sapiens, Reges per sapientiam regnare, ita statim addidit, *& legum conditores iusta decernere*.

10. *Ad confirmationem.*

Ad confirmationem de Legibus Iustiniani in materia canonica, dixi in allegato lib. 4. de Legib. c. 11. illas nõ esse veras leges, sed p modũ instructionis, non per modũ iuris haberi posse, ideoq; in his, in quibus canonibus contradicũt, nullius esse vtilitatis, etiã declaratur in l. *Priuilegia*, & Authent. *Cassa*. C. de Sacrosanct. Eccl. Et specialiter de causis Ecclesiasticis id declarauit idẽ Iustinian. Nouel. 38 quæ habetur collat. 6 tit. 11. vt clerici apud ,,prios Episcop. &c.

11. *Obiectio.*

Vna verò superest obiectio contra illã partem, in qua dictum est, immunitatẽ hanc esse de iure diuino, nã inde fieret esse immutabilem, & non posse per Pontificem minui, aut dispensari, quod falsum est. Nam ex consensu Doctorum, potest Pontifex causas Ecclesiasticas, & spirituales iurisdictionem laicis committere; poterit ergo clericos in eisdem etiam causis Regibus subijcere. Respondeo, hanc exemptionem (vt dixi) esse de iure diuino negatiuè, quatenus ius diuinum nõ dedit Regibus spiritualẽ potestatem in clericos, vel Ecclesias, aut Ecclesiasticas causas. Vnde quoad hoc est prorsus immutabilis diuina institutio, fieri enim non potest, vt Rex ex vi suæ Regiæ potestatis ius dicere possit clerico in huiusmodi causis. Neque hoc potest per vllam dispensationem honestari, quia repugnantiam contra rationem naturalem inuoluit. Vnde etiam est iure diuino prohibitũ, ne quis per solam iurisdictionẽ Regiam sine altiori iurisdictione tale iudicium vsurpet, in hoc ergo dispensatio, aut limitatio non cadit.

Solutio.

12. Non est autem sic eodem diuino iure prohibitum, ne spiritualis iurisdictio laicis committatur, & ideò licèt canones hoc prohibeant, & regulariter non fiat

fiat etiam per vsitatam dispensationem, nihilominus de absoluta potestate Pontificis fieri non repugnat, vt cum communi sententia in libris de Censuris, & Legibus diximus. Et tradunt Panorm. Felin. & alij expositores communiter in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, de Constitutionib. Existimo autem, hoc esse intelligendum de iurisdictione delegata; vel in aliquo particulari casu; nam ordinarium regimen Ecclesiæ non existimo posse Regibus, aut laicis committi, quia iure diuino statutum est, vt per Episcopos gubernetur, vt Actorum 2. constat. Et ob eandem rationem existimo, fieri non posse, vt clerici in proprijs, & Ecclesiasticis rebus, & causis, sæcularibus Principibus ordinario iure subijciantur, etiam per B concessionem Pontificis: nam hoc modo multum everteretur ordinarium Ecclesiæ regimen à Christo institutum, & non potest habere iustam, & rationabilem causam, ob quam validè fieri posse videatur.

CAPVT III.

VTRVM PERSONAE ECCLESIASTICÆ à iurisdictione Principum etiam in rebus, & causis temporalibus eximi potuerint. & exemptæ sint?

C

1. IN hoc puncto est præcipua controuersia cum his schismaticis, qui licèt primatum Romani Pontificis non negent quoad spiritualem potestatem, nihilominus primatum in temporalibus tam ciuilibus, quàm criminalibus, etiam respectu clericorum Regibus temporalibus attribuunt, & ideò illud priùs generatim proponimus inquirendum, an sit talis exemptio, vt posteà originem, proprietates, & effectus eius speciatim declaremus. In quæstione autem proposita duo insinuantur, vnum est de potestate, id est, an potuerint clerici eximi à iurisdictione Regum in D rebus temporalibus, aliud est, an de facto exempti sint. Hæretici enim sectatores Marsilij Paduani, & Illiricus, alijque nouorum schismatum inuentores constanter negant, factam esse in Ecclesia eam clericorum exemptionem, quam Principes temporales supremi obseruare teneantur. Vt autem huius assertionis fundamentum aliquod inueniant, negant consequenter, potuisse fieri in Ecclesia talem exemptionem sine graui lapsu, & errore contra ius diuinum, & naturale. Quam rationem astruendi hunc errorem habuisse videntur quidam Paulus Seruita, & alij occulti scriptores contra libertatem Ecclesiasticam, qui ante paucos annos libellos quos- E dam contra Sedem Apostolicam sparserunt occasione Venetæ dissensionis omnibus notæ, eisque annumerandus videtur Barclaius, cui nouissimè Illustrissim. Bellarm. respondet: atq; hos etiam Rex Angliæ laudat, & imitatur.

2. Ad illud autem suum fundamentum persuadendum solum vtuntur illis testimonijs Scripturæ, in quibus Reges dicuntur ministri Dei, & eorum potestas à Deo esse dicitur, & ideò eorum obedientia præcipitur, tanquam iure naturæ necessaria, *propter conscientiam*, ad Roman. 13. Prouerbio. 8. cum similibus. Ex quibus hoc etiam principium tanquam certum statuunt, Reges à Deo immediatè habere potestatem, & curam impositam gubernandi omnes homines ditionis suæ. Ex quo tandem inferunt, exemptionem clericorum vniuscuiusque regni à suo Rege esse repugnantem legi diuinæ, ac naturali, ac propterea esse impossibilem. Hæc autem vltima illatio in hunc modum potest à nobis deduci, vt vmbram aliquam rationis habere videatur: nam hæc exemptio, vel potuit fieri à Deo ipso, vel ab aliquo homine; neutrum dici potest; ergo simpliciter introduci non potuit. Minor quoad priorem partem de Deo probatur, A tum quia Deus non est sibi contrarius; si ergo ipse præcepit Regibus, vt haberent curam omnium hominum, qui sub imperio suo nascuntur, & degunt, & his omnibus præcepit, vt suis Regibus obedirent, fieri non potest, vt Regibus potestatem in clericos subditos ademerit, vel (quod perinde est) vt clericos à Principum potestate exemerit. Tum etiam quia hæc exemptio est contraria iuri naturali, quod Paulus nos docuit; Deus autem vel omninò non potest dispensare in iure naturali, vel certè ordinaria potestate id non facit, maximè in lege gratiæ, & dispensatione adeò vniuersali.

Altera pars de homine probatur in primis ratio- 3
B ne vniuersali, quia multò minùs potest homo, quàm Deus, naturale ius euertere. Deinde vtor alio dilemmate, quia siquis hominum talem exemptionem facere potuisset, aut esset Papa, aut Imperator, seu Rex, aut Princeps quilibet supremus in suo territorio: nam si hi non possunt multò certè minus inferiores poterunt. Quòd autem Papa non potuerit hanc exemptionem clericis concedere, probatur, quia non potest Reges potestate sua priuare, neque *Regalibus prærogatiuis detrahere*, vt inquit Rex Angliæ. Nam eadem est ratio totius, & partis, si *Confirmatio.*
C ergo Papa non potest Regem aliquem Christianum tota sua iurisdictione priuare; ergo neque aliqua illius parte, præsertim adeo magna, & notabili, qualis esset *tertia hominum, & fundorum pars*, vt idem Rex conqueritur. Et confirmatur, quia non potest Papa exemptionem hanc concedere clericis respectu Principis ethnici, & non baptizati, si clerici sint illius subditi, vt verbi gratia nunc est in Iapone, vel China, ergo neque respectu Christianorum Principũ id facere potest. Probatur consequentia, quia Reges Christiani non sunt minus supremi in temporalibus quàm Reges ethnici, & quamuis demus, Christianos Principes esse subditos spiritualiter Summo Pontifici (quod Rex Angliæ, & Protestantes non admittunt) hoc nihil confert, vt eos possit sua tempo-
D rali iurisdictione priuare; in hoc ergo æquiparantur Principibus ethnicis, & nullo modo Ecclesiæ *Euasio.*
subditis. Dicet fortasse aliquis, hoc ad summum probare, non potuisse Pontifices hoc facere inuitis Regibus Christianis, ex consensu autem illorum potuisse. Sed hoc imprimis non sufficit ad repugnandum aduersarijs, nam inde schismatici inferent, ex- *Replica.*
emptionem clericorum non esse per se firmam, sed pendere semper ex consensu Principum, ac proinde pro eorundem arbitrio reuocari posse. Deinde Rex Angliæ dicet, se esse supremum in temporalibus, & nunquam consensisse, sed restitisse, non solũ se, sed
E etiam antecessores suos. Denique etiam videndum supereſt, an ipsimet Reges consentire potuerint, nam perinde est consentire, ac facere; probabimus autem Reges non potuisse hanc exemptionem concedere; ergo neq; ex illorum consensu potuerunt Pontifices illam introducere.

Quod igitur Rex temporalis non possit priuile- 4
gium talis exemptionis clericis sui regni concedere, vt illos faciat sibi non subditos, probatur in primis principio à Iurisperitis recepto, quod Principes non possunt, priuilegium concedere, quod directè sit contra Regiam dignitatem, quia non possunt illam
F minuere, aliquid ei detrahendo, quia neque in eorum vtilitatem principaliter creata est, neque illius absolutum dominium acceperunt, sed vt eam pro suis successoribus integram conseruarent. Nam ob hanc etiam causam non potest Summus Pontifex suam dignitatem minuere, nec priuilegium concedere, quo dignitati suæ aliquid detrahatur. Vnde intulit Nauar. in cap. *Nouit*, de Iudicijs, corolar. 69. numer. 166. nullum Regem posse regno, vel regniculis suis priuilegium concedere, vt neque, sibi, nec magistratibus suis parere teneantur. Quod & confirmat, tum quia tale priuilegium esset contra legem naturæ

dictantem, Principibus, & superioribus obediendum esse, tum etiam quia respublica ipsa, si in se retineret potestatem supremam à Deo sibi datam, non posset membrum aliquod reipublicæ à lege sibi obediendi eximere, quia nō posset se abdicare illa naturali potestate, quam à natura accepit in ciues suos, manente eadem relatione, & vnione ciuium cum ciuitate, seu membrorum cum corpore; ergo neque nunc Rex potest id facere, cùm potestas eius eadem sit, quæ in republica præcessit, & in eum translata fuit.

5 *Confirmatio.*

Possummus denique nos hoc confirmare exemplo adducto de Summo Pontifice, qui non potest aliquem hominem baptizatum à sua iurisdictione ita eximere, vt sibi parere non teneatur: nam idem dicēdum videtur in Rege temporali, quia ita comparatur ad regnum suum, & personas eius in regimine temporali, sicut Papa ad Ecclesiam in spirituali. Ratio autem vtrique communis est, quia Deus tam Regi, quàm Pontifici commisit curam subditorum, ac præcepit, vt eis ius dicerent, & in officio continerēt, iniquos puniendo, & bonos defendendo; ergo non potest Rex personas sibi à Deo commissas eximere, & liberas relinquere, quia hoc esset contra diuinam institutionem, & contra sui muneris naturalem obligationem. Et hoc est, quod Rex Angliæ, & alij contēdunt, quando dicunt, hanc exemptionem esse contra ius naturale. Tandem confirmatur hæc pars simul cum præcedenti, quia talis exemptio non esset in ædificationem, sed in detrimentum Ecclesiæ; ergo neque à Rege, neq; à Pontifice introduci potuit. Quam rationem intendisse videtur Rex Angliæ, cùm Principes monet, vt recogitent, *quantum spinarum, & tribulorum* (inquit) *in mediis vestris ditionibus relinquitur, cùm asseratur tam potens hominum factio sub imperijs vestris nasci, educari, opinisq; prædijs frui posse, quæ à vestra potestate immunis sit, nec vllo iure vestris legibus, iudicijsque subiecta.* Sequi autem hoc incommodum ostendere conatur Paulus ille Venetus, quia cùm Prælati Ecclesiastici non possint in subditos gladio materiali vti, eos pœna mortis mulctando, inde fit, vt vitia, & peccata in Ecclesia augeantur. Vnde concludit, hanc libertatem, quam Ecclesiastici prætendunt, nihil aliud esse, quam peccandi libertatem.

6 *Vera, & catholica sententia.*

Nihilominus vera, & catholica sententia est, clericos iustè potuisse à iurisdictione temporalium Principum eximi. Hæc assertio quatenus authoritate Ecclesiæ fundanda est, pendet ex facto, de quo nondum dictum est, & ideo priùs ostendemus veritatem ipsam de possibili, postea ex facto certitudinem eius probabimus. Dicimus ergo, exemptionem hanc iustè fieri potuisse tribus modis in argumentando tactis, videlicet, à Deo, & à Pontifice, & ab Imperatore, seu Regibus. Et quidem prima pars adeò est euidens, vt à nemine possit sine magna cæcitate, & impietate negari: nam Deus est absolutus Dominus, vitæ, & mortis, ac libertatis humanæ; ergo iustissimè sua potestate, & iure vtendo, potest quemlibet hominem alterius seruum, vel dominum efficere, & subditum, vel superiorem, & similiter potest quemcumque hominem proprio dominio, aut potestate priuare, & prout libuerit alteri eam donare. Et ideò dixit Daniel cap. 2. *Sit nomen Domini benedictum à sæculo, & vsque in sæculum, quia sapientia, & fortitudo eius sunt, & ipse mutat tempora, & ætates; transfert regna, & constituit.* Ergo eadem facilitate potuit transferre clericos sub potestatem Pontificis, auferendo Regibus potestatem, quam in illas personas habere poterant, & illam Pontifici conferendo.

Probatur primum.

7 *Soluitur ratio cōtra dictū cōcessionis modum.*

Neque ratio, quæ in contrarium fiebat vllius est momenti, quia per huiusmodi exemptionem, mutationem, seu translationem nullam mutationem in ipso Deo fieri necesse est, manens enim ipse immutatus, mutat imperia, & humanarum rerum status, & ita in ipsa Ecclesia pro diuersis temporibus distinctos esse voluit gubernationis modos iuxta consilium voluntatis suæ sine vlla eiusdem voluntatis mutatione, aut contrarietate. Nam licèt Deus alicui regnum, vel aliam potestatem tribuat, non cogitur perpetuò illam conseruare, sed iuxta suæ prouidentiæ rationem potest illam auferre, & alteri donare, non quia priorem voluntatem retractet, sed quia à principio sub ea lege, & conditione, ac dependentia à sua voluntate omnia disposuit. Nec denique in hoc negotio interuenit aliqua dispensatio in iure naturali, sed solùm quædam mutatio in materia eius, quæ non solùm à Deo, sed etiam per hominem fieri potest vt alibi à me latius dictum est, & statim etiam attingam.

8. *Per clarum exemplum Reges priuilegium in ipsos.*

Vnde duo hic breuiter distinguenda sunt, quæ aduersarij confundunt, vt tenebris rem inuoluant, cùm tamen res sit clarissima, & cuilibet mediocriter docto manifesta. Aliud est enim eximere aliquem ab obedientia alicuius, auferendo ab alio iurisdictionem, seu omne ius superioris circa talem personam, etiam si circa alias potestatem retineat. Aliud verò est, conferendo in Principe, vel Prælato eandem iurisdictionem in talem personam, idemque ius præcipiendi, nihilominus auferre à subdito obligationem parendi. Exemptio igitur explicata in hoc posteriori sensu (quem Theologico more compositum appellare possumus) verissimè dicitur, esse contra ius naturale quoad hoc indispēsabile, quia inuoluit apertam repugnantiam, & contradictionem etiam in ipsa diuina voluntate. Nam inde fieret, Deum simul velle vt superior possit verè præcipere, ac proinde subditum efficaciter obligare, & vt nihilominus possit subditus licitè non obedire, & consequenter, vt simul sit subditus, & non subditus; itemque vt sit bellum iustum ex vtraque parte, non in ignorantia, sed in re ipsa fundatum, quæ est intolerabilis, & incredibilis perplexitas. Quis autem vnquā exemptionem clericorum ita intellexit? nullus profectò, qui sanæ mentis sit. Alter igitur modus exemptionis non solùm possibilis, sed etiam facillimus; imò & quotidianus est in his potestatibus, quæ ab hominibus dantur, & ab eisdem auferri, aut limitari possunt. Sic enim eximit Rex aliquem nobilem à iurisdictione inferioris Magistratus, & Pontifex eximit religiosum à iurisdictione Episcopi. Ita ergo eximere potuit Deus clericos à iurisdictione Regum sine vlla dispensatione in lege naturali, quia nulla est lex naturalis, quæ præcipiat, vt Reges in clericos, vel omnes incolas suorum regnorum iurisdictionem habeant: sed potiùs cùm Reges sint Dei ministri, & ab ipso habeant potestatem in quoslibet subditos, ipsa ratio naturalis dictat, posse Deum potestatem illam minuere, & ab illa quos libuerit ex subditis eximere.

9. *Probatur secundum.*

Altera pars erat, non esse impossibile, neque contra rationem naturalem, hanc exemptionem à Summo Pontifice efficaciter fieri, ita vt iusta sit, & valida, ideoque sæculares Principes eam admittere, & seruare teneantur. Quæ pars propriam disputationem postulat, quam capit. 11. trademus, vbi authoritate, & ratione illam directè ostendemus, nunc ergo solùm declaranda est, vt constet, nullam habere repugnantiam. Duobus ergo modis intelligi potest, Pontificem hanc libertatem clericis conferre, primò potestate humana, seu merè naturali, secundò potestate aliquo modo diuina, id est, supernaturali, & diuinitùs data. Priori modo fatemur, Pontificem non potuisse hanc exemptionem introducere, hoc enim saltem probat ratio facta, quòd non possit Pontifex iure humano, vel potestate naturali, seu acquisita Regum potestatem auferre, seu minuere, cùm illi sint supremi in suo ordine, & secundum naturalem potestatem ei non subijciantur.

Dicet

obiectio. Dicet fortè aliquis titulum præscriptionis humanum esse, ac naturalem, potuisse autem Pontificem vsu præscribere hoc ius cõtra temporales Principes, eximendi clericos ab eorum potestate. Respondetur, hunc titulum non habere locum in præsenti materia, neque in illo fundari Pontifices, vt interdum Rex Angliæ existimasse videtur, & in suis verbis indicat. Ratio verò reddi potest, vel generalis quia illa, quæ sunt de intrinseca ratione supremæ potestatis non possunt contra supremum Principem præscribi, vt est communis sententia Iuristarum cum Bartholo in l. *In omnibus*, ff. de Diuersis, & temporalibus præscriptionibus, & Panormitanus in cap. *Cum nobis*. de Præscript. & alijs, quos refert Couar. in Practicis cap. 4. & in Regula *Possessor*. p. 2. §. 2. nu. 8. Vel potest esse ratio peculiaris, & propria, quia exemptio clericorum secluſa concessione, seu voluntate ipsorum sæcularium Principum non posset sola humana ratione, aut titulo iustè inchoari, seu bona fide, & ideò necesse est, vt potestas non procedat ab vsu, sed potius è contrario vsus legitimus supponat potestatem, & ab illa inchoetur.

Responsio.

A

B

Oportet ergò, vt hæc potestas sit supernaturalis, & à Christo specialiter indita; hoc autem modo euidens est, non repugnare, quòd Christus dederit Vicario suo hanc potestatem per quandam participationem eius dominij, & potentiæ, quæ in ipso est per essentiam, vel excellentiam. Quid est enim, cur hoc fieri non potuerit? aut quæ deformitas aut malitia contra rationem naturalem in hoc excogitari potest? Concessa enim Pontifici tali potestate, per illam constituitur superior Regibus tanquam minister Dei superioris ordinis, & ideò exemptio facta per huiusmodi potestatem erit quidem supra merum ius naturæ, non tamen contra illud. Neque in hoc video esse posse quæstionem, sed solùm in hoc, an Christus de facto hanc potestatem Pontifici dederit, quam quæstionem in citato loco tractabimus, & ibi ex professo respondebimus obiectionibus circa hoc punctum supra propositis, nam eò præcipuè tendunt, vt ostendant, de facto non esse datam Pontifici hanc potestatem. Nunc ergo breuiter dicimus, argumenta illa solùm probare, Pontificem non posse hanc exemptionem conferre clericis per directam potestatem, quam in tẽporalibus habeat suprà Reges terræ, non tamen probare, hoc excedere potestatem spiritualem eius, quatenus per eam est superior Regibus temporalibus, saltem indirectè, & in ordine ad spiritualia, quæ potestas etiam supra Reges ethnicos in multis casibus locum habet, vt superiori libro ostensum est. Quomodo verò hæc potestas indirecta ad effectum exemptionis sufficiat, in dicto loco videbimus.

11. C

Pontifex per suã indirectã in Reges potestatẽ potest clericos eximere.

D

E

Tertia pars supra posita fuit de Regibus temporalibus, de quibus dicimus potuisse licitè iuri suo renunciare, & quamuis nulla superiori virtute aut potestate cogerentur, potuisse abdicare se iurisdictione temporali, quam habebant in clericos, eamque in Pontificem Romanum, vel alios Ecclesiasticos Prælatos transferre. Hanc partem tanquam certam supponunt multa iura ciuilia, & canonica, & communiter eorum interpretes, ac Doctores Theologi, vt in sequentibus capitulis latè referemus. Ratio autem aperta est, quia Rex supremus est verus Dominus, & habet liberam potestatem vtendi sua iurisdictione quocunque modo, neque intrinsecè malo, neque sibi prohibito: sed actus eximendi clericos à iurisdictione laica, est actus dominij, & eiusdem iurisdictionis voluntariæ, qui nec fuit Regibus prohibitus, nec est intrinsecè malus: ergo potuit validè, & licitè fieri à quocunque Rege supremo. Consequentia optima est, & legitima. Maiorem etiam non negabit Rex Angliæ, est enim Regibus fauorabilis, & quidem merito, nam est res clara, & euidens ex dictis suprà de Regia potestate. Quamuis enim Rex non

12

Probatur tertium.

F

fit, ita factus reipublicæ dominus, vt possit ad libitum sua potestate vti, & omnia in vtilitatem suam conuertere, nihilominus verus est Dominus, quatenus verum, & proprium ius habet præcipiendi, iudicandi, gubernandi, & disponendi circa res sui regni in communem vtilitatem, & ita Iuristæ hoc vocant dominium iurisdictionis; quod in supremo Principe habet per se, & in genere suo independentiam ab omni alio superiore infra Deum, & ideò habet amplissimam, & liberam facultatem ad omnem vsum non prohibitum, seu rectæ rationi non repugnantem.

Supereſt ergo, vt talem esse probemus concessionem exemptionis, de qua tractamus. Illa enim quidam vsus est supremæ iurisdictionis, nam (vt dixi) exemptio priuilegium quoddam est, concessio autem priuilegij actus est iurisdictionis voluntariæ, vt in lib. 8. de Legib. latè tractauimus. Rectè ergo dictum est, exemptionem hanc esse vsum voluntariæ iurisdictionis, quam oportet esse supremam in suo ordine, vt possit etiam à se ipso supremus Princeps priuilegiatum eximere. Alia etiam ratione dici potest hic actus vsus iurisdictionis, quia est quædam iurisdictionis donatio, nemo enim dare potest iurisdictionem, nisi qui illam habet. Est autem peculiare in hoc modo concedendi iurisdictionem, qui per hanc exemptionem fit, vt Princeps, qui illam alteri concedit, se ipsum illa priuet, quia etiam à sua potestate subditum eximit: quod non inuenitur in alijs modis delegandi, vel committendi iurisdictionem, nec in exemptione ab inferiori magistratu, quam Princeps concedit. Vnde si illa exemptio consideretur, vt est iurisdictionis collatio, actus iurisdictionis rectè appellatur: si verò vt abdicatio proprij iuris spectetur, magis videtur esse actus dominij, & liberalitatis: sub vtraque autem ratione optimè cadit in supremum gubernatorem, & Dominum. Quòd ergo hic vsus iurisdictionis suæ non sit prohibitus supremo Principi lege positiua, manifestum est, quia non habet superiorem à quo lex illa ferri potuerit. Supponimus enim, illam legem non esse positiuam diuinam, nullibi enim lata est, aut ostendi potest. Deinde etiam, non esse canonicam tanquam per se notum sumimus. Et ideò de solo directè superiore loquimur, cùm negamus, Regem habere superiorem, à quo lex illa ferri potuerit, quia deberet esse lex humana, & ciuilis, quæ à solo Principe directè superiore in tẽporalibus fieri poterat. Neque fingi potest lata ab ipsomet Rege, quia non potest supremus Princeps se per se primo sua lege obligare, sed ad summum per quandam consecutionem, quando lex communitati imposita similem obligandi rationem habet in Principe: hæc autem lex, si daretur, non communitati, sed soli Principi imponeretur, ideoque non potest ab eodemmet Principe ferri. Nec denique fingi potest, quòd sit lex à republica lata: nam postquam respublica potestatem suam in Regẽ transtulit, illo est inferior, vt illum non possit positiuis legibus obligare.

13. *Exẽptio est actus voluntariæ iurisdictionis.*

Solùm ostendendum supereſt, illum vsum non esse per se, & intrinsecè malum, seu quod perinde est, priuilegium illud non esse cõtra iustitiam, vel naturalem rationem. Quod quidem per se euidens videtur, quia est in fauorem fidei, & religionis, & nulli nocet, nec præiudicat, nisi ipsimet Principi concedenti priuilegium, quod voluntariè facere potest, & pie, si propter dictum finem, & sine alicuius nocumento id faciat. Declaratur præterea in hunc modum, quia vel vsus ille est per se malus, quia est cõtra pactum cum republica initum, cùm primum in Regẽ transtulit potestatem suã, vel quia est contra naturalem legem iustitiæ, qua Rex tenetur habere curam suorum subditorum, seu incolarum omnium regni sui, iuxta exigentiam sui muneris, quod à republica accepit; vtrumq; autem sine fundamento excogitatur,

14. *Exẽptio Clericorũ nec iustitiæ nec rationi naturali repugnat*

gitatur, facillimeq; excludi potest; nulla est ergo vera ratio intrinsecæ militiæ in tali priuilegio.

25 Prior pars minoris probatur, quia gratis fingitur tale pactum inter rempublicam, & Regem, nimirū, quòd respublica suam potestatem sub ea conditione, seu limitatione in Regem transtulerit, vt non posset tale priuilegium exemptionis aliquibus ciuibus cōcedere. Vnde enim probari potest talis conditio, aut quòd illius signum ostendi potest? Præterea ipsamet respublica non habebat potestatem suam ita limitatam, quia non ex aliquo pacto simili, sed à Deo ipso illam recepit quasi congenitam cùm natura, & sub ea tantùm conditione, vt illa iustè, & secundùm rectam rationem vteretur; ergo eodem modo illam in Regem transtulit, & quidquid aliud fingitur voluntarium, & impertinens est. Præsertim quia si humana respublica consideretur in statu legis naturæ, in quo se ipsam regere posset per rationem rectam, vel naturalem tantùm, vel fide illustratam; potuisset & temporales Reges sibi, & Sacerdotes ad Dei cultum peculiariter dicatos, iustituere: Sacerdotesque à Regum potestate eximere, & sub aliquo gubernatore in suo ordine supremo eos constituere; in hoc enim genere institutionis nulla est repugnantia, vel deformitas; ergo etiam Rex, quamuis simpliciter totam potestatē à republica receperit, posset postea simile priuilegium Sacerdotibus concedere; ergo supernaculeum est fingere pactum illud, & cōditionem, seu limitationem sibi à republica impositam, cùm ad conuenientem reipublicæ gubernationem necessaria non sit. Quin potiùs talis conditio, si extendatur, vt locum habeat etiam respectu Sacerdotum, seu Pontificum supernaturali modo à Christo institutorum, sic neque venire poterat in mentem humanæ reipublicæ secundum se spectatæ, & contra rationem, & publicam honestatem esset, & ideò nullius momenti, vel valoris foret. Igitur ex hoc capite non est ligata potestas Regum, quominus rectè, & validè priuilegium hoc clericis dare potuerint, etiam si aliunde illud non haberent.

26 Atque inde tandem facilè probatur alterum mēbrum, nimirum priuilegium hoc non esse contra naturalem legem iustitiæ, qua Rex tenetur curam omnium ciuium habere, vt conuenienter gubernentur. Nam Rex concedendo hoc priuilegium, non omittit hanc curam, sed altiori, & conuenientiori modo illi prouidet. Vnde duobus modis cogitari potest, Regem aliquem sibi subditum à sua iurisdictione eximere. Primò abdicando à se omnem potestatem, & iurisdictionem circa illum, & nulli alteri illum subijciendo, sed omnino vagum, vt sic dicam, & absque lege, & gubernatore illum relinquendo. Et hūc modum priuilegij fatemur esse inordinatissimum, & intrinsecè malū, quia est bonis moribus contrarium, & ex se communitati reipublicæ valdè perniciosum. Non est autem huiusmodi clericorum exemptio, vt nunc supponimus. Alio modo potest Rex eximere subditum à sua iurisdictione, potestatem in eum alteri tribuendo, vel relinquendo; & hic modus malus non est, sed potest habere conuenientem rationem, quia per se non repugnat bonis moribus subditorum, quia non relinquuntur sine sufficienti gubernatore, & aliunde potest esse magis decens, magisq; ad commune bonum conueniens, propter peculiarem statum aliquorum ciuium. Talis autem est exemptio clericorum, vt infrà probabimus; ergo illam concedere, non fuit contra bonum vsum Regiæ iurisdictionis, & potestatis, ac proinde nec rationi naturali repugnat tale priuilegium, nec excedit supremi Principis potestatem.

Ita aliquem eximere, vt nulli subijcia tur, intrinsecè malū est.

17 Neque etiam contra hoc obstant argumenta, quæ suprà tertio loco proposita sunt. Quod enim in primo dicitur, non posse Principem suam iurisdictionem, seu potestatem minuere, eam alteri communi-

Soluūtur argumētacōtra hāc exceptionis modum.

A cando; non est in vniuersum verum, quando talis diuisio, vel communicatio iurisdictionis ad bonū reipublicæ conueniens iudicatur, quia potestas illa de se mutabilis est, & ad commune bonum reipublicæ ordinatur, & ideò nulli iuri repugnat, quòd in illa fiat huiusmodi mutatio. Præsertim, quia per tale priuilegium non priuatur respublica tali iurisdictione in se, & in omnibus suis membris, sed ab vno in aliud transfertur, quod multis de causis fieri potest, vt cōstat. Neque in hoc est æquiparatio cum iurisdictione Summi Pontificis admittenda, quia dignitas Pontificia altiorem habet institutionem, ratione cuius immutabilis est, vt in superioribus dixi, & ideò fieri non potest, vt baptizatus aliquis ab ea eximatur, cum
B iure diuino illi subiectus sit, quod secus in potestate Regia, quæ simpliciter, & proximè est ex institutione humana. Quod autem Nauarrus, & aliqui Iuristæ dicunt, non posse Regem, aliquem à sua obedientia eximere, intelligendum est de exemptione merè priuatiua, id est, quæ subditum sine lege, & gubernatore relinquat, non verò de exemptione transferēte iurisdictionem in alium, vt declaratum est. Et hoc ipsum confirmat exēplum de ipsamet republica, quod Nauar. adduxit, vt etiam ex dictis constat.

Ad confirmationem.

Ad vltimam confirmationem respondeo, impiam & blasphemam esse vocem illam noui Pauli Veneti, libertatem Ecclesiasticam clericorum nihil aliud esse, quàm libertatem, seu licentiam peccandi; nam libertas, quam Pontifices docuerunt & sacri canones defendunt, & pro qua multi Sancti Pontifices vsque ad sanguinem decertarunt, & Imperatores, & Catholici Reges piè, ac fideliter cum vniuersa Ecclesia receperunt, & laudarunt, non est licentia liberè, aut impunè peccandi, sed est veneratio quædam Ecclesiastici ordinis, & conueniens iurisdictionum distributio, vt omnia in Ecclesia ordinatè, ac decenter fiant. Neque argumentum Pauli est alicuius momenti. Primò, quia iudex Ecclesiasticus, vel Pontifex potest pœnam corporalem etiam mortis imponere, licèt ob decentiam, & lenitatem per se ipsum id non faciat. vt significauit Innocentius in cap. *, de Maiorit. & obedi. & ibidem Baldus, & notat Bernardus Diaz in Practic. crimina. cap. 61. & Couarru. libro 2. Variar. cap. 20. num. 10. vbi ad hoc expendit cap. 1. de Homicid. in 6. vbi Pontifex imponit pœnam diffidationis propter homicidium per assassinos perpetratum, quæ diffidatio pœnam mortis virtute includit, vt ibi declarat. Vnde quòd iudex Ecclesiasticus per se ipsum non vtatur gladio, nec per se proferat sententiam sanguinis, non est, quia non possit, saltem Pontifex, vel qui ab eo singularem potestatem receperit, sed quia non decet. Nihilominus tamen quando grauitas delicti postulat, Ecclesiasticus iudex reum clericum brachio sæculari tradit, vt per eum iuxta rigorē legum puniatur; ergo ex hac parte non datur clericis impunitas in similibus delictis perpetrādis. Deinde extra casum pœnæ mortis possunt clerici (vt notat Panormit. in cap. *Cum non ab homine*, de Iudic. numero 26.) ab Ecclesia grauissimis pœnis affici, damnantur enim interdum ad perpetuum carcerem, & adeò arctum, vt mors potiùs diuturna cēseri possit, quàm vita, vt sumitur ex cap. *Nouimus.* §. 1. de Verbor. signifi. Deinde etiam est satis grauis pœna diuturnum, & onerosum exilium, damnatio ad triremes, fustigatio grauis, & aliæ similes.

Ecclesiasticum iudex potest pœnā mortis imponere.

Ac deniq; quāuis fortasse ex maiori benignitate, 19
& lenitate Ecclesiastici iudicij nonnulli praui homines sumant occasionē peccandi, non ideò damnabile est priuilegium exemptionis Ecclesiasticę, quia illud per accidens est, & contra intētionem Ecclesiæ, & multò maiora, & necessaria commoda ex illo sequūtur, vt infra ostendemus, nullumq; bonū est, quo prāui homines non interdum male vtātur, neq; propterea damnandū est. Sicut in ipso sęculari iudicio inter laicos fit aliqua discretio, nam qui nobiles sunt à gra

uiori-

rioribus tormentis, & infamibus pœnis per priuilegium nobilitatis eximuntur, quo multi illorum ad licentiam peccandi abutuntur, & ob eam causam priuilegium ipsum non reprobatur, sed qui male illo vtuntur digni censentur illo priuari; cur ergo non idem cum proportione dicetur de libertate Ecclesiastica? cùm clericalis ordo ex genere suo in altiori gradu dignitatis, & nobilitatis constitutus sit.

20 Vltimo ergo concludimus, exemptionem clericorum non solum potuisse iustè concedi, sed etiam de facto esse sanctè concessam, & in Ecclesia esse antiquissimam. Quam assertionem non solùm veram, & piam, sed etiam catholicam esse credimus, ità vt absque errore in fide negari non possit. Quia verò in discursu huius libri latè tractanda, & confirmanda est, eam nunc breuiter sic probamus. Nam in primis hanc exemptionem seruandam esse in Ecclesia docuerunt, & præceperunt Pontifices, & Concilia ferè ab initio Ecclesiæ vsque ad præsentem diem, vt constat ex Alexandro.1. epist. ad omnes Orthodoxos, qui sedit ann. 109. testaturque à temporibus Apostolorum id obseruatum fuisse, quod postea etiam præcepit Caius Papa epist. ad Felicem Episcopum ann. 283. & Marcellinus epist.2. ad Vniuersos Episcopos Orientis ann. 296. Syluester Papa in quodam Concilio Romano, quod sub illo primum ordine ponitur, canon. 4. ann. 314. Gelas. apud Gratianum in cap. *Christianis*, & cap. *Syluester*. 11.q.1. & Bonifacius.5. in epist. ad Episcopos Galliæ, vt refert Gratianus suprà in cap. *Nullus*.3. nam in originali non inuenitur, & magis videtur caput illud desumptum ex Authentica *Nullus*. C. de Episcopis, & Clericis. Idem tradit Gregor. quem Gratianus ibidem refert ex lib.9. Epistolar. indict.4. epist.32. ad Romanum defensorem Siciliæ, & idem habet in epist.74. ad Bonifaci. defensorem Corsicæ, vbi sic ait: *Peruenit ad nos, quòd quidam clericorum te illic posito, à laicis teneantur. Quod si ita est, tuæ hoc culpæ notoris reputari, quia hoc fieri, si homo esses, non debuit. Et ideo de cætero solicitudinem te habere necesse est, vt hoc fieri non permittas, sed si quis contra aliquem clericum causam habuerit, Episcopum ipsius adeat, &c.* Omitto posteriores Pontifices, quia de illis res est manifesta, & apparet ex vsu quotannis promulgandi Bullam cœnæ Domini.

Vltima assertio. Exemptio clericorum antiqua, & sancta.

Probatur.

C. Peruenit. 11.q.1.

21 Addo duos antiquiores, & grauissimos testes, quos Gratianus prætermisit, vnus est Leo I. in epist. 96. ad Episcopos, & presbyteros Thraciæ, cuius sunt verba notanda: *Tanta sæculi potestates circa sacerdotalem ordinem reuerentia præualere, etiam hi, quos sub imperiali nomine terris diuina potentia præesse præcepit, vt ius distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis, iuxta diualia constituta permiserint. Quod cùm & iuris antiqui formulis, & illibatis frequentius sit legibus confirmatum, præsenti tamen tempore à plerisq; inuenimus fuisse calcatum. Nam prætermisso sacerdotali iudicio, passim ad examen sæculare transiere. Quo circa nobis visum est, vt hanc & sacræ legis, & nostri ordinis contumeliam, & ad præsens vlciscetur plena districtio, & obseruandam formulam constitueret in futurũ, &cæt.* Alter est Telesphorus Papa 9. à Petro, qui in sua Epistola ad omnes fideles sic inquit: *Discreta esse debet vita clericorum à laicorum conuersatione, & sicut laici, & seculares homines nolunt eos recipere in accusationibus, & infamationibus suis, ita nec clerici debent eos recipere in impulsationibus suis.* Ostendens per hæc verba, quanta iam tunc fuerit distinctio inter vtrumque forum.

22 Multa præterea sacra Concilia generalia, & prouincialia, antiqua, & recentiora, clericos non à laicis, sed ab Episcopis, vel à Concilijs prouincialibus iudicandos esse tradiderunt, vt constat ex Concilio Chalcedonensi acti.15.ca.9. & ex Carthaginen.3. antea coacto ann.397.c.9. vbi inter alia dicitur, male de

A Ecclesia sentire clericum, qui de iudicio sæculari petit auxilium. Et in cap.38. petitur facultas ab eodem Concilio ad implorandum brachium sæculare contra quendam incorrigibilem Episcopum, & respondet Aurelius consentientibus alijs, hoc non esse contra formam disciplinæ, quando clericus admonitus contumax fuerit, & contempserit. Et in Concilio Toletan.3. cap. 13. puniuntur clerici deferentes iudicia Ecclesiastica, & ad sæcularia euntes. Idemque habetur in Concilio Agathensi tempore Symmachi ca.8. & 32. Aureli.3. cap 31. Mileuit. c. 19. Matisc on.1. cap.8. & 32. & latiùs Matisc on. 2. cap.9. & 10. vbi notanda sunt illa verba. *Reuerendissimi canones, atq; sa-*
B *cratissimæ leges de Episcopali audientia in ipso pene Christianitatis principio sententiam protulerunt? tamen quia eadem postposita, humana in sacerdotes Dei grassatur temeritas, &c.* Quæ verba sunt valde notanda tum pro exemptionis antiquitate, tum quia in eis insinuatur, illam magis esse per canones & leges declaratam, atq; defensam, quàm institutam: hoc enim ille modus loquendi indicat. *Pro episcopali audientia protulisse sententiam.*

Idem refertur ex Concilio Parisiensi in c.2. de Foro competent. & ex Concilio Lateranen. sub Alexandr.3. in cap. *Si clericus*, eodem tit. in quo multa sunt decreta de distinctione vtriusque fori, & plura in cap. *Qualiter, & quando*, & cap. *Clerici*, & cap. 23
C *Cum non ab homine*, de Iudicijs. Deinde in Concilio Colonien si.1.p.9.c.20. dicitur, *hanc immunitatem esse antiquissimam*, & in Concilio Lateran. sub Leone X. sess.9. in Bulla reformationis, innouantur omnes sãctiones Apostolicæ in fauorem libertatis Ecclesiasticæ, *Cùm à iure* (inquit) *tam diuino, quam humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit.* Ac denique Concilium Trident. sess.25. cap.20. de Reform. sic inquit: *Decernit, & præcipit sancta Synodus, sacros canones, & Concilia generalia omnia, nec nõ alias sanctiones Ecclesiasticas in fauorem Ecclesiasticarum personarum, ac libertatis Ecclesiasticæ, & contra*
D *eius violatores editas, quæ omnia præsenti etiam decreto innouat, exactè ab omnibus obseruari debere.* Atque his canonicis decretis concordant iura ciuilia, quæ posteà referemus.

Ex his ergo testimonijs euidenter concluditur, datum esse in Ecclesia Christi clericis priuilegium ex- 24
emptionis à potestate sæculari. Nam impossibile est, *De facto fuisse clericis exemptionem concessam concluditur.*
tot Pontifices sanctos, & sapientes, quorum multi etiam Martyres fuerunt, & tot Concilia Ecclesiam in hoc decepisse. Vnde etiam est incredibile, clericos contra Imperatores, & Reges priuilegium hoc pertyrannidem, vel iniuriam vsurpasse. Imò de fide cer-
E tum esse debet, institutionem, & obseruationem huius priuilegij honestam, & sanctam fuisse, & esse. Quod in hunc modum ex principijs fidei, & citatis testimonijs colligitur. Quia de fide est, Ecclesiam non posse errare in præceptis morum, quæ vniuersali authoritate Pontificum, aut Conciliorum generalium obseruari præcipiũtur, sed in Ecclesia per multas leges canonicas, & vniuersales approbatur hoc priuilegium exemptionis clericorum, & obseruari præcipitur, & nouissimè innouantur, & confirmantur à Concilio Tridentino loco citato; ergo de fide certum est, tam hoc Concilium, quàm superiora de-
F creta in hoc puncto non errasse; ergo eodem modo est de fide certum, & priuilegium hoc iustum, ac validum esse, & conuenienter institutum. Quibus autem rationibus concessum sit, in sequentibus videbimus, inuestigando, quo iure fuerit introductum. Nam ex dictis in hoc capite constat, tribus modis dari potuisse, scilicet, diuino, canonico, & ciuili, & ideò à quo illorum emanauerit, inquirendum superest.

CAPVT IV.

VTRVM SVMMVS PONTIFEX OMNI iure diuino, & humano ab omni iurisdictione sæcularium Principum exemptus sit.

1 QVamuis priuilegium exemptionis commune sit Summo Pontifici cum reliquis clericis, cùm ipse non solum clericus sit, sed etiam clericorum, & totius Ecclesiæ Princeps, & caput: tamen quia in illo propter singularem eminentiam notior est talis priuilegij origo, & quia illius cognitio parare potest viam ad inuestigandam originem immunitatis aliorum Ecclesiasticorum, ideò priùs de Papa in particulari sermonem instituimus. De quo etiam hæretici non negant, nunc de facto exemptum esse ab omni sæculari potestate, quia ipse cum Pontificatu coniunctum habet temporale regnum, in quo superiorem non recognoscit, quia verò regnum istud non à Deo immediatè, sed hominum deuotione, vel alio simili humano titulo consequutus est, ideò talis exemptio non est per se coniuncta cum Pontificia dignitate, nec ex diuino iure, sed ex humano ducit originem, vel certè suppositio tali statu temporalis Principis ex natura rei sequitur, sicut in alijs Regibus, qui exempti sunt ex vi sui status, quia non habent superiorem. Vnde ad respondendum quæstioni propositæ, præscindenda est Regia dignitas à persona Pontificis, & solùm vt Pontifex considerandus est, sicut fuerunt Petrus, & successores eius ante Constantinum.

Sensus quæstionis.

2 Sic ergo tam Protestantes, quàm Rex Angliæ negabunt planè, habere Pontificem Romanum hanc exemptionem. Vel quia non plus esse credunt, quàm priuatum quendam Episcopum, vel ad summum Patriarcham; de omnibus autem Episcopis, & Archiepiscopis censent esse subditos suis Regibus in temporalibus. Vel certè quia Pontifex neque iure diuino exemptus est, vt patet in Petro, & cæteris Apostolis, quibus nunquam Christus tale priuilegium concessit: neque iure canonico, quia non potest Pontifex hoc priuilegium sola sua authoritate sumere; ius autem canonicum Pontificia authoritate præcipuè nititur. In iure autem ciuili nihil singulare legitur de Pontifice Romano magis, quam de cæteris. Vnde etiam inter catholicos Palatius in 4. dist. 25. asserere ausus est, Papam non esse exemptum à potestate ciuili iure diuino, vel canonico, sed iure tantùm ciuili, seu ex priuilegio Imperatorum. Nam idem sentit de alijs Ecclesiasticis, & nihil singulare Pontifici quoad hoc priuilegium attribuit. Verumtamen hæc sententia quatenus totum hoc priuilegium reuocat in solam donationem Imperatorum, etiam de alijs clericis Summo Pontifice inferioribus pernicioſa est, & minimè probanda, vt infrà ostendam: de Summo autem Pontifice omnino reprobanda, & minimè toleranda est.

Error Protestantium.

Opinio Palatij minimè permittenda.

3 Dicendum ergo est, Summum Pontificem ex diuino iure habere exemptionem, & immunitatem ab omni iudicio, ac iurisdictione sæculari, etiam Imperatorum, & Regum. Hanc assertionem tenent in primis omnes catholici Doctores, qui generaliter affirmant, exemptionem hanc in toto Ecclesiastico statu esse de iure diuino quos ca. 8. referemus. Præter eos verò, qui de inferioribus, vel id negant, vel dubij sunt, de Summo Pontifice propter eius singularem dignitatem id ingenue fatetur Soto lib. 5. de Iustit. q. 4. art. 1. idem sentit Bannes 2. 2. q. 67. ar. 1. dub. 2. & sumitur ex Caietano eodem loco, & tom. 1. Opuscul. tract. 1. de Potest. Papæ, & Concilij cap. 27. ad 2. expresiùs id notant, & probant Turrecre. lib. 2. summ. cap. 93. & Bellarm. lib. 2. de Sum. Pontif. c. 26. sequitur Molina 1. tom. de Iustit. disp. 31. Valentia. 3. p. disp. 5.

Prima conclusio.

A q. 11. punct. 1. Henricus lib. 7. de Indulgent. cap. 24. & Driedo lib. 1. de Libert. Christian. c. 9. circa medium. & cap. 15. circa finem.

Probarique generatim potest hæc assertio ex iure canonico, quatenus in eo simpliciter asseritur. Papam non habere superiorem in terris, à quo possit iudicari, aut cogi. Ita tradit Concilium Romanum sub Syluestro can. 20. *Nemo* (inquit) *iudicabit primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede iustitiam desiderant temperari.* Et ne quis existimet Concilium illud loqui de solo iudicio, seu potestate spirituali, subditur statim: *Neque ab Augusto, neq; ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur.* Quæ fere verba ex Innocentio Papa refert Gratianus. 9. q. 3. capit. *Nemo iudicabit primam sedem, &c.* Atque eadem verba ex Syluestro refert Nicolaus Papa in epist. 1. alias 8. ad Michaelem Imperator. §. *Consonat autem.* Et in §. sequenti refert similia verba Concilij congregati in casu Marcellini, scilicet, *Prima sedes non iudicabitur à quoquam*, quam sententiam varijs testimonijs, & argumentis confirmat. Ac tandem ipse concludit: *Satis euidenter ostenditur, à sæculari potestate, nec ligari prorsus, nec solui posse Pontificem.* Vnde cùm tempore Leonis 3. seditio contra ipsum Romæ mota esset, & Carolus Magnus ad illam sedandam Romam venisset, & in Basilica Sancti Petri adstante populo, & clero Episcoporum omnium, qui eò ex tota Italia, & Francia conuenerant, sententias, & vota de vita, & moribus Pontificis rogaret, ab omnibus vna voce responsum est, *Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput, à nemine (laico præsertim) iudicari debere.* Carolus autem audito tam graui responso, quæstionem omisit. Ita refert Platina in vita Leonis; & habetur etiam in tom. 3. Concilior. Et eandem sententiam latè comprobat Ennodius Diaconus in libro pro defensione Symmachi, qui recipitur, & probatur in 5. Synodo Romana sub eodem Symmacho. Eâdemque refert ex dictis Bonifacij Martyris Gratian. in cap. *Si Papa*, dist. 40. & sumpsit ex Cardinali Deus dedit in historia de Rebus Ecclesiastic. lib. 1. cap. 231. prout latè refertur in decreto Gregoriano sub dictum cap. *Si Papa.* Denique in synodo. 8. generali Constantinopolitana 4. can. 21. egregiè locupletatur illa sententia; quia non solum de Papa, sed etiam de alijs Patriarchis dicitur: *Neminem prorsus mundi potentium eos posse inhonorare, aut à proprio throno mouere*, & addit*ur præcipue quidem sanctissimum Papam senioris Romæ.* Et infra: *Sed nec alium quemquam conscriptiones contra Sanctissimum Papam senioris Romæ, ac verba complicare, vel componere liceat, sub occasione quasi diffamatorum quorundam criminum.* Et infra ait etiam synodum generalem non posse sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices.

B

C

D

E

Ex hoc ergo tam antiquo, & constanti dogmate colligimus, priuilegium hoc Summi Pontificis non humanum esse, sed diuinum, quia neque ipse sibi arrogare illud facto auderet, nisi iure potuisset: non enim tanta facilitate, & consensione ab Ecclesia, & Principibus Christianis, sine vlla vi, vel coactione (quam profectò neque ipsi Pontifices efficere poterant) admissum fuisset: Neque etiam Pontifex id petere iure potuisset, nisi ad hoc potestatem, & authoritatem haberet, quam ratione suæ dignitatis à Christo recepit. Quòd si ab ipso Christo authoritatem habet declinandi omnem iurisdictionem humanam, profectò iure diuino ab illa exemptus est. Neque credibile est, hoc ius ab Imperatoribus accepisse; tum quia ante Imperatores Christianos dogma illud in Ecclesia cognitum est, vt de tempore Marcellini diximus, tum etiam quia Imperator non poterat hoc priuilegium concedere pro omnibus Regibus, & populis non sibi subiectis, cùm tamen in dicta Synodo Romana generaliter, & respectu omnium illa sententia proferatur. Tum denique quia Concilia, & Pontifi-

Probatur 1. pars primæ conclusionis ex iure canonico.

Pontifices non fundant dogma illud in aliquo beneficio Imperatoris, sed in eminentia dignitatis Romanæ sedis. Et ideo censent tale priuilegium esse perpetuum, ac omnino firmum, & immutabile, quod non posset habere, si ab Imperatore originè habuisset. In quo etiam considero, nec Imperatorem ipsum, vel Regem esse ita exemptum in terris ab ommi iurisdictione temporali, vt in nullo casu possit ab hominibus, vel à tota communitate iudicari, & cogi, quia vt dictum est lib. 3. potestas cuiuscumque Monarchæ temporalis manat à republica cum aliqua limitatione, & conditione inclusa; exemptio autem Pontificis multo maior, & altior est: ergo non potest in concessione Imperatorum, vel Regum fundari; datum ergo fuit tale priuilegium à Deo ipso. Vnde Ennodius suprà: *Aliorum* (inquit) *hominum causas Deus voluit, homines terminare, sed sedis istius Præsulis suo fine quæstione reseruauit arbitrio.*

cap. Alior. 9. q. 3.

6 Vt autem ratione aliqua distinctiùs declaremus, vbi aut quando Christus priuilegium hoc immediatè Pontifici contulerit, distinguere oportet duos modos, quibus intelligi potest, hoc priuilegium esse diuinum, scilicet, vel naturali iure, vel positiuo. Intelligendum autem est in præsenti materia ius naturale, non respectu naturæ humanæ in sua pura conditione spectatæ, nam hoc modo per se notum est exemptionem hanc non esse de iure naturali, sed naturale in præsenti dicitur, quod est connaturale alicui gratiæ, vel supernaturali dignitati homini collatæ, id est, quod, posita tali dignitate, secundum rectam rationem ex illa necessariò sequitur. Ex iure autem positiuo diuino dicetur esse tale priuilegium, si per se, ac directè, seu propria, & peculiari voluntate à Christo Domino Vicario suo collatum esse constiterit. Dicimus ergo vtrunque modum verum esse, quod figillatim ostendendum est.

Quando dicatur aliquid esse de iure diuino naturali vel positiuo.

Exemptio summi Pontificis est de iure naturali, & positiuo diuino.

7 Et in primis, hanc exemptionem esse de iure diuino naturali, his verbis significauit Nicolaus Papa in epist. citata: *Patet profecto sedis Apostolicæ, cuius authoritate maior non est, iudicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio,* Et infrà. *Nemo vnquam Apostolico culmini manus obuias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit iudicari.* Ac si diceret, Pontificem ex vi Apostolici culminis, & authoritatis, qua maior non est, exemptum esse ab humano iudicio. Et Ennodius in loco proximè citato hanc exemptionem fundat in verbis Christi: *Tu es Petrus*, & *Quodcumque solueris, &c.* Ac si diceret, ibi Christum dedisse Petro hanc exemptionem vbi illum Vicarium suum, & supremum Ecclesiæ Pastorem creauit, etiam si nihil aliud expressisset, quia, nimirum, ex natura rei priuilegium hoc talem dignitatem comitatur, & ideo est de iure diuino naturali tali dignitati, licèt simpliciter, & in se sit de iure diuino supernaturali, quod in radice (vt sic dicam) positiuum etiam dici potest. Ratio autem huius consecutionis, seu naturalis iuris esse debet, quia per illam dignitatem factus est Petrus supra omnes non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, vt suprà visum est; ergo eo ipso exemptus est ab omnium potestate, & subiectione.

Probatur assertio quoad primã partẽ. cap. Patet. 9 q. 3.

8 Non est autem hæc illatio tam euidens, quin aliquam patiatur difficultatem. Quia Pontifex ex vi suæ dignitatis non est superior omnibus in temporalibus directè, imò ex vi iuris diuini nullam iurisdictionem directè temporalem habet, sed tantùm spiritualem, quæ indirectè tantùm extenditur ad temporalia; ergo non repugnat, esse subiectum directe temporali iurisdictioni, & habere indirectam potestatem supra temporalem Regem; ergo è conuerso exemptio illa in temporalibus non sequitur intrinsecè ex illa spirituali dignitate. Hæc posterior consequentia est euidens, & Antecedens in superiori libro probatum est. Prima verò consequentia ostenditur, quia illa

Difficultas circa propositam probationem.

A duo, subiectio, & prælatio, sunt diuersarum rationum, & ideo non opponuntur, nec repugnat simul eidem personæ conuenire. Et declaratur, quia non secundum eandem rationem, nec respectu eiusdem, & secundum idem referuntur: nam licèt Pontifex vt Pontifex, sit superior in suo ordine, vt homo potest esse subiectus in inferiori ordine. Item quia solùm potest Papa vti indirecta sua potestate in temporalibus, quando Rex v. g. sua abutitur potestate in ordine ad spiritualem finem; ergo hoc non obstat, quo minus possit esse subiectus Imperatori iuste in ipsum animaduertenti per suam directam potestatem. Denique alijs exemplis constat non pugnare,
B eum, qui vno titulo superior est altero, sub alio esse illi subditum, vt si quis habeat filium Regem naturali titulo Patris illo est superior, & nihilominus erit illi vt Regi subiectus.

Nihilominus connexio tali priuilegij cum tali dignitate multum est rationi consentanea, varijsque modis ostendi potest. Primò quia sicut in naturalibus dans formam, dat consequentia ad formam, ita in moralibus dans iurisdictionem, censetur dare omnia necessaria ad illius debitum vsum, & administrationem. Sed in præsenti materia, vt possit Pontifex suam supremam potestatem, & iurisdictionem indirectam in temporalibus supra omnes Principes temporales
C exercere, necesse est (moraliter loquendo) vt nulli eorum sit directè subiectus in temporalibus causis, ad personam ipsius Pontificis quocunque titulo, aut modo pertinentibus; ergo talis exemptio data est Pontifici ex vi suæ dignitatis. Nam, cum Deus omnia sapientissimè, & suauissimè disponat, non est verisimile, dedisse dignitatem, & potestatem sine exemptione necessaria, vel conueniente ad debitum vsum talis potestatis. Quòd autem talis dignitas talem exemptionem postulet, ostendi potest, tum quia minimè decebat, vt supremum Ecclesiæ caput, cui omnes Reges terræ subijci debent, ab eisdem iudicari possit, cogi, & puniri, tum quia perpetuum fuisset diui-
D sionum, ac schismatum seminarium, tum etiam quia non possent Pontifices debita libertate, & authoritate sua iurisdictione, & potestate vti in Reges, & Principes terræ, si alia via illis essent subiecti, & ab eis possent in vincula conijci, & puniri.

9 *Resolutio prædictæ difficultatis.*

10 Secundò magis hoc declaratur, quia Pontifex ex vi suæ dignitatis, & potestatis supremæ potest disponere de omnibus iuribus temporalibus, atque etiam de ipsa suprema sæculari potestate, prout necessarium fuerit ad rerum spiritualium conuenientem gubernationem, vt supra ostensum est, ergo idè Pontifex ex vi eiusdem spiritualis iurisdictionis ha-
E bet authoritatem præcipiendi cuicumq; Regi, ne in personam suam audeat manum extendere, aut potestatem suam exercere, potestque irritare, & pro nihilo ducere, quidquid sæcularis potestas in contrarium attentauerit, quia sine dubio hoc maximè pertinet ad spirituale bonum Ecclesiæ, & ad reuerentiam debitam Christo, & personæ gerenti vices eius in terris; ergo planè repugnat, Pontificem esse subiectum quoad vim coactiuam Regi temporali, quia vis coactiua requirit talem potestatem in alium, vt ab illo superiori potestate impediri, aut ligari non possit. Confirmatur, quia hac ratione in sequentibus ostendemus, posse Pontificem eximere alios clericos
F à iurisdictione sæculari, non expectato Principum temporalium consensu; ergo multo magis potuit eximere seipsum; hoc autem perinde est, ac esse exemptum ex vi dignitatis, & potestatis acceptæ: nam qui in sua voluntate, & facultate habet non subdi alterius coactioni, profectò ab illa est immunis, & exemptus.

11 Tertiò explicatur, quia impossibile est, magistratum temporalem habere vim coactiuam in Regem se directè superiorẽ, à quo in suæ potestatis vsu pendet; ergo

ergo non minùs repugnat, Pontificem esse subiectum illo modo potestati temporali. Antecedens receptissimum est, apud Iuristas suprà citatos, & sumitur ex cap. *Cum inferior*, de Maiorit. & obed. vbi dicitur inferiorem non posse ligare superiorem. Estque aperta ratio, quia repugnat eundem respectu alterius esse simul inferiorem, & superiorem ex fundamento eiusdem iurisdictionis inuoluntariæ, & coactiuæ. Ratio autem huius est, quia coactio non potest fieri per virtutem propriam eius, qui cogitur, & consequenter nec per inferiorem potestatem, quæ pendet à superiori potestate, existente in eo, qui cogendus est. Consequentia vero probatur, quia licèt potestas Pontificis non sit directè temporalis, nec eiusdem ordinis cum potestate Regum, nihilominus eminenter continet illam, & omnem efficacitatem eius circa materiam etiam temporalem habentem sufficientem habitudinem ad spiritualem, qualem esse ostendimus iudicium de persona ipsa Papæ; ergo æque repugnat, Pontificem subijci tribunali Principis temporalis, quem ita habet sibi subditum, & subiectum. Eodem ergo diuino iure, quo temporales Principes ita subijciuntur Papæ, eodem, inquam, ipse Pontifex ab illorum iurisdictione exemptus est. Superest probanda altera pars de iure diuino positiuo, quam in sequenti capite prosequemur.

CAPVT V.

EXPENDITVR LOCVS MATTHAEI, Da eis pro me & te, *pro Summi Pontificis exemptione.*

1 IVS diuinum positiuum hic appellamus priuilegium à Christo concessum peculiari, & directa voluntate. Quod ita declaro, ne videatur hæc pars præcedenti contraria, nam in rigore loquendo ius positiuum dicitur quod naturale non est, sed per liberam Dei voluntatem additum, & ita videtur repugnare, hoc priuilegium esse simul ex vtroque iure diuino, naturali, & positiuo. Ideo ergo dicimus, ius positiuum hic latius sumi pro quocumque iure fundato in expressa & directa Christi voluntate, etiamsi fundari etiam possit in alia remota, medio discursu, seu ratione naturali. Vnde etiam dici potest hoc ius positiuum declarans potius priuilegium, quod iam erat connaturale ratione prioris dignitatis, quàm illud denuò concedens. Sic ergo declarata voce, probatur assertio proposita ex verbis Christi Matth. 17. vbi cùm exactores tributi, quod eo tempore Iudæi Augusto viritim soluebant, Petrum interrogassent: *Magister vester non soluit didrachma?* & ipse affirmando respondisset: postea Christus vt Petrum, & in eo Ecclesiam suam instrueret, eum interrogat: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filijs suis, an ab alienis?* Petrus autem respondit, *ab alienis*, vnde intulit Christus; *Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, &c. Et inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te.* Ex quo facto non solum non colligunt hæretici immunitatem Petri à solutione tributorum, sed potiùs inferunt; Christum etiam fuisse debitorem tributi, quando quidem iussit, illud pro se soluere. Sed errant manifestè, tum quia Christus argumento suo colligere voluit, se esse immunem à solutione tributi, quia filius Regis terreni immunis est à tributis, tum etiam quia postea expressè dicit, *Vt non scandalizemus eos*, quasi diceret, quamuis non simus debitores tributi, vt illi non offendantur, solue pro me, & pro te. Vt ibi Hieronymus, Chrysost. & omnes intelligunt, & August. ser. 6. de Verb. Apost. ca. 7. de Christo ait, *Non debebat, & persoluebat*, & Ambr. in Annotationibus in Exod. cap. 31. *Non debebat* (ait) *filius Dei, non debebat Petrus, Sed ne scandalizentur, ait, &c.*

Quo sensu exemptio Pontificis sit ex iure diuino positiuo

Probatur assertio.

Illatio quadam hæreticorum reijcitur.

Priùs verò, quàm ex hac Christi sententia hoc sedis Apostolicæ priuilegium colligamus, inquirendum est, de quibus filijs Christus fuerit loquutus, & quæ sit vis argumentationis, & consequutio verborum eius. Aut enim loquutus est de solis filijs proprijs, & naturalibus, vel latiùs etiam de adoptiuis, & improprijs; hoc posterius dici non potest, alias omnes iusti essent exempti à tributis Principum, quia omnes sunt filij adoptiui, & quia de æterna iustitia singulorum hominum constare non potest, omnes Christiani erunt exempti, quia omnes sunt in statu filiorum, vel quantum est ex vi professionis suæ illum habere possunt, & per fidem, & baptismum iam inchoatum habent, propter quod solent in Scriptura præsertim à Paulo omnes fideles sancti vocari. Imò etiam omnes homines possent eandem exemptionem à subiectione aliorum hominum prætendere, quia omnes sunt filij Dei per creationem, hic enim titulus satis est, vt omnes possint Deum tanquam Patrem inuocare.

1. Dubium primum de quibus filius fuerit loquutus Christus Dominus.

2. Ratio dubitandi.

Si autem Christus Dominus de solis filijs naturalibus est loquutus, duo insurgunt dubia; vnum est quomodo rectè inferat Christus, se esse liberum, quia ipse non erat filius naturalis Augusti Cæsaris, vt hoc titulo esset immunis à tributo, quod Cæsari pendebatur. Nam filius naturalis vnius Regis non est exemptus à soluendo tributo cuicunque Regi, sed tàtùm Patri suo, nam si filius vnius Regis extra ditionem paternam in alienis prouincijs versetur, fieri poterit vectigalis alterius Regis. Quod seruata proportione optimè accommodatur Christo, qui licet vt Deus sit filius naturalis Regis, & ideo, vt sic, liber sit à tributo respectu Patris, & à fortiori respectu omnium humanorum Regum, quia omnes sunt sub ditione paterna, & consequenter ipsi etiam ei subsunt: Nihilominus vt homo non est filius naturalis Dei cum illa proprietate, sed est filius per gratiam; ergo cum de se tanquam homine loqueretur, non potuit ex titulo filiationis rectè inferre, se esse liberum, & solùm propter vitandum scandalum tributum soluere. Sicut etiam licèt Christus, vt Deus sit Rex, & Dominus omnium hominum, nihilominus multi putant, vt hominem non fuisse Regem, neque habuisse dominium regnorum temporalium; ergo eadem ratione nihil obstabat filiatio naturalis quominus vt homo esset tributi debitor. Altera dubitatio, & maior est, quia videtur Christus in hac exemptione secum Petrum coniungere, & ex vi eiusdem principij, quod liberi sunt filij, æquè immunem illum facere, quandoquidem proximè intulit, *vt non scandalizemus eos, solue pro me, & pro te* perinde enim fuit, ac si diceret, ambo liberi sumus, expedit autem eos non scandalizare, & ideo pro vtroq; solue. Hæc autem illatio in Petro nullum habebat fundamentum, quia nullo modo erat filius naturalis.

3. Secunda ratio dubitandi.

Ad primam interrogationem Augustinus lib. 1. quæstio. Euangelicarum q. 13. indicat, Christum cum intulit. *Ergo liberi sunt filij*, loquutum esse de filijs nò tantùm naturalibus, sed etiam adoptiuis, seu per gratiam, sic enim ait: *Quod dixit: Ergo liberi sunt filij. In omni regno intelligendum est, liberos esse regni filios, id est, non esse vectigales; multò ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filij regni illius, sub quo sunt omnia regna.* Non sunt autem in regno terreno filij supremi Regis, id est, Dei, nisi per gratiam, extendit ergo Augustinus illationem Christi etiam ad filios per gratiam. Nihilominus dicendum sine dubio est, Christum loquutum esse de filijs proprijs, & naturalibus; nam hoc planè conuincunt rationes priùs factæ. Et præterea quia Christus non interrogauit Petrum, nisi de illis filijs, de quibus ipse poterat verbà simpliciter dicta intelligere, Petrus autem sine dubio non intellexit interrogationem, nisi de filijs

4. Resolutio primi dubij.

filijs naturalibus, quia de filijs per gratiam vel tunc intelligere non valebat, vel saltem ex illo simplici, & communi sermone in illam cogitationem tunc ascendere non poterat. Sicut quando respondit *ab alienis*, nihil de iniustis, aut peccatoribus cogitauit, sed tantùm de extraneis, qui filij naturales non sunt.

5 Vnde Chrysost. ibi hom. 59. ex illis verbis probat, Christum esse naturalem filium Dei, dicens, *Perpendis, quomodo distinxit filios à non filijs. Si enim filius non esset, hoc profectò Regum exemplo vsus non fuisset. Sed filius quisquam (inquies) est, non autem proprius. Non ergo filius, quod si non filius, nec proprius, nec omnino eius, sed alienus. Ita exemplum nullas vires habebit. Non enim de filijs simpliciter, sed de propriis, & Regum haeredibus disputat. Atque ita distinguendo alienos opposuit, quo vocabulo eos appellauit, qui ab ipsis Regibus nati nō sunt, suos verò ex se genuerunt.* Et hoc ipsum indicauit Hilarius canon. 17. in Matth. dicens: *Nunquid ambiguum est filios Regum tributis obnoxios non esse, & quibus regni veritas est, liberos esse à seruitute?* nam per regni veritatem, veram, & naturalem Regiam originem indicauit. Et infrà vtens ferè argumento Chrysostomi. ait. *Vt ostenderet, legi se non esse subiectum, & vt in se paternae dignitatis gloriam contestaretur, terreni regni posuit exemplum, censu aut tributis filios Regum non teneri.* Argumentum ergo Christi à naturalibus filijs sumptum est. Augustinus autem vel in sensu mystico ad filios Dei per gratiam, & ad immunitatem eorum à seruitute peccati, & tributo dœmoni soluendo inde digressus est, vt de Origine notauit D. Thomas in eundem Matthæi locum. Vel certè Augustinus etiam de filijs naturalibus loquutus est, nam licèt filius Dei naturalis vnicus tantùm sit, potuit in plurali loqui, vt formam verborum Christi obseruaret, nam perinde esset, etiam si tales filij Dei plures essent, vt notarunt Iansenius in cap. 69. Concordiæ, & Salmeron tom. 6. de Miraculis Christi tract. 37.

6 *Ad secundā rationē dubitandi.* Ad priorem verò dubitationem secundo loco propositam respondent omnes Patres allegati, & cæteri expositores, argumentum Christi esse à fortiori desumptum à filijs naturalibus Regum temporalium ad filium naturalem Regis illius, sub quo sunt omnia regna terrena, vt supra dixit Augustinus. Vnde ad obiectionem in contrarium factam respondemus, verum quidem esse filium Regis terreni solum in paterno regno esse immunem à tributo, non verò respectu alterius Regis, si aliqua ratione ei subijciatur, vel in eius ditione versetur. Imò etiam in regno paterno non est filius exemptus à iurisdictione Patris, sed ex voluntate eius exemptus est ab omnibus ministris eius, & ab exactione tributorum, omnique alia iurisdictione, quæ per ministros Patris exercetur. Negamus autem consecutionem, vel similitudinem rationis ad Christum filium Regis cœlestis. Nam vnusquisque Rex terrenus limitatus est, & non habet sibi subiectos alios Reges supremos, Deus autem est Rex omnium Regum, & ideo filius naturalis eius etiam est supra omnes illos, ac subinde liber, & immunis ab omni tributo, & ab eorum iurisdictione exemptus, cùm illi non sint nisi quidam ministri supremi Regis patris sui.

7 *Christus Dominus etiam vt homo est naturalis Dei filius.* Ad replicam autem, quia hoc procedit de Christo vt Deus est, & non vt homo, respondemus, negando assumptum, nam Christus etiam vt homo, est filius Dei naturalis propter gratiam vnionis, per quam ipsa naturalis filiatio substantialiter est humanitati coniuncta, & consequenter etiam gratia creata facta est illi homini connaturalis. Eademque ratione inde etiam habuit Christus, vt tanquam homo non solùm liber esset ab omni terreni Regis potestate, & tributo, verùm etiam vt esset per quandam singularem excellentiam Rex Regum; & Dominus dominantium, sicut de illo dicitur Apocalyps. 17. Proprietatem enim, & dominium huius regni, quod nunc

A habet in cœlis semper in terris habuit ratione vnionis, quamuis vsum illius in vita mortali non acceperit. Quomodo intelligendi sunt, qui negant, Christum vt hominem fuisse Regem, vel fortasse loquuntur de proprio regno temporali, & caduco, quod verum est, Christum non accepisse, nec iure hæreditario habuisse. Habuit verò supra omnia regna terrena regnum, & dominium altioris rationis, & potestatem excellentiæ, & ideo etiam habuit innatam libertatem ab omni tributo mortali Regi, vel Imperatori debito, quam immunitatem habet ratione filiationis naturalis, & ideo optime de se, etiam vt homine, argumentatus est.

B Maior difficultas est in altera dubitatione, quæ postulat, cur Christus Petrum in hac libertate secum coniunxerit, & quasi æqualem fecerit, dicens illi, *vt non scandalizemus eos, solue pro me, & te.* Aliqui negant, id colligi ex prædictis verbis; vel aliquod in illis verbis latere mysterium. Sed Christum in plurali dixisse Petro, *ne scandalizemus eos*, non quia Petrus solum ratione scandali vitandi teneretur soluere tributum, sed vel quia de propria persona, potuit facilè ita loqui, plurali pro singulari vtendo, vel quia scandalum Christi in Petrum, & alios Apostolos redundaret. Atque ita postea Christum iussisse Petro, soluere tributum etiam pro se ex statere inuento 8 *Ad tertiam dubitationē. 1. Sententia.*

C in ore piscis, quia cùm Petrus esset debitor tributi, voluit Christus simul illi subuenire, & fortasse illi soli, quia alij Apostoli tunc non aderant. Quam sententiam libenter hæretici arripiunt. Mihi tamen verisimilis non est. Nam in primis dum aiunt hi expositores, tunc temporis alios Apostolos ibi non adfuisse, nullo fundamento loquuntur sed diuinant. Deinde ipse modus, quo exactores tributi Petrum in plurali interrogarunt: *Magister vester non soluit didrachma?* satis indicat, non tantum Petrum, sed etiam alios Apostolos tunc adfuisse cum Christo, vnde cōmuniter Patres id supponunt, vt statim referam. *Reijcitur prædicta sententia.*

D Addo vlteriùs, verisimile non esse Christum in eo facto nullum intendisse mysterium, aut peculiarem affectum erga Petrum non ostendisse. Quia cùm Christus ibi docuerit, se esse filium Dei naturalem, & ideo non esse obnoxium solutioni tributi, sed tantum propter vitandum scandalum præcepisse, vt solueretur, & in hac prærogatiua, & modo soluendi tributum Petrum sibi specialiter coniunxerit, sine dubio significare voluit, se communicaturum Petro quandam participationem sui priuilegij, ratione cuius, etiam ipse non esset debitor tributi, nisi propter scandalum vitandum. Et addit Chrys. ibi, Christum coniunxisse secum Petrum in solutione tributi, in 9

E retributionem fidei, per quam ad rem ita natura incredibilem illico paruit; illamque retributionem vocat honoris excellentiam, quam Christus Petro ostendit, dicens, *Da eis pro me, & te.* Vnde etiam alij Apostoli intellexerunt, Christum in eo facto Petrum ipsis prætulisse. Hinc enim orta est occasio interrogandi Christum: *Quis putas, maior est in regno cœlorum*, vt statim in initio cap. 8. Matthæus refert, & exponit ibi Hieronymus dicens: *Post inuentum statherem, post tributa reddita, quid sibi vult Apostolorum repentina interrogatio?* & respondet, *Quia viderant, pro Petro, & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati sunt, Petrum omnibus Apo-*

F *stolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus.* In quo, si rectè illud comprehendissent, non decipiebantur, sed errabant putantes, illam excellentiam, vel dignitatem futuram fuisse in aliquo regno temporali more humano, & ex inuidia interrogabant. Et propterea Hieronymus addit: *Videns Iesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens, vult desiderium gloriæ humilitatis contentione sanare, dicens, Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* *Petrum in aliqua dignitate temporali sibi prælatum existimabāt Apostoli.*

Eadem-

10 Eandemque doctrinam habet Chrysost. homil. 59. in Matthæum, dicens: Aliquid humanum passos fuisse discipulos in illa interrogatione, & ad illud significandum, addidisse Euangelistam illam particulam, *In illa hora quando scilicet, cæteris omnibus Petrum prætulit.* Et infrà dicit, ex multis causis fuisse inflammatos discipulos, & numerat singularem promissionem, *Tibi dabo claues.* & *Beatus es Simon Bar Iona,* & his adiungit præsentia verba: *Da pro me, & te,* sentiens singularem excellentiam, & prærogatiuam per illa significasse. Idem tradit Origen. tract. 5. in Ioan. expendens eodem modo verbum illud, *In illa hora,* & dicens. *Ego arbitror, quoniam maximum hunc existimantes honorem in Petrum à Christo collatum, quasi per hoc indicasset, Petrum cæteris discipulis meliorem, cupiebant quod suspicabantur, cautè cognoscere, &cæt.* Idemque habetur nomine Augustini in libro Quæstionum noui, & veteris testament. q. 75. vbi ait, præcepisse Christum singulariter soluere pro Petro, quia constituerat illum facere caput aliorum Apostolorum, & Pastorem gregis sui, & comparat illa verba cum illis: *Ego rogabo pro te,* Quod etiam notauit Lyran. Matth. 17. & 18. & ferè alij Doctores catholici fatentur, ibi esse significatam specialem prærogatiuam Petri, quamuis in illa explicanda non omnes conueniant.

11 *Aliorum opinio.* Aliqui ergò existimant Christum ostendisse ibi peculiarem amorem, & curam Petri, non verò exemptionem. Sed hoc parui momenti est in re adeò mirabili, & tanta diligentia ab Euangelista obseruata, & à Patribus exaggerata. Alij agnoscentes aliquod altius mysterium, ad mysticos sensus diuertunt, vt videtur esse Augustinus sermon. 6. de Verbis Apostoli, dicens, *Petrum Ecclesiam repræsentasse, pro qua Christus indebitam mortem soluit, vt eam à debito* mortis liberaret, quod Anselm. & D. Thom. sequuntur. Ita verò est hoc accipiendum, vt literalis sensus non omittatur. Negari ergò non potest, quin Christus specialiter inserit, solui tributum pro persona Petri, sicut & pro se, hoc enim in proprietate significant verba illa: *Da eis pro me, & te,* & ita notât Patres nuper allegati, æquiparando hæc verba, cum illis, *Tibi dabo claues & Ego rogabo pro te;* nam in omnibus illis pronomen illud designat indiuiduam personam Petri. Significauit ergo Christus in illis verbis Petrum futurum esse exemptum à solutione tributi, sicut ipse erat. Atque ita credimus ex hoc loco vt minimum colligi, Christum concessisse Petro priuilegium hoc exemptionis, quia futurus erat Princeps Ecclesiæ, Christique Vicarius. Vnde consequenter fit, hoc priuilegium non fuisse personale in Petro, sed realè râ-

Priuilegium Petri ad successores trâsit. tione dignitatis, atque ad successores transire ex vi diuini iuris, & peculiaris institutionis, seu voluntatis Christi. Quam sententiam satis significant Hieronymus, Chrysostom. Theophylact. Eutym. & alij, quatenus dicunt, illam prærogatiuam fuisse concessam Petro, quia erat caput Apostolorum, & quatenus æquiparant hunc locum cum alijs, in quibus Christus loquens ad Petrum, cum illo, & successoribus eius loquitur.

12 Ad difficultatem autem propositam, quomodo Christus extendat illationem ad Petrum, qui non erat filius Dei naturalis, respondent multi, tacitè supposuisse Christum aliud principium, scilicet, sub filijs Regum comprehendi domesticos, & familiares eorum, nam etiam hi solent esse à tributis exempti ratione filiorum, quibus adhærent. Sed de hac ratione dicemus inferius; nam si vera est, non solum ad Pontificem, sed etiam ad alios extenditur priuilegium illud, vt diuinum est. Dico ergo, significasse Christum, non solùm se esse immunem à solutione tributi, sed etiam potuisse illud priuilegium communicare Petro tanquam sibi coniunctissimo, & valde simili in potestate, quam illi concessurus erat supra totam Ecclesiam, & supra omnes Reges terræ.

In dictis verbis Christi potestatē alios à tributis eximendi demonstrat.

A Quocirca quando Christus post factam illationem *Ergo liberi sunt filij,* adiunxit, *Vt autem non scandalizemus eos, da pro me, & te,* non oportet, vt hæc posteriora verba intelligantur adiuncta ex vi prioris illationis, sed per modum nouæ declarationis, & extensionis ex speciali Christi voluntate. Vel certè dici potest, quia argumentum Christi fuerat à minori ad maius, vt supra declarauimus, ideo Christum non fuisse contentum inferendo, se esse immunem à tributis, sed etiam Petrum secum coniunxisse, vt ostenderet, se vtpote filium Dei naturalem longè altiori modo esse immunem, quàm sint filij Regum terræ, quia non solùm est immunis ab illis, sed etiam est super-
B rior omnibus illis, & potuit Petro suam potestatem, seu participationem eius ita communicare, vt eiusdem etiam exemptionis illum faceret participem.

13 *Obiectio.* Sed instabit tandem aliquis: nam licèt concedamus, ex hoc loco colligi exemptionem à tributis, non sequitur, colligi etiam exemptionem ab omni subiectione, & potestate coerciua Principum. Nam filius Regis terreni licèt sit liber à tributo patri soluendo, non est liber à potestate directiua Patris, quia tenetur eius leges seruare, nec à potestate coercitiua, nam potest Rex filium suum punire secundum iustitiæ æquitatem. Respondeo, concedendo, illationem *Responsio.*
C non esse formalem (vt aiunt) quia non tenet in omni materia, vt argumentum factum probat. Nihilominus tamen in præsenti materia, & ratione illius rectè colligimus vnam exemptionem ex alia. Nam in primis in ipso Christo sicut ex filiatione naturali infertur immunitas à tributo, ita infertur immunitas ob omni subiectione, & iurisdictione Principum temporalium, quia filiatio, quæ est ratio vnius exemptionis, necessario etiam est ratio alterius, quia est ratio dominationis & excellentiæ supra omnes Reges. Simili ergo modo, seu accommodata proportione intelligimus, hoc priuilegium esse communi-
D catum Petro, ideoque ex immunitate à tributis colligimus exemptionem ab omni subiectione, & iurisdictione temporali, quia ratione dignitatis, & potestatis supra ipsos Reges communicata est.

Ex immunitate a tributis recte colligitur immunitas a seculari potestate.

CAPVT VI.

OBIECTIONIBVS CONTRA RESOlutionem superiorum capitum satisfit.

1 QVoniam Summi Pontificis exemptio cum eius dignitate, & potestate supra Reges temporales coniuncta est, ideo eædem ferè obie-
E ctiones contra exemptionem hanc, quæ contra potestatem opponuntur: & quia ferè omnes in superiori libro tractauimus, ideo illas breuiter attingendo, vnam, vel alteram addemus, quæ huius loci visæ sunt magis propriæ. Prima obiectio sumitur, ex lege veteri, in qua Summus Pontifex à iurisdictione Regis exemptus non erat; Imò ab eo puniri poterat, vt factum Salomonis ostendit. 3. Reg. 2. vbi Salomon ex-
authorauit Abiathar propter crimen læsæ maiestatis illum authoritate Regia puniendo. Huic verò obie-
Solutio. ctioni supra respondimus assumptum non satis probari ex illo facto, tum quia fortasse Salomon id fe-
F cit, non vt Rex, sed vt Propheta; tum etiam quia vnum factum non ostendit ius, cum à Regibus multa per violentiam fiant. Vnde cum ex alijs locis Scripturæ non probetur subiectio Pontificis ad Regem in lege veteri, relinquitur, vel falsum esse illud Antecedens, vel saltem incertum. Deinde adiunximus, quidquid fuerit in veteri lege nullum inde sumi posse argumentum ad Pontificatum legis gratiæ, qui longe altioris est ordinis. Nunc ergo solùm addendum occurrit, obiectionem similem factam esse ante quadringentos annos ab Imperatore Constanti-

1. Obiectio.

Respo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nopolitano in epistola ad Innocent. III. ex qua sumptum est caput *Solitæ* de Maior. & obedient. qui non de Salomone, sed de Dauide argumentabatur, *quia Dauid Rex Abiathar Pontifici præeminebat.* Cui Pontifex eisdem modis respondet, dicens, *Dauid quamuis regni diadema obtineret non tam ex dignitate Regia, quàm authoritate prophetica imperabat. Verum quidquid horum fuerit in veteri testamento, nunc aliud est in nouo, ex quo Christus factus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Et concludit: *Circa illum præcipuè, qui successor est Petri, & Vicarius IESV Christi.*

Vide Turrecrematam li. 2. Summæ Eccles. iust. ca. 96 ad 4.

2 *Obiectio.* Secundo obijci potest, quia ea, quæ sunt iure diuino à Christo constituta, statim à principio Ecclesię habuerunt effectum, sed Pontifex Romanus non solum à principio Ecclesiæ, verum etiam toto tempore, quo Imperatores Romani fuerunt ethnici, non fuerunt ab eorum iurisdictione exempti; ergo non habuerunt à Christo huiusmodi exemptionem. Minor propositio probatur ex Paulo ad Rom. 13. dicente: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,* In quo loco præcipuè loquitur Paulus de politico principatu, & de obedientia Regibus debita, vt ibi notant expositores, & August. epist. 54. ad Macedonium, & Basilius in Constitutionib. monasticis ca. 23. Et ipse Paulus inferiùs apertè ostendit cum dicit, *non sine causa gladium portat,* & cum ait, *ideo enim & tributa præstatis.* Itaque vt ijdem Patres aduertunt, illud specialiter monuit contra nonnullos, qui eo tempore prædicare cæperant, Christianos non teneri ad parendum Principibus temporalibus; ipse autem contrarium de omnibus Christianis docet, & vt nullum excipi declaret inquit; *Omnis anima, &c.* vt ibi expendit Chrysostomus Homil. 23 dicens: *Ostendens, quod ista imperentur omnibus, & sacerdotibus, & monachis, & non tantùm sæcularibus; id statim in ipso exordio declarat, cum dicit. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etiam si Apostolus sis, si Euangelista, si Propheta, siue quisquis tandem fueris, neq; enim pietatem subuertit ista subiectio.* Et eodem modo loquuntur ibi Theodoretus, Theophylactus, & Oecumen. Iuxta Apostoli ergo sententiam sic expositam etiam Petrus erat tunc subditus potestatibus sublimioribus. Cum enim Chrysostomus dixisset: etiam Apostolos fuisse subditos, & sententiam auxerit, dicens, *Siue quisquis tandem fueris,* profecto etiam Petrum comprehendere visus est. Multò ergo maiori ratione Pontifices successores Petri fuerunt subditi Imperatoribus, saltem quamdiu isti Christiani non fuerunt. Et ratione potest hoc confirmari, quia Princeps ethnicus non est subditus Pontifici; ergo potest esse illi superior; ergo de facto erat superior, quia habebat potestatem vniuersalem in omnes, & non habebat subiectionem, ratione cuius priuaretur potestate in Petrum, vel successores eius.

3 *Responsio.* Respondetur concedendo, priuilegium hoc, quatenus à Christo Domino concessum est Petro, & successoribus eius habuisse suum proximum effectum statim ac Christus Petro contulit Pontificiam dignitatem, quia illud priuilegium, vel cum ipsa dignitate intrinsecè coniunctum est, & quasi ab illa manat, vel per specialem Christi voluntatem datum est, quæ voluntas efficax fuit, neque impediri potuit per vllam temporalem potestatem. Et non minùs comprehendit exemptionem à subiectione respectu infidelium Principum, quàm fidelium, tum quia Christus Matt. 17. absolutè loquutus est & occasio sermonis eius sumpta fuit ex tributo, quod Imperatori ethnico soluebatur, tum etiam quia non est maior ratio de Principe fideli, quam de infideli. Imò si Pontifex, verbi gratia Syluester fuisset subditus Constantino ante conuersionem eius, etiam post conuersionem maneret subditus, quia, vt suprà dixi, nullus Rex infidelis ipso facto amittit iurisdictionem aliquam propter conuersionem ad fidem. Deniq; quando Concilia, & Patres docent, Pontificem non habere superiorem in terris, omnem excludunt, siue fidelis, siue infidelis sit.

A

Dico ergo, & Petrum, & eius successores toto tempore gentilium imperatorum fuisse exemptos ab eorum iurisdictione quoad priuilegium, licet vsum priuilegij pro eo tempore habere non potuerint, quod nihil repugnat iuri diuino. Sicut etiam eo tempore habuerunt dignitatem, & potestatem supra omnes Imperatores à Christo datam, non expectato temporalium Principum consensu, vsum autem, & exercitium illius potestatis circa eosdem Principes non statim habuerunt Petrus, aut successores, quia iuxta eiusdem Christi ordinationem ex voluntaria fidei receptione pendebat. Eadem ergo ratio est de prædicto priuilegio accessorio dignitati, nam illud contulit solus Christus sine dependentia à consensu Principum, seu aliorum hominum, vsus autem partim ex voluntate, partim ex potentia, & factis hominum pendebat.

B

4 *Pontifices summi semper fuerunt exempti.*

Nec verba D. Pauli quantumuis generalia videantur, excludunt priuilegium speciale à Christo cõcessum, nam regula iuris est generale ius per speciale limitari, etiam si speciale antiquius sit, quæ regula hic satis accommodari potest. Præsertim quia D. Paulus ibi solùm explicat ius antiquum, & naturale, docetq; obseruandum esse à Christianis, ac proinde tradit, (vt Theophylact. ibi ait) Euangelium non docere defectionem, aut inobedientiam erga magistratus, sed moderationem, & obedientiam. Hoc autem ius naturale non violatur, sed materia eius ex parte mutatur per priuilegium exemptionis à Christo cõcessum, quod ibi Paulus non excluserit, neque illius mentionem fecit, quia necessarium non erat: Quanquam si attentè verba Pauli considerentur, ex forma illorum intelligi potest, Vicarium Christi sub eis non comprehendi, dicit enim, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,* quæ verba sunt respectiua, & comprehendunt tam priuatos homines respectu eorum, qui eis proximè præsunt, quàm magistratus inferiorum ordinum respectu sublimiorum potestatum. At verò comparatione Vicarij Christi nulla est in terris sublimior potestas, & ideo in eo non habet locum sententia Pauli.

C

5 *Ad verba Pauli.*

D

Ad Chrysostomum verò, quod attinet ad præsentem quæstionem, similiter respondemus, generatim fuisse loquutum, neque ibi excluisse speciale priuilegium Petri, neque tractasse quæstionem an Vicarius Christi habeat in terris potestatem sublimiorem, cui ex vi naturalis, & diuini iuris parere teneatur. Quod verò spectat ad alia specialia exempla, quæ inducit de Apostolis, sacerdotibus, & monachis, infra ex professo tractandum est, an illorum exemptio sit de iure diuino, vel humano. Nunc solùm dicimus, quidquid sit de alijs etiam Apostolis, de Petro vt Christi Vicario esse specialem rationem; tum propter specialem dignitatem, tum propter verba Christi illum singulariter eximentis à debito soluẽdi tributum. Qua propter ius hoc exemptionis æquale fuit in Pontificibus respectu ethnicorum Principum, & Christianorum, quia priuilegium, vt dixi, non fuit pendens ex fide subditorum, licèt vsus sine illa esse non potuerit.

E

6 *Ad Chrys.*

F

Neq; obstat ratio in contrarium facta, quia licet Princeps infidelis pro illo statu non sit directè subditus Petro, nihilominus, ex diuino iure tenetur illi subdi, suscipiendo fidem, & baptismum, per quem vnusquisque fit de grege Christi, & consequenter subditus Petro. Et præterea etiam ante baptismum est huiusmodi Princeps indirectè subditus Petro, qui ius habet cogendi infideles Principes ne Euangelij prædicationem in suis terris impediant, neve subditos suos ad fidem negandam, vel non suscipiendam cogant, aut alio modo religioni Christianæ infesti

7 *Ad rationem in eadem obiectione factam.*

sint. Hac ergo ratione Pontifices simpliciter facti fuerunt à Christo immunes à potestate Principum temporalium, siue fidelium, siue infidelium, nam infidelitas non facit eos melioris conditionis, neque eorum auget iurisdictionem; quoad vsum verò non potuerunt Pontifices temporibus infidelium Principum iudicia illorum declinare, sicut etiam non poterant se vel dignitatem suam ab omni iniuria vindicare, quod mirum esse non debet, cum etiam sub fidelibus Principibus interdum similia passi sint, id permittente Deo, vel ad eorum probationem vel ad maiorem fidei confirmationem.

7 *Tertia obiectio ex factis Imperatorum.*

Ex quo facilè etiam soluitur tertia obiectio, quæ & à Rege Angliæ, & ab alijs schismaticis, & schismatum fautoribus sæpiùs inculcatur, sumiturque ex factis quorundam Imperatorum, qui superiorem potestatem in Summos Pontifices sæpiùs exercuerunt, vel illos eligendo, seu in sede collocando, & confirmando, vel eos puniendo, & exauthorando. Ad quod præcipuè inducunt factum Othonis 1. (quē Imperatorem pijssimum fuisse dicunt) qui Ioann. 12. alias 13. propter prauos mores à sede deposuit. De hoc tamen argumento dixi multa in superiori lib. cap. vlt. ad quem locum lectorem remittimus, hic enim solum illud commemorauimus, ne obiectionem in hoc puncto frequentem intactam relinqueremus. Addere verò possumus, priorem obiectionis partem ad præsentem causam nullo modo pertinere. Quid enim si daremus Imperatores aut Reges posse esse Pontificum electores, nunquid propterea esse possent eorum legislatores, aut iudices? aut propter aliquam in eos iurisdictionem superiores? Profectò Cardinales sunt electores Pontificum, & nihilominus, postquàm Pontificem elegerunt, nullam in illum habent potestatem, vel iurisdictionem; imò potius illi sunt omnino subiecti. Ratio verò est, quia dum suffragia ferunt, aliquem sibi æqualem nominant, vel eligunt, ille autem, qui ritè electus est, à Christo ipso statim inuestitur, & fit superior suis electoribus, quibus antea erat æqualis, vel fortasse inferior. Accedit, quòd ipsi electores à sede Apostolica habent eligendi potestatem tanquam à superiore, & Christi Vicario, ad quem spectat modum eligendi sibi successorem præscribere. Idem ergo cum proportione dicendum est, de Imperatore, etiamsi vel ad eligendum Pontificem, vel ad confirmandum suo consensu electionem eius fuerit admissus, quia non propterea factus est superior Pontifice, sed manet semper inferior Pontifice iam instituto, sicut etiam erat subditus illi à quo talem prærogatiuam accepit.

Responsio.

Cur suffragium eligendi Pontificē Imperatori iurisdictionē aliquam in ipsum non impertiat.

8 *Depositio Pontificis per ciuilem potestatem fieri neque.*

De altera verò obiectionis parte in citato loco ostendi, historias in quibus factum illud, & alia similia referuntur, & incertas esse, ac varias, seu inter se dissentientes, & non satis fideliter referri. Nam ex eis non solùm colligi non potest Imperatorem iure deposuisse aliquem Pontificem, verùm etiam neque facto id tentasse ex vi propriæ iurisdictionis, iudicij, ac sententiæ, sed aut per apertam vim, aut tyrannidem, per quam aliqui Principes Christiani manus violentas in Pontificem iniecerunt, vel ad summum industria, & authoritate sua procurando, vt congregaretur aliqua Synodus, quæ sententiam depositionis in Pontificem, quidquid sit de potestate talis Synodi, & an ex errore, vel malitia processerit: Nam ita accidisse in facto Ioan. 12. citato loco ostendimus. Et sanè cùm pœna depositionis canonica sit, in illa peculiarem deformitatem, & repugnantiam habet, quod per potestatem sæcularem possit imponi. Neque in eum errorem incidere potest, nisi qui de Pontificia dignitate nihil supernaturale, vel spirituale, sed tantùm politicum, seu ciuile cogitauerit. Et ideo si quis Imperator verè fidelis temerario ausu, & indiscreto zelo de Pontifice dijudicando tractauit, non per se, vt dixi, sed per congregatio-

A nem aliquam, quæ speciem saltem potestatis spiritualis habere videretur, deponendum curauit. Quia verò illa depositio summa est in eo genere spiritualis pœnæ, & ius diuinum attingit, à quo per se, & immediatè est Pontificia dignitas, ideo ex parte Pontificis maximam causam requirit, qualis est sola hæresis, quæ fundamentum talis dignitatis quodam modo tollit; ex parte verò Ecclesiæ requirit sententiam, non cuiuscumque Synodi, sed legitimæ, & vniuersalis, & nihilominus ex parte Dei necesse est, vt ipsemet talem dignitatem auferat, quam ipse per se contulit.

Quartam obiectionem sumunt hæretici ex verbis 9 *Quarta obiectio ex Matth. 18.*

B Christi Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum, & cætera*, ac tandem, *dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus.* Hanc enim Christi sententiam, & legem non minus erga Pontificem, quam erga alios fideles procedere censent, quia etiam Papa est homo, & potest coram alijs, & cum eorum scandalo, & iniuria delinquere; ergo potest, & debet corripi; vel secretò, vel coram testibus, & si emendari noluerit, poterit Ecclesiæ denunciari, quam si non audierit, poterit per eam excommunicari, vt ab alijs tanquam ethnicus, & publicanus habeatur; ergo subest Pontifex potestati coerciuæ Ecclesiæ. Dices, hinc ad Summum sequi, Pontificem non esse omnino exemptum à potestate spirituali, non verò non esse exemptum à potestate sæculari. Sed contra, nam ex primo potest inferri secundum, saltem quantum est ex vi iuris diuini, quia si Papa non est diuino iure exemptus à foro Ecclesiastico, non habet illam supremam dignitatem, in qua præcipuè fundabamus ius diuinum de exemptione illius à sæculari potestate. Item quia si Pontifex potest per Ecclesiam excommunicari, eadem ratione poterit grauius puniri pro qualitate delicti; ergo poterit etiam degradari, & brachio sæculari remitti; ergo non est omnino exemptus iure diuino à

Solutio.

C

Replica.

D iurisdictione sæculari, alias non posset per Ecclesiam iterum sæculari potestati subijci.

Respondeo in primis, hæc posteriora argumenta 10 efficacia non esse, tum quia licet fingeretur, Pontificem esse subiectum alicui tribunali Ecclesiastico, v. g. Concilio generali, nihilominus posset esse iure diuino exemptus à sæcularibus, vel ex speciali priuilegio Christi, vel quia semper manet super omnes Principes sæculares, etiam si per impossibile in ordine spiritualium potestatum Concilio subesset. Tum etiam quia eadem argumenta fieri possunt de Episcopis, & inferioribus clericis, de quibus postea dicemus. Deinde addo, etiam si argumenta illa admittantur potius ostendere incommoda, & absurda, quę ex priori antecedente sequuntur, quam illud confirment. Negamus ergo posse Ecclesiam vim coerciuam in Pontificem exercere, siue per censuram, siue quocunq; alio modo, nisi prius à Pontificatu cadat, vel per voluntariam renunciationem ab Ecclesia acceptatam, vel per culpam hæresis ab Ecclesia iuridice declaratam. Quia quamdiu persona illa verus Papa existit iurisdictionem habet supra totam Ecclesiam, etiam simul sumptam, ideoq; necessario est iure diuino exemptus spiritualiter, id est, non subditus sublimiori potestati spirituali extra Christum, quia nulla talis in mundo inuenitur, vt in superiori libro

Solutio.

Ecclesia nullam habet vim coerciuam in Pontificem.

E

F satis tractatum est.

Vnde ad obiectionem respondeo, correctionem 11 fraternam habere posse locum erga Summū Pontificē, quatenus est charitatis officium, & intra illud sistitur, hoc enim modo potest interdū maior à minori, & Prælatus à subdito admoneri, sicut Paulus cum Petro se gessit, vt explicuerunt Aug. epist. 19. ad Hier. & Gregor. hom. 18. in Ezechiel. Cessat autem correctionis progressus, quādo ad viam coactionis sit trānsitus. Itaq; cū reuerentia corripi, vel admoneri potest Pontifex, priùs solus, si crimē sit secretū, deinde coram

Quomodo fraterna correctio erga Pontificem exercitanda sit.

coram aliquibus, si res, & necessitas postulet. Quod verò vlterius sequitur. *Dic Ecclesiæ* in eo locum non habet, quia ibi nomine Ecclesiæ non corpus Ecclesiç, sed Prælati eius intelliguntur, nec enim potest peccator toti corpori Ecclesiæ denunciari, sed pastori. Vnde necesse est, vt respectiuè, seu cum proportione accommoda intelligatur, ita vt vnusquisq; peccator suo pastori, ac prælato denunciari debeat: nam extraneus non potest efficaciter corripere, aut cogere sibi non subditum. Quia ergo Pontifex superiorem Prælatum non habet, in eo locum non habet illa denunciatio, sed potiùs quia ipse est supremus Pastor totius Ecclesiæ, satis Ecclesiæ dicitur peccatum eius, cum ipsi dicitur. Posset autem respectu Pontificis non male intelligi nomine *Ecclesiæ* confessor eius, qui eũ monere, & suo modo corripere, & peculiariter obligare in foro suo potest. Quod autem sequitur. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tãquam ethnicus, & publicanus*, propriè non potest in Pontifice locum habere, quia excommunicari non potest, cum non habeat vim coerciuam superiorem. Neq; hoc est inconueniens, quia præceptum illud affirmatiuum est, & circa vnumquemq; obligat iuxta capacitatem eius.

12 *Obiectio.* Contra hoc verò insurgit statim quinta obiectio, nam sequitur, Christum non satis prouidisse Ecclesiç suæ, nec conueniẽter illius regimen instituisse. Nam *Iercm. 1.* vt nos dicimus, dedit vni homini supremã in sua Ecclesia potestatem, eumq; constituit, *Super gentes, & regna, vt euellat, & destruat, & dissipet, & ædificet, & plantet.* Potest autem talis esse Papa, vt potestate sua in destructionem vtatur, nam libertati suæ relinquitur, & peccator esse potest; ergo si in Ecclesia non est potestas ad coercendum illum, imperfectè instituta est, insufficienterq; est illi prouisũ. Quale enim est corpus, quod membrum putridum non possit per violentiam aliquam purgare, vel, si hoc non sufficiat, abscindere, ne totum corpus corrumpat? Ergo cùm Ecclesia sit vnum corpus mysticum, & Papa sit vnum membrum eius, quod eò plus potest illi nocere, quò potentius, & principalius est: necessarium est ad huius Ecclesiæ conseruationem, vt in ea sit aliqua potestas, quæ iure, & facto valeat iniquo Pontifici resistere, & illũ cogere, vel abscindere etiam si necesse sit; hæc autem potestas non est alia, nisi potestas Regia, vel Imperatoria, ergo.

13 *Solutio.* Respondeo, hoc etiam argumento vsos esse, qui existimarunt, Concilium generale esse supra Pontificem, possequeillum deponere, non tantùm in causa hæresis, sed etiam propter alia crimina Ecclesiæ valde nociua. Et quidem, si argumentum tantam efficaciam haberet, vt propter illud esset in Ecclesia admittenda aliqua potestas coerciua Pontificum abutentium potestate sua in Ecclesiæ perniciem, potius ponenda esset illa potestas spiritualis, quàm temporalis, & in generali Concilio potiùs, quàm in aliqua particulari persona. Et ita non procederet obiectio, negatur enim vltima propositio assumpta, nimirum potestatem huiusmodi solum Regiam, vel Imperatoriam esse posse. Vera nihilominus responsio est, non esse in Ecclesia talem potestatem supra Pontificem, neque spiritualem, neque temporalem, vt satis in superioribus probatum est. Obiectio autem facta retorqueri potest contra Regem Angliæ multò maiori ratione, nam ipse vult ita esse caput in imperio suo, vt neque in spiritualibus, neque in temporalibus superiorem habeat, idemque de quolibet supremo Rege affirmare cogitur, ne tantam dignitatem pro sola sua libidine vsurpare videatur. Nonne est ergo multò maius incommodum, vt in Ecclesia Christi, quæ vnum corpus esse debet, sint multa capita ita suprema, vt quodlibet illorum suos subditos dijudicet, & ipsum à nemine iudicetur, quàm quod sit vnum tantùm hoc habens singulare priuilegium sub Spiritus Sancti directione specialiter constitutum?

Nulla potitur Ecclesia potestate coercina in Pontificem. Obiectio in Regem Angliæ retorqueur.

A Dico ergo potiùs in hoc ostendi singularem Christi prouidentiam in suam Ecclesiam. Nam regna terrena sunt inter se diuisa, & non subordinata, quia in temporalibus, & ciuilibus non habent vnitatem, & ideò sicut sunt multa corpora, ita non est inconueniens, quod habeant multa capita suprema, & licèt in vnoquoque regno possint sequi incommoda ex eo, quod Rex supremus à nemine iudicari in temporalibus, vel puniri possit, illa incommoda vel tolerantur propter maiora commoda (quod in humana prouidentia sæpe fieri necessarium est, & ad rectitudinem prudentiæ pertinet) vel vnaquæque respublica habet suas leges, & modos iustos, quibus his incommodis B occurrat. At verò respectu Ecclesiæ Christi non erat conueniens, vt intra illam essent plura capita simpliciter suprema, neque plures Reges ita supremi in temporalibus, vt nulli superiori capiti subordinarentur, saltem in ordine ad spiritualem finem, ideoque optima institutio postulabat vnum supremum caput. Et ad maiorem vnitatem, & facilius, ac suauius regimen oportuit illud esse vnicam personam, & ad tollenda schismata fuit etiam conueniens, vt sub nulla ratione suis subditis subijceretur. Ex quo tandem necessarium fuit, vt vnum illud caput à solo Deo puniri, vel deponi per coactionem, & potestatem superiorem possit.

Quòd si hinc contingat sequi aliquos defectus, vel C incommoda, mirum non est, quia quanquam hæc sit diuina institutio, versatur circa homines, & per ipsos exercetur, & ideò necessariò aliquid de prouidentia humana participat, quæ non semper omnia incommoda euitat, sed pauciora eligit. Vnde illa imperfectio non potest attribui Christo, sed homini, nam Christus, quantum in se est, sufficientia media prouidit ad hæc incommoda vitanda. Et maiora quidem, quæque fidem, vel sanctitatem Ecclesiæ maculare possent, omnino præuenit, & abstulit, dando Vicario suo certam, & infallibilem directionem in definiendis rebus ad fidem, vel mores Ecclesiæ perti- D nentibus. Item quia hæresis serpit, vt cancer, & tollit Ecclesiæ fundamentum, etiam ius statuit, virtute cuius à dignitate caderet Papa, si esset hæreticus, dando etiam Ecclesiæ facultatem, vt de tali crimine cognosceret, & sententiam declarantem illud, & diuinam depositionem inde subsequutam proferre possit. At verò in reliquis, quæ ad mores pertinent, non pertinebat ad suauem, & sapientem prouidentiam Christi, aut Pontifices omnes libertate morali priuare, aut eos in gratia confirmare, & ideò in eis etiam peccata permisit. Noluit tamen, vt per homines coerceri, aut puniri pos- E sent, ne debitus ordo prouidentiæ, & regiminis inuertereturr, & maiora mala, ac perturbationes sequerentur.

Et nihilominus varia remedia prouidit, quibus 16 hoc malum, vel impediretur, vel ei quoad fieri posset, subueniretur. Primum, ac præcipuum est internum auxilium Spiritus Sancti, quod longè maius, & specialius Pontifici paratum esse credimus, simul cum Angelica custodia singulari, & excellentiori. Secundum est oratio tum vniuersalis Ecclesiæ, tum singulorum fidelium, quæ pro ipso capite semper esse debet maior, & frequentior, & tunc oportet esse feruentiorem, quando contigerit caput languere. F Tertium, & optimum medium est secreta admonitio, vel si peccata scandalosa fuerint, etiam publica, seruata debita reuerentia, & humilitate, & si necessitas id postulet, interdum fieri potest hæc admonitio per Reges, & Principes temporales, quorum authoritas apud Pontificem multum valere potest, & debet, si prædictam modestiam, & animi submissionem coniunctam habet.

Varij modi protectionis Pontificum à Christo prouisi.

Vide Caietanum in Opusc. de Potest. Papæ cap. 27.

Quartum remedium non quidem iniquum, sed 17 magis humanum, & periculosum, ideoque non sine extrema necessitate adhibendum, est iusta defensio,

nam si Pontifex manifestam violentiam, & iniustam vim inferat, ei resisti potest per modum defensionis, intra terminos inculpatæ tutelæ; quia vim vi repellere naturale remedium est, & nemini denegatur, & non requirit potestatem superiorem, vel iurisdictionem in eo, qui se defendit, sed solùm ius, & vires ad se tuendum. Nam si in alterum malum inferat, non illum punit, sed illo medio proprium malum iustè euitat. Quocirca si Pontifex corporalem vim inferat per aggressionem, vel iniustum bellum, ei poterit per similem actionem resisti ad defensionem, non ad offensionem. Si autem violentia esset spiritualis, præcipiendo iniqua, vel sacra prophanando, aut destruendo; ei proportionato modo resisti poterit, procurando, ne talia executioni mandentur. Hæc tamen rara sunt. &, vt hæc licentia sumatur, esse debent euidentissima. Denique (quod valde notandum est) hoc modo per mille, & sexcentos annos Ecclesia gubernata est, recognoscendo in Pontifice hãc potestatem, & exemptionem, & hunc honorem, & reuerentiam illi deferendo, & tolerando iniquos, qui comparatione sanctorum, & bonorum pauci fuerunt, neque in hac tolerantia tot incommoda passa est Ecclesia, quot in temporibus schismatum, & rebellionum Potestatum temporalium aduersus Pontifices sustinuit: ergo gratis, & sine fundamento fingunt hæretici imperfectionem, vel defectum in hac institutione, quam potius Deo dignam esse, ipsa experientia præter alia, quæ adduximus, ostendit.

Pontifici bellum iniustũ inferenti resisti potest.

CAPVT VII.

SEXTAE OBIECTIONI SATISFIT, & tractatur quæstio, an Papa possit se humano iudicio submittere.

1 *Sexta obiectio.*

VLtima superest obiectio, quia Pontifex Romanus saltem voluntate propria potest renunciare huic priuilegio, non tantùm renunciando Papatui (quod clarum est) sed etiam dignitate retenta; ergo signum est, non esse hanc exemptionem de iure diuino, neq; ex natura rei esse necessariò cum dignitate coniunctam, nam si talis esset, nec immutari, nec separari posset per humanam voluntatem. Antecedens probatur ex vsu, nam id fecit Leo. IV. iudicio Michaelis Imperatoris, & Legatorum eius se subijciendo, vt refertur in cap. *Nos si incompetenter.* 1. q. 7. & Symmachus Regis temporalis iudicio se submisit, vt sumitur ex Concilio. 3. Romano sub eodem, & Gregorius Papa in cap. *Siquis.* 42. 2. q. 7. sic ait, referente Gratiano: *Si quis super his nos arguere voluerit, & extra authoritatem nos facere contenderit, veniat ad Sedem Apostolicam, &c. vt ibi ante confessionem Sancti Petri mecum iustè decertet, quatenus inibi vnus ex nobis sententiam accipiat suam,* vbi se committit alterius iudicio. Et Sixtus III. in cap. *Mandasti.* 2. quæst. 5. dicit, cùm iniustè criminaretur, coram Valentiniano Augusto, & Synodo se purgasse, & addit; *Sed non alijs, qui noluerint, aut sponte hoc non elegerint, faciendo formam, exemplumq; dans.* Idemque refertur de Leone III. in ca. *Auditum,* eadem causa, & quæstione. De Marcellino etiam constat, se cuiusdam Synodi iudicio submisisse. Denique in sacramento confessionis Pontifex se submittit iurisdictioni priuati confessoris; cur ergo non poterit se etiam submittere in causa ciuili, vel temporali? Aliqui etiam inducunt Christi exemplum, qui se potestati Pilati supposuit, dando illi veram potestatem supra se, vt ostendunt eius verba apud Ioannem cap. 19. *Non haberes potestatem in me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Quo exemplo vtitur D. Thomas 2. 2. q. 67. ar. 1. ad 2. vt probet, posse superiorem subijci iudicio inferioris, vbi etiam simpliciter ait, Leonem Papam subiecisse se iudicio Imperatoris.

Vide quæ de hoc facto Leonis 3. citantur in decreto Gregoriano, & Paulum Aemilium lib. 3. de Gestis Francor.

Hoc punctum latè tractatur à Theologis in 4. d. 18. & 19. scilicet, D. Thoma, Paludan. Bonauent. Richardo, Alberto, & alijs, & à Caietano dicta q. 67. ar. 1. & à Canonistis in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ,* de Constitut. vbi latè Panorm. n. 7. & Felin. 2. & Baldus in l. *Est receptum.* C. de Iurisdict. omni. iud. Breuiter tamen, quod ad rem præsentem spectat, dicendum in primis est, Papam non posse ita se subijcere Imperatori, vt illius temporali, seu ciuili iurisdictioni subiectus verè maneat, & ab illo cogi, vel obligari possit ratione talis iurisdictionis. In hoc conueniunt authores allegati, & probatur, quia imperator non habet iurisdictionem ciuilem supra Pontificem, illam enim ei abstulit Christus, eximendo Pontificem. Nec etiam Pontifex potest illam ei tribuere, quia Pontifex, vt Pontifex est (ita enim nunc de illo loquimur) non habet temporalem iurisdictionem directam etiam supra alios, nedum supra se ipsum; ergo nec potest illam dare Imperatori supra se, quia in hoc genere non dat, quod non habet; ergo non potest se submittere iurisdictioni sæcularis Imperatoris. Probatur consequentia, quia non posset se submittere, nisi dando illi talem iurisdictionem, quia ipse iam illam non habet: ergo licèt Pontifex velit iudicari ab ipso, si non det illi iurisdictionem, non submittetur iurisdictioni illius, neque Imperator poterit Pontificem iudicare tanquam habens iurisdictionem in ipsum. Loquor autem de iurisdictione temporali, quia sola subiectio respectu temporalis iurisdictionis, est contraria exemptioni, de qua nunc tractamus. Potestque hoc confirmari ex alio principio, quod nemo potest renunciare priuilegio in fauorem communitatis, & dignitatis concesso, talis autem est exemptio Papæ, non enim intuitu personæ, sed in honorem ipsius Christi data est: de quo argumento plura inferiùs. Et hoc etiam probat obiectio facta, quæ per hoc soluitur, negamus enim, posse Pontificem renuntiare suæ exemptioni, se alteri præsertim laico subijciendo; quia tali iurisdictioni non potest Pontifex subijci, vt dixi, quia non potest illam dare, non habenti. Nec potest facere, vt iurisdictio temporalium Regum, supra quam Christus Vicarium suum constituit, supra illum extendatur. Ita ergo sufficienter obiectioni satisfit.

A
B
C
D

Primæ conclusio. Pontifex iurisdictioni temporali se subijcere nequit. Probatur.

Soluitur ad sextam obiectionem.

Pontifex exemptioni suæ renunciare non potest.

Quia verò, quæ in illa adducuntur, probant, posse Pontificem aliquo modo voluntariè se submittere alterius iudicio, declarare oportet, quomodo id intelligendum sit. Dico ergo vlteriùs, non posse Pontificem se submittere in foro exteriori iurisdictioni Ecclesiasticæ, seu spirituali alteri commissæ quoad vim coactiuam eius, siue directè in causis spiritualibus, siue indirectè in temporalibus, tam omnibus, quàm singulis, vel vna, aut altera causa. Ita sentiunt plures ex authoribus citatis, & optimè Bellarminus lib. 2. de Concilijs cap. 18. & Turrecrem. lib. 2. Sum. cap. 104. & 105. & idem sensit Caietan. tract. 2. de Potest. Papæ. Et probatur apertè, quia nulla iurisdictio Ecclesiastica esse potest in aliquo extra Pontificem, seruia, quæ non pendeat, & manet ab ipso Pontifice; ergo nunquam potest Pontifex illi subdi quoad vim coactiuam. Antecedens supponimus, nam licèt non sit certum omnem iurisdictionem Episcopalem, manare à Pontifice, est tamen probabilius. Et præterea certum est, omnem huiusmodi iurisdictionem pendere à Pontifice, posseque ab illo & ampliari, & restringi quoad causas, personas, & loca; quod nobis nunc satis est. Imò licèt fingeremus, datam esse alicui iure diuino aliquam iurisdictionem Ecclesiasticam independentem à Pontifice, id est, quæ ab illo tolli, aut limitari non posset, nihilominus illa non posset sufficere ad iudicandum Pontificem, quia, vt supponimus, ipse iure diuino exemptus est ab

3 *Secunda conclusio. Pontifex nõ potest spiritualibus quæ potestati aliquod vim coactiuam subiacent se submittere.*

E
F

Probatur assertio.

omni

omni humano superiore; illa ergo iurisdictio, licèt esset iure diuino data non esset supra Pontificem, neque supra totam Ecclesiam, quia hæc soli Petro commissa est, sed ad summum esset in hoc, vel in illo Episcopatu, & in aliquo inferiori gradu. Igitur cogitari non potest, Pontificem iudicari ab aliquo per potestatem spiritualem, nisi per potestatem manantem ab ipso.

4 *Pontifex nõ habet potestatem coactiuam sui ipsius.*

Hinc ergo euidenter concluditur, hãc iurisdictionem non posse esse propriam & coactiuam. Probatur primò; quia Pontifex non accepit talem potestatem supra se ipsum, nemo enim habet vim coactiuam in se, quia licèt se punire possit, volens id facit, & sic non cogitur, ergo nec potest alteri talem potestatem communicare. Secundò, quia Pontificis causæ diuino iudicio sunt reseruatæ, vt dicunt Canones, qui maximè loquuntur in ordine ad forum externum, & coactiuum; ergo non potest Pontifex illas causas alteri committere quantum ad idem genus iudicij coactiui, quia non potest inferior dare iurisdictionem in casibus, seu causis reseruatis superiori. Tertiò, quia non potest Papa ita committere aliquam causam inferiori, quin ipse maneat semper superior in illa causa, & consequenter possit, vel reuocare iurisdictionem, si velit, vel de sententia ab inferiori data dijudicare, quia hoc totum intrinsecum est dignitati Pontificiæ, ideòque ita inest Pontifici ex vi iuris diuini, vt nunquam possit illud à se abdicare, nisi toti Pontificatui renunciando. Ergo licèt fingatur Pontifex committere alteri iurisdictionem in se ipsum, illa non potest esse verè coactiua, quia tam in duratione, quam in executione penderet à voluntate Pontificis; quod autem ita voluntarium est, non potest esse coactum. Quæ ratio æquè procedit in omnibus, & in singulis causis; nam in nulla potest Pontifex à se abdicare supremam iurisdictionem, quam habet.

5 *In casu hæ resis deposito Pontifice fit à solo Deo.*

Confirmatur hoc, quia Pontifex in nullo casu, etiam si alicui se subdere velit, potest per censuram compelli, vt est communis consensus Theologorum in 4. dist. 18. & 19. & in tractatu de Censuris latiùs diximus. Ratio autem non est alia, nisi quia semper manet superior illo, cui iurisdictionem committit, & ideò nec contumax esse potest respectu hominis, neque ligari censura, aut alia violenta pœna affici, aut deponi. Nam licèt in casu hæresis possit deponi, tunc re vera non deponitur ab homine, sed ab ipso Deo, præmissa legitimi Concilij declaratione, vt dixi, & ita ibi non intercedit voluntaria subiectio, neque etiam inuoluntaria coactio personæ Pontificis, quamdiu Pontifex est, sed solùm cognitio, & examinatio causæ, quam ipse in eo casu iustè impedire non potest, quia est concessa à Deo tanquam iusta & necessaria defensio.

6 *Vltima conclusio. Pontifex solum tanquã arbitro potest alteri se subdere.*

Concludo igitur vltimò, quod attinet ad externum iudicium humanum solum posse Pontificem se submittere iudicio alterius, tanquam arbitro, non tanquam proprio iudici, iurisdictione vtenti in ipsam personam Pontificis. Ita explicuit suam sententiam D. Thomas in dicta solutione ad 2. & sequuntur alij allegati. Et sequitur à sufficienti partium enumeratione, nam Pontifex potest se aliquo modo submittere iudicio aliorum, etiam in causis personalibus, de quibus præcipuè tractamus, vt probant ea, quæ in obiectione adduximus, sed non potest subijci propriæ iurisdictioni alicuius, vt ostendimus; ergo saltem potest se submittere iudicio alterius vt arbitri, quia non est alius modus subiectionis voluntariæ. Dico autem *voluntariæ*, quia licèt per vim, & tyrannidem, aut vsurpatam iurisdictionem possit Pontifex ab aliquo iudicari, & ipse Pontifex possit etiam id permittere, vel etiam eligere ad vitandum maius malum, vt fortasse fecit Paulus, quando appellauit Cæsarem: nihilominus illa submissio simpliciter est inuoluntaria, & iudicium de se violentum est, & iniquum, in subiectione autem voluntaria, de qua tractamus, iudicium de se fieri potest sine vi, vel iniuria aliqua. Ratio autem est iam tacta, quia tunc non fertur sententia iuridica in iurisdictione, seu superioritate fundata, sed fertur sententia arbitraria fundata in facto, seu conuentione aliqua. Et ita in illo actu non se gerit Pontifex vt Pontifex, committendo iurisdictionem suam, sed vt homo, qui voluntariè vult facere, quod quilibet priuatus posset præstare.

7 *Obiectio.*

Dices, postquam Pontifex se subiecit alicuius iudicio, tenetur in conscientia, & interdum ex iustitia parere sententiæ latæ, si iusta sit; ergo procedit ex potestate superiori, & ex vi coactiua, quia omnis necessitas quædam coactio est. Ad hoc Caietanus loco citato concedit, ibi intercedere aliquam potestatem superiorem saltem secundum quid, & eodem modo dicit seruari ibi vim coactiuam, ac denique indicat, illam sententiam ferri in virtute iurisdictionis à Pontifice commissæ. Sed hoc vltimum, vt dixi, admittendum non est, in reliquis verò potest esse æquiuocatio in verbis, quæ cauenda est. Et ideò *Solutio.* respondeo breuiter, in sententia arbitraria non requiri potestatem superioris, sed purum iudicium arbitri: nec esse necessariam vim coactiuam, & ideò dixit D. Thomas ibidem solere in arbitrijs adhiberi, pœnam, quia in iudice non est coactio. Quod adeò verum est, vt neque ad ipsam pœnam possit cogere. Vnde quamuis Papa, cum se submittit alicuius iudicio, possit promittere sub aliqua pœna stare sententiæ, non poterit ad illam pœnam cogi, licèt in conscientia possit interdum ad illam obligari.

8 *Pontifex nõ potest ad pœnã ab arbitro impositam cogi.*

Ad argumentum ergo nego consequentiam, quia necessitas obligationis in conscientia non oritur ex vi coactiua, sed ex directiua, quæ potest admitti in tali sententia. Aduerto tamen, hoc esse intelligendum de virtute ostensiua potiùs, quàm effectiua, quia talis sententia respectu Pontificis non habet vim præcepti, quod possit Pontificem in conscientia obligare, quam vocamus vim directiuam effectiuè, sed habet vim puræ sententiæ declaratiuæ ostendentis debitum iustitiæ, quod ex iniuria, vel pacto, vel alio simili titulo potest cadere in Pontificem ex vi legis naturalis, & ita est res perspicua. Et ob eandem causam non existimo necessariam distinctionem Caietani dicentis, Papam posse se subijcere iudicio aliorum in quibusdam causis, & non alijs, verius enim, & facilius dicitur, in omnibus se posse submittere quoad vim directiuam modo explicato, in nullis autem quoad coactiuam.

9 *Solutio obiectionis in principio positæ.*

Ad obiectionem ergo principalem respondetur, in prædicto modo subiectionis voluntariæ nullam interuenire renunciationem priuilegij exemptionis, vt constat. Ad primum autem exemplum Leonis IV. respondetur, non excessisse prædictum modum arbitrariæ sententiæ, vt ex textu, & ex historijs constat. Idem dicendum est de Symmacho, in quo tamen facto est considerandum, cum Theodoricus abuti vellet modestia Pontificis, & per modum superioris iudicare, clamasse Concilium, Pontificem à nemine iudicari posse, vtique illo modo, ipse etiam consentiente. Sicut etiam in alio Concilio de Marcellino conclamatum fuerat. Et similiter alia facta Sixti, & Leonis 3. clariora sunt, quia in eis Pontifices non se submiserunt aliorum iudicio, sed solum ad tollendum fortasse scandalum, se voluntariè purgare voluerunt, vtique vel publico iuramento, vel alijs probationibus, & rationibus innocentiam suam ostendendo.

10

Verba autem Gregorij, quæ à Gratiano in dicto capite *Siquis*, referuntur, suntq; Gregorij IV. in Epi. vnic. ad Episcopos Europæ, quæ in fine secundi tomi Epistolarum Decretalium refertur, nihil ad præsentem causam faciunt; proprius tamen illorum sensus

tis intelligi non potest, nisi & finis epistolæ, & præcedentia verba considerentur. Scripsit enim Pontifex illam epistolam in defensionem Aldrici Episcopi, qui acculatus fortè ab aliquibus, ad Sedem Apostolicam confugerat, eiusq; auxilium imploranerat. Et hac occasione decernit ibi Pontifex, Apostolicæ Sedis priuilegium esse, vt omnibus liceat ad illã appellare, & vt *nihil prius de eo, qui ad sinum sanctæ Romanæ confugit Ecclesiæ, eiusq; implorat auxilium, decernatur, quam ab eiusdem Ecclesiæ fuerit præceptum authoritate.* Postquam autem hæc verissima principia grauiter fundauit, subiungit: *Super quibus si quis nos arguere voluerit, aut extra authoritatem nos facere cõtenderit, veniat ad Sedem Apostolicam*, & cætera, quæ suprà retulimus. Vnde constat, ipsum non tractare de aliqua propria causa, vel iudicio personæ suæ, sed de dogmatibus fidei, & de authoritate Sedis Apostolicæ, ad cuius iudicium, non ad aliud humanum prouocat, vt patet, cùm dicit: *Veniat ad Sedem Apostolicam, quò omnia Ecclesiastica negotia, de quibus quæstio habetur, confluere iussa sunt.* Ad demonstrandam autẽ confidentiam de virtute doctrinę addidit idem Pontifex, *vt ibi ante confessionem Sancti Petri mecum iustè decertet*, vtique non in forensi iudicio, sed in veritatè inquirenda, neque testibus factum aliquod comprobantibus, sed Pontificum, Conciliorum, & consuetudinis authoritate. Et concludit, *quatenus inibi vnus ex nobis sententiam suscipiat suam*, id est, vt ille vincat, qui suam sententiam melius probauerit. Non tamen dubitans, sed, vt dixi, certus de sua veritate ita loquitur.

Ita legit Gratian. at in originali Romano habetur mihi, sed prius videtur melius.

II *Cur Pontifex iudicio Confessoris & non alterius se subdat.*

Ad exemplum de foro confessionis respondemus, esse in multis dissimilem rationem. Primò quia Pontifex non est vllo iure exemptus à iudicio sacramentalis confessionis, cùm sit homo, & peccator, & obligetur eodem præcepto pœnitentiæ, vel confessionis. Secundò, quia illud iudicium est altius, & diuinius quocunque iudicio externo, vnde in illo principalis iudex est solus Deus, & confessor solum est instrumentum Dei, eiusque vicem immediatè gerit. Tertiò dicunt aliqui confessorem in illo foro habere iurisdictionem immediatè à Deo, Pontificem autem solùm applicare materiam, seu eligere confessorem, quod est probabile, præcipuè in illo casu speciali. Mihi autem probabilius est, Papam dare iurisdictionem confessori supra se ipsum vt peccatorem, sed in hoc esse illam iurisdictionem dissimilem, quod non est omnino coactiua, sed medicinalis, cuius signum est, quia confessor non potest pœnitentem omnino cogere ad pœnam satisfactoriam, sed oportet ab illo voluntariè acceptari. Item est alia dissimilitudo, quia iurisdictio illius fori, licèt quatenus immediatè datur ab homine, ab illo pendeat in conseruari, quia ab eodem reuocari potest, nihilominus in se est altior, & diuinior, quia etiam de occultissimis, & quæ in corde latebant, iudicat, & de omnibus vltimam sententiam profert, à qua neque ad Pontificem, neque ad vllum hominem appellari potest.

Pontificem suo confessori iurisdictionem tribuere probabilius.

12 *Vtrum Christus Dominus Pilato se subiecerit.*

Ad exemplum de Christo Domino, aliqui existimant, Christum verè se subiecisse iurisdictioni Pilati, dando illi veram potestatem supra se ipsum, vt hominem; in quam sententiam inclinat Toletus Ioan. 19. annotat. 4. & refert Irenæum lib. 4. cap. 34. Sed aduerto, aliud esse loqui de potestate Pilati absolutè, aliud de potestate respectu Christi, qui etiam respectus potest esse auriuris, aut facti. Potestas ergo ipsa, qua de facto Pilatus vtebatur in Christum à Deo erat, & sic non permissiuè tantùm, sed etiam positiuè intelligi potest, quod Christus dixit, *Non haberes in me potestatem vllam, nisi tibi datum esset desuper*, vt ibi sentit Augustin. tract. 116. & Bernard. epist. 42. At verò potestas illa vt relata ad Christum non fuit data in illum tanquam in subditum, quia illa iurisdictio per se, & in se spectata in illum tanquam in subditum non cadebat, vt probant sufficienter verba Christi Matth. 17. & quæ circa illa capite præcedenti tractauimus. Solùm ergo per violentiam Iudæorum, & per ignorantiam Pilati factum est, vt illa potestas exerceretur circa Christum, & quoad hoc permissiuè tantùm intelligitur, potestatem illam esse à Deo, vt rectè ibi docent Chrys. Hom. 83, & Cyrillus lib. 12. ca. 22. & certè non aliud docuit Irenæus. Quocirca subiectio illa Christi Domini ex parte sua tantùm fuit tolerantiæ, & permissionis, & non alicuius concessionis potestatis, vel iurisdictionis, nec renunciationis alicuius priuilegij, & ideò exemplum nihil proposito deseruit.

CAPVT VIII.

VTRVM CLERICI OMNES SVB Pontifice existentes à iurisdictione temporalium Principum iure diuino exempti sint, & tractantur duæ contrariæ opiniones.

1 IN hoc puncto duæ sunt opiniones contrariæ, & valde communes, quas in hoc capite cum suis fundamentis breuiter referam, in sequenti verò meum qualecunque iudicium interponam. Prima taque sententia absolutè negat, hanc immunitatem esse de iure diuino. Quam tenent multi Doctores, ex quibus quidam affirmant esse de iure humano, & tacitè indicant exclusiuam. Alij vel in genere, vel in specie declarant, non esse de iure naturali. Sic refertur pro hac sententia Diuus Thomas ad Romanos 13. lectione prima, vbi ait, Sacerdotes esse immunes à tributis soluendis, concessione Principum consentanea æquitati naturali; eadem autem, vel maior ratio est de exemptione à foro, seu iurisdictione Principum, vt suprà tactum est, & in sequentibus dicetur. Henricus etiam quod lib. 9. quæst. 31. dicit, immunitatem clericorum esse ex statutis Papæ, & Imperatorum, vbi licèt non ponat expresse negatiuam partem, scilicet, non esse de iure diuino, satis eam significat, dum originem huius immunitatis humanis tribuit statutis. Expressiùs tenet Almain. in 4. dist. 25. q. 1. vbi refert Ochamum, & communem sententiam Parisiensium.

Prima sententia.

Primi auctores.

2 Latius hoc tenent moderni Theologi, Medin. C. de Restitut. q. 15. vbi præcipuè agit de Tributorum exemptione, sed ad omnia extendit sermonem. Idem tenet Victor. in Relect. 1. de Potestate Ecclesiast. q. 6. conclus. 2. Sot. in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 2. Ledesm. 2. part. quarti quæstion. 20. artic. 4. versic. *Hæsitabit*, conclus. 2. & 3. Palatius in 4. dist. 25. disput. 3. circa finem, Salon. 2. 2. quæst. 67. art. 1. controuers. 1. cap. 4. & Bannez ibid. dub. 2. Albertus Pighius lib. 5. Ecclesiasticæ Hierarch. ca. 7. vbi hac ratione constituit differentiam inter Principes ethnicos, & infideles, quòd clerici fuerunt sub iurisdictione sæcularium Principum, quamdiu ethnici fuerunt, vel nunc etiam sunt in regnis, vbi Reges sunt gentiles, Principibus autem Christianis non subijciuntur. Ratio autem differentiæ est, quia Principes ethnici nec cesserunt iuri suo, nec legibus Ecclesiasticis subduntur, sicut Christiani Principes. Quæ doctrina apertè supponit, exemptionem hanc tantùm esse de iure humano, & sequitur Iansenius cap. 69. Concordiæ, indicat Maldonat. Matth. 17. exponendo Hieronymum, expressiùs Salmeron tom. 6. in Euangel. tract. 37. versus finem. Et eandem opinionem tenet Molina. 1. de Iust. disp. 31. Henriq. libr. 7. de Indulg. cap. 24. Ex Canonistis idem sentit Innocentius cap. 2. de Maiorit. & obedien. Licet enim sub distinctione loquatur, tamen hanc partem posteriori loco ponit, & in eam magis inclinat. Eandem tenet Couarruuias in libr. Practicarum quæstionum capite trigesimo primo, vbi alios refert.

3

Funda-

3. Fundamentum huius sententiæ duobus modis explicari potest, negatiuè scilicet, & positiuè. Negatiuum argumentum est, quia nec authoritate, nec ratione satis probatur hoc diuinum ius. Estque hoc argumentum negatiuum efficax, supposito antecedenti, quia non sunt præcepta iuris diuini admittenda sine testimonio satis certo, aut ratione cogente. Quod autem hoc non constet, declaratur, quia vel illud ius est positiuum, & hoc nullo testimonio sufficienter probatur; vel est naturale, & hoc oportet, vt ratione conuincatur, quam inuenire facilè non est.

1. Fundamẽt.

Prior pars probatur, quia vnus tantum locus Euangelij solet ad hoc ius diuinum positiuum probandum adduci, verba scilicet, Christi Matth. 17. *Ergo liberi sunt filij*, quæ non videntur efficacia, quia suprà diximus intelligi de filijs naturalibus, & Christum, propter singularem participationem suæ dignitatis, quam Petro tribuebat, ad ipsum illa extendisse. Sed instatur, alia consideratione extendi ad totum clerum, quia est veluti specialis familia Christi, exemptio autem filij naturalis extendi solet ad familiares.

4 At verò hæc verborum Christi inductio non videtur multum vrgere, tum quia non est ex natura rei necessarium, vt exempto naturali filio, eximatur familia, sed hoc pendet ex voluntate Patris, seu Principis, quam voluntatem Christus ibi non ita erga alios declarauit, sicut erga Petrum; imò specialiter designando Petrum, alios excludere, seu non comprehendere visus est; tum etiam, quia licèt sæpiùs eximatur familia cum patrono, non semper, imò rárò æqualiter, quo modo ergo inde concludi potest æqualis exemptio à potestate sæcularium Principũ omnium clericorum cum Petro, vel etiam Christo? vel si æqualis non infertur, quanta colligitur? Præsertim quia hic magis vrget difficultas quædam suprà tacta, quòd illo loco tantum est sermo de exemptione à tributis; est autem multò difficilior exemptio à foro, & iurisdictione respectu familiæ, cũ neque ipsismet filijs concedi soleat.

5. Posterior verò pars de iure naturali probatur, quia hoc ius debet esse fundatum in aliqua proprietate supernaturali, quia vt suprà de Pontifice explicui, hoc ius non regulatur mero lumine naturali, sed vt illustrato per fidem, supposita aliqua proprietate, vel dignitate supernaturali. In præsenti autem nulla videtur esse proprietas supernaturalis, ad quam talis exemptio necessariò consequatur. Probatur, quia si aliqua esset, maximè character clericalis; hoc autem non ita videtur, tum quia seruus ordinatus contra voluntatem Domini non statim liberatur à seruitute ex vi characteris? Iuxta cap. 2. & penult. de seruis non ordin. neque omnes habentes characterem hoc gaudent priuilegio, sed multi illo priuantur, vt infrà videbimus. Tum etiam quia per characterem clericalem solùm dedicatur homo peculiari modo diuino cultui, seu recipit peculiarem potestatem ad ministrandum in illo; non repugnat autem ex natura rei, aliquem esse peculiari modo deputatum diuino obsequio, & simul esse subditum temporali Principi in his, quæ diuino obsequio non repugnant. Tum etiam quia alias daretur ansa dicentibus, Christianos omnes esse exemptos à iurisdictione Principum temporalium ex vi characteris baptismalis, quia per illum sunt peculiari modo consignati, & consecrati cultui diuino multò aliter, quàm reliqui homines. Tum præterea, quia multi sunt clerici non habentes characterem, vt qui tantum sunt tonsurati; & nihilominus, si aliæ conditiones necessariæ concurrant, habent eandem exemptionem, quam alij clerici; ergo signum est, non oriri ex illo iure naturali. Idemque argumentum sumitur ex alijs personis Ecclesiasticis fruentibus hac exemptione, etiam si nec tonsuram habeant, vt sunt religiosi laici, seu conuersi, & religiosæ fœminæ, & si qui sunt huiusmodi. Tum denique quia quod est de iure diuino isto modo, ita est necessarium, vt contrarium sit intrinsecè malum, clericũ autem iudicari per iurisdictionem laicam non est intrinsecè malum; ergo oppositum, nimirum, quòd clericus sit exemptus à tali iurisdictione, non est de iure diuino naturali.

Atque hæc vltima ratio non tantùm negatiuè, sed etiam positiuè (quod secundo loco proposui) videtur hanc sententiam persuadere. Nam, quod est contra ius diuinum, nunquam licèt, subiectio autem huic exemptioni contraria sæpe licet; ergo signum est, hanc exemptionem non esse de iure diuino. Et confirmatur primò, quia clerici non semper fuerunt in Ecclesia exempti à foro iudicis sæcularis, vt ex Paulo ad Romanos 13. cum expositione Chrysostomi, & aliorum colligitur; ergo non est de iure diuino, alioqui simul cum ipsa Ecclesia natum fuisset. Potestque argumentum in hunc modum explicari. Quia longe aliter fuerunt à principio nascentis Ecclesiæ exempti clerici à foro sæculari in causis spiritualibus, ac in temporalibus. Nam in prioribus nullo modo tenebantur laicis obedire in conscientia, nec poterant ad illorum tribunalia recurrere pro expeditione talium causarum. At in posterioribus tenebantur eis obedire, & poterant ad illos recurrere, quantum erat ex vi iurisdictionis. Ergo signum est distinctionem fori in spiritualibus longè aliter esse de iure diuino, quàm distinctionem fori in temporalibus. Ergo signum est hoc priuilegium quoad temporalia non esse immediatè, & per se ex diuino iure.

6. 2. Fundamẽt.

1. Cõfirmatio

Secundò hoc confirmatur, quia Ecclesia interdum tradit clericum brachio sæculari, vt ab eo possit etiam morte puniri, præmissa declaratione, per quam priuat clericum priuilegio fori, & in iure sunt aliqui casus, in quibus priuantur clerici tali priuilegio; ergo signum est priuilegium illud non esse iuris diuini. Nam quæ sunt iure diuino statuta mutari, aut auferri non possunt. Nec satisfaciet qui dixerit, tunc non auferri priuilegium, nec mutari ius diuinum, quia iudex sæcularis non sua authoritate, vel vt causa principalis (vt sic dicam) sed vt Ecclesiæ minister, & per eius potestatem in clericum animaduertit. Hoc (inquam) non satisfacit, tum quia iura, & Doctores passim dicunt, tunc priuari clericum suo priuilegio fori, seu (quod idem est) non gaudere immunitate Ecclesiastica, tum etiam quia cùm iudex vtitur gladio materiali ad pœnam mortis, certè non imperat per iurisdictionem spiritualem, sed per temporalem, quia spiritualis non extenditur ad huiusmodi pœnam, nisi permissiuè, vt sic dicam. Quapropter non se gerit tunc vt causa per se influens (vt ita rem explicem) sed vt remouens prohibens, vtique auferendo priuilegium, & tollendo pro illo casu Præceptum prohibens, laicum iudicare clericum; ergo signum est, illud non esse iuris diuini.

7 2. Cõfirmatio

Euasio quædam refellitur.

Denique similis confirmatio sumi potest ex eo, quòd si hæc exemptio esset de iure diuino, esset æqualis in omnibus clericis, quia ius diuinum naturale nihil inter eos distinguit; non est autem ita, quia in primis clerici coniugati non ita gaudent hoc priuilegio sicut alij, vt constat ex iure. Item clerici minores, licèt coniugati non sint, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant vel tonsuram, & habitum clericalem deferant, non gaudent priuilegio fori. Deinde licèt clericus conueniri non possit coram iudice laico, potest tamen reconueniri saltem in causa ciuili, licèt non in criminali, vt ex iure notat Syluester verb. *Iudex*. nu. 4. Item in causa feudi non seruatur exemptio, & in nõnullis alijs casibus, & præsertim solet in iure excipi, nisi consensus Prælati accedat, c. 2. de Iudicijs; ergo nõ est vniformitas, neq; æqualitas

8. 3 Cõfirmatio

Cap. vnic. de Cleric. coniug. in 6.

Conc. Trid. sess. 23. c. 6. de Reform.

Euasio.

in hac exemptione. Quòd si quis dicat, attento iure diuino solo, vniformem esse exemptionem de omnibus, & pro omnibus, varietatem autem illam esse humano iure inductam. Contra hoc facit, quia hoc videtur signum sufficiens, ipsam immunitatem absolutè non esse de iure diuino, aliàs non posset iure humano ita variari. Sicut nos colligimus, iurisdictionem Episcoporum non esse immediatè de iure diuino, quia per hominem limitari, ampliari, & variari potest.

Impugnatur

9.

Nihilominus est secunda sententia, quæ simpliciter affirmat, exemptionem clericorum esse de iure diuino, quæ satis communis est, authores tamen eius ferè non declarant, an de iure diuino positiuo, vel naturali loquantur: plures tamen eorum de iure naturali loqui videntur, quantum ex rationibus, & allegationibus eorum colligi potest, quanuis nonnulli aliquid etiam de iure positiuo diuino attingant. Ita ergo potest pro hac sententia in primis allegari Glossa in cap. *Si imperator*, verb. *Et discuti. 69.* distinct. quæ apertè dicit, constitutiones Ecclesiæ eximentes clericos à foro sæculari, esse declarationes iuris diuini, quo talis exemptio illis concessa est ante omnem constitutionem Ecclesiæ. Non tamen declarat illa Glossa, quale sit illud ius diuinum, nec etiam expresse loquitur de exemptione in causis temporalibus. Possetque intelligi de causis Ecclesiasticis, de quibus textus ipse maximè loqui videtur. In eandem sententiam inclinat Glossa in capite *Quanquam*, verb. *Diuisio*, de Censib. in 6. vbi etiam textus fauet, dum ait, Ecclesias, & Sacerdotes non solùm humano, sed etiam diuino iure à iugo tributorum temporalium esse exemptos. Quæ duæ Glossæ communiter in illis locis receptæ sunt, vt latè cum alijs multis Doctoribus refert Couarruuias suprà citatus. Hanc item sententiam non improbat Innocentius in capite 2. de Maiorit. & obedient. Tenet Rota in titul. de Consuet. decis. 3. & 10. in Antiquis, Abbas in capite *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, de Constit. numero 6. vbi Felinus numero etiam 6. plures alios allegat, & expressius declarat, contra rationem naturalem esse, vt clerici iudicentur à laicis. Quod latiùs declarat Rebuff. alios referens in Concordat. titul. vltim. Idemque tenet Nauarr. in cap. *Nouit*, de Iudic. notab. 6. num. 30. saltem quoad exemptionem in criminalibus causis, de quibus idem sentit, quod de exemptione in spiritualibus, licèt de ciuilibus aliter sentiat. Ex Theologis tenet Almain. de Potest. Ecclesiast. c. 8. vbi censuit hanc opinionem probabiliorem, & refert quendam Carlerium in tract. contra Bohemos, qui illam defendit. Eam etiam tenet Bellarminus in libro primo de Cleric. cap. 28. propos. 5. & cap. 29. & latiùs in disp. speciali tom. 2. in fine, & tandem in lib. Recogni. circa eadem loca, & circa lib. 2. de Pontifi. cap. 19. Tenet etiam Iulius Clar. referens alios lib. 5. §. fin. q. 36. Cened. collect. 37. & indicat Syluest. verb. *Immunitas*, 1. quæst. 4. & Angel eodem verb. nu. 33.

2. Sententia affirmans.

10

Fundamenta huius sententiæ ad tria capita reducuntur.

Fundamenta huius sententiæ, quædam generalia sunt, & ab vtroque iure diuino positiuo, vel naturali abstrahentia; alia ius naturale attingunt; alia verò positiuum. In primo ordine ponimus iura canonica, quæ hoc significant, in quo ordine allegari solent multa iura, quæ suprà in cap. 2. retuli, sed illa omitto, quia loquuntur de exemptione in causis spiritualibus, & ideo ad exemptionem in temporalibus in rigore extendi non possunt. Afferuntur etiam multa, quæ in fine capitis tertij adduxi, quæ similiter prætermitto, quia licèt affirment exemptionem in temporalibus, de origine eius nihil dicunt; quomodo autem induci possint, infrà declarabo. Ex antiquis ergo decretis solum inuenio cap. *Relatum* 11. quæst. 1. quod est Alexandri Papæ epist. 1. quod pro hac parte induci potest, quatenus contra violatores immunitatis personarum Ecclesiasticarum ita concludit: *Taliter prævaricantes præuaricati sunt in Deum suum, & non obediunt præceptis eius.* Secundò facit textus Concilij Lateranensis sub Innocent. III. in cap. *Nimis*, de Iureiurán. quod sic habet: *Nimis de iure diuino quidam laici vsurpare nituntur, cum viros Ecclesiasticos nihil temporale obtinentes ab eis præstandum sibi fidelitatis iuramenta compellunt.*

A

B

C

D

E

F

Tertiò facit cap. *Quanquam*, de Censib. in 6. quatenus dicit: *Ecclesiæ, Ecclesiasticæq; personæ, ac res ipsarum nõ solum iure humano, quinimò, & diuino à secularium personarum exactionibus sunt immunes.* Vbi licèt sit sermo de exemptione à tributis, inde sumitur argumentum ad priuilegium fori, vel à paritate rationis, vel quia Paulus ad Roman. 13. dixit, *Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui male agit.* Et subdit inferiùs: *Ideò enim, & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes*, significans illa duo esse coniuncta, ius regendi temporaliter, & ius exigendi tributum, & consequenter è conuerso inferri posse, si ius diuinum exemit clericos à tributis etiam à ciuili subiectione eos eximisse. Quartò induci possunt cap. *Continua.* 11. quæst. 1. & cap. *Futuram.* 12. quæstione 1. quatenus in eis referuntur verba Constantini Imperatoris, quæ in Concilio Nicæno Episcopis dixit: *Vos à nemine iudicari potestis, sed iudicio Dei reseruamini:* nam ex vi iuris diuini loquutus videtur, cùm eo tempore nondum esset ius humanum in hac parte satis stabilitum.

Quintò ex recentioribus Concilijs generalibus est optimum testimonium Concilij Lateranensis sub Leone X. in sessione nona in Bulla reformationis curiæ dicentis: *Cùm à iure tam diuino, quàm humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, & cætera.* Nam si ab aliquo iure laici non habent potestatem in clericos, profectò illam non habent, quia sine iusto titulo, & in aliquo iure fundato illam habere non possunt; ergo sicut laici, quantum est ex vi iuris diuini hac carent potestate, ita clerici ex vi eiusdem iuris diuini sunt exempti, quia nemo subditus est potestate carenti. Sextò hoc valde confirmat Concilium Tridentinum sessione 25. capite 20. de Reformatione dicens: *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam.* Illud autem dicitur esse de iure diuino, quod Dei ordinatione statutum est. Tandem ad idem faciunt verba Concilij Colonien. 1. part. cap. 20. dicentis, hanc immunitatem esse *vetustissimam iure pariter diuino, ac humano introductam.*

12

13

Fundamenta immunitatis iuri naturali tributentia.

In secundo ordine ponenda sunt ea fundamenta, quæ hoc esse ius diuinum naturale suadent. Et quamuis, vt dixi, hoc ius non sit purè naturalis ordinis, sed per connaturalitatem ad sacerdotium supernaturale, nihilominus ab ipsa pura natura magnum indicium, & quasi à fortiori argumentum sumitur. Nam inter infideles, sui qualescunque Sacerdotes quasi ductu naturalis luminis ab oneribus laicorum erant exempti; ergo multò magis hæc exemptio erit de iure diuino naturali in lege gratiæ. Quo argumento ferè vtitur Pontifex in capite *Non minus*, de Immunitate Ecclesiarum, adducens exemplum Pharaonis, *qui*, vt ait, *legis diuinæ notitiam non habebat, & nihilominus, omnibus alijs seruituti subiectis, sacerdotes, & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & eis alimoniam de publico administrauit*, Genes. 47. & simile est factum Artaxerxis, qui Sacerdotes, Leuitas, & alios ministros domus Dei à vectigalibus, tributis, & annonis liberos fecit 1. Esdræ 7. Denique Anacletus Papa epistola 2. ad hoc inducit illud Zachar. 2. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Cui consonat illud Psalm. 104. *Nolite tangere christos meos*, id est Sacerdotes. Nam in his verbis declaratur peculiaris reuerentia, quæ Sacerdotibus debetur ex dictamine iuris naturalis, quia sunt peculiariter Deo dicati, & coniuncti, iuxta illud Numeror. 3. *Eruntq; Leuitæ mei,*

mei, & cap. 18. dicuntur traditi *in donum Domino*, & ideò Iosue. 13. Domiuus dicitur possessio Leuiticæ tribus. Sicut ergo naturalis ratio dictat, Sacerdotes esse peculiariter venerandos, ita etiam dictat, non esse subijciendos sæcularibus iudicijs.

Hoc autem argumenti genus maiorem profectò vim habet in statu clericorum legis gratiæ, quia excellentiori modo sunt Deo consecrati. Vnde in hunc modum argumentari possumus, Personæ Ecclesiasticæ sunt speciali consecratione Deo dicatæ, & sacræ effectæ; ergo ex iure naturæ debetur illis peculiaris reuerentia ad religionem pertinēs; ergo etiam exemptio talium personarum à iugo sæcularis potestatis est quasi connaturalis, seu iure naturæ debita statui talium personarum, præsertim quoad causas criminales, & personales earum. Sicut vas aureum, & argenteum, quod ex se posset licitè communi vsui deseruire, eo ipso quod consecratum est in calicem, ex natura rei manet liberum, & immune à tali vsu; nec potest sine sacrilego ad illum transferri iuxta regulam 51. de Regul. iur. in 6. *Semel Deo dicatum non est ad vsus humanos transferendum*, cum similibus. Sic ergo videtur dicendum de persona, quæ Deo consecrata est respectu subiectionis ad tribunal sæculare. Quia non posset vsus talis subiectionis noncedere in magnam irreuerentiam talium personarum, & totius Ecclesiastici status.

14 *Ratio pro hac parte.*

Confirmant Iuristæ rationem hanc primò, quia Sacerdos ex vi sui status est superior laico. distin. 96. cap. *Duo sunt.* sed ex natura rei inferior debet honorem superiori; ergo & laicus clerico. Contra hunc autem honorem clericis debitum fit, si in iudicium sæculare vocentur, & ex natura rei id redundat in vilipendium, & ignominiam Ecclesiasticæ dignitatis & præbet occasionem vulgari populo contemnendi clerum; ergo ex talium personarum statu ex natura rei sequitur talis exemptio. Quam rationem optimè declarant, & confirmant verba Concilij Matisconen. 2. cap. 9. vbi improbans violentias sæcularium iudicum contra clericos, rationem hanc subdit. *Nefas est enim, vt illius manibus Episcopus, aut iussione de Ecclesia trahatur, pro quo semper Deum exorat, & cui inuocato nomine Domini, ad saluationem corporis, animæq; Eucharistiam sæpe porrexit.* Ponderandum est enim, quòd ad probandum id esse *nefas*, non positiuam legem, sed dignitatem, sacerdotalem, & rationem in illa fundatam adducit. Secundò confirmatur quia contra rationem est, vt inferior iudicet superiorem cap. *Cum inferior*, & cap. *Solitæ*, de Maiorit. & obedient. & ideò nulla consuetudine introduci potest, vt inferior acquirat iurisdictionem in superiorem, vt Doctores colligunt ex cap. *Inferior.* dist. 21. Est ergo naturali rationi contrarium, vt laicus inferior Sacerdotem se superiorem iudicet. Quod rectè confirmant verba Gregorij VII. libro 8. epist. 21. quæ retulit Gratian. dist. 96. cap. 9. *Quis dubitet, Sacerdotes Christi, Regum, & Principum, omniumq; fidelium patres, & magistros censeri. Non ne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subijcere, à quo credit, nō solùm in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse, & solui?* Denique addunt Felinus, & Rebuff. contra rationem esse, vt aliquis feratur ad tribunal suspectum odij, & inimicitiarum; sed laici ordinariè sunt infesti clericis, cap. *Laicos* 2. q. 7. cap. *Clericos*, de Immunit. Ecclesiæ in 6. ergo.

15 *Confirmatio.*

Confirmatio.

Vltimo loco adducuntur fundamenta, quæ suadeant, exemptionem hanc esse de iure diuino positiuo, quæ tria potissima sunt. Prius sumitur ex verbis Christi iam tractatis Matth. 17. *Ergo liberi sunt filij*, vbi sub filijs comprehendi clericos tanquam familiares Christi, indicat Hieronymus ibi, dicens: *Ille pro nobis, & crucem sustinuit, & tributa reddidit, nos pro illius amore tributa non reddimus, & quasi filij Regis à vectigalibus immunes sumus*; sub illo enim pro nomine Nos, se, & alios presbyteros, seu clericos solos comprehendere videtur, quia non est verisimile, loqui de omnibus Christianis. Eademq; expositio tribui solet Augustino lib. 1. Quæstionum Euangelicar. q. 23. quatenus ex dictis verbis infert, *in quolibet regno terreno liberos esse filios summi Regis, sub quo sunt omnia regna terrena*; nam per filios summi Regis non potuit intelligere omnes iustos, & ideò verisimile est, intellexisse Episcopos, presbyteros, & clericos, eo quod tales præsunt in regno Dei tanquam Regis filij, vt exposuit Caietanus Matth. 17. Sed hæc re vera non fuit mens illorum Patrum, vt in superioribus dixi, neque habet fundamentum in verbis Christi, & ideò aliter verba illa inducuntur per quādam extensionem. Nam filij Regum ita sunt liberi, vt etiam familiæ eorum cum eis eximantur, clerici autem peculiari modo sunt familiares Dei, & Saluatoris, vt dixit Thelesphorus Papa in epist. ad omnes fideles; ergo Christus in illis verbis secum illos comprehendit, & sub Petro, quando illi dixit: *Da eis pro me, & pro te*, quia Petrus vicem totius Ecclesiastici status tunc gerebat, vt indicauit Augu. ser. 6. de verb. Apostoli.

16 *Fundamēta exemptionē iuri diuino positiuo adscribentia.*

Dices, hanc extensionem non contineri in verbis Christi, neque præceptum aliquod vel institutionem quæ iuris diuini esse possit, ibi traditam esse. Neque etiam exemptionem familiæ cum filio naturali esse fundatam in aliquo iure naturali, sed in quadam congruentia, & vsu humano, & ideò non posse inde satis inferri dictam diuinam institutionem. Respondent verum esse, Christum non dixisse apertè, familiam esse liberam cum filijs, neque etiam sequi per necessariam, & euidentem cōsequutionem, propterea enim prædicta sententia quoad hanc partem nec de fide est, nec omnino certa. Nihilominus tamen verisimillimum est, extensionem illam esse de mente Christi, tum quia argumentatur à fortiori à filijs naturalibus hominum ad se ipsum, & ideò si in alijs priuilegium extenditur ad familiam, excellentiori modo extendi debet ad familiam Christi, quia & eius priuilegium ratione tantæ dignitatis maius esse debet, & eius familia nobilior, & excellentior est, tum etiam quia licèt coniunctio familiæ in exemptione non videtur necessaria in rigore iuris, seu consecutionis naturalis; est tamen valdè consentanea rationi, per se autem credibile est, Christum assumpsisse priuilegium exemptionis optimo modo, magisque rationi consentaneo.

17 *Obiectio.*

Responsio.

Accedit altera probatio ex traditione Ecclesiæ, quando enim traditio est constans, ac perpetua, ostendere solet ius diuinum, præsertim quando non apparet ratio illam tribuendi Apostolicæ institutioni; talis autem esse videtur traditio huius exemptionis; est enim adeò antiqua, vt nullum eius agnoscatur initium; nam pro temporum opportunitate semper obseruata est, præcipuè verò post tempora Christianorum Imperatorum, vt cap. 12. latiùs videbimus. Sub Imperatoribus autem ethnicis non potuit quidem executioni mandari respectu Magistratuum infidelium, qui Ecclesiæ non parebant, quod ad factū pertinet, ius autem Ecclesiæ non defuit; cuius signum est, quia semper Prælati Ecclesiastici hoc ius immunitatis obseruari fecerunt, quantum inter ipsos fideles fieri poterat. Et hoc ostendunt antiqui canones in fine capitis 3. allegati, qui nunquam referunt hanc consuetudinem in aliquam institutionem Apostolicam, sed tanquam diuinam illam venerantur, & obseruari student. His ergo modis videtur vtraq; ex his opinionibus probabiliter fundata.

18 *Corrobora-tur hæc pars ex traditione Ecclesiæ.*

CAPVT

CAPVT IX.

PRIVILEGIVM FORI CLERICORVM iure diuino, & humano esse fundatum, & quomodo id intelligendum sit.

1. *Conclusio.*

Resolutio certa, & indubitata in hac materia est, clericos esse exemptos à potestate ciuili *iure diuino pariter, & humano*: nã his ferè verbis hoc docent iura canonica supra relata, & sacra Concilia præsertim Lateranense sub Innocentio 3. & aliud sub Leone X. Tridentinum, & Colonienſe, quæ supra citaui. Vnde necesse est, vt authores omnes pro vtraque opinione allegati in capite præcedenti in hac generali resolutione consentiant. Quam etiam probant vtriusque sententiæ fundamenta, nam re vera probant, hoc priuilegium esse aliquo modo in vtroque iure fundatum. Quomodo autem hoc intelligendum sit, id est, quid in hoc negotio sit singulis iuribus tribuendum, explicandum pro viribus est, & inde etiam constabit, quæ sit diuersitas inter prædictas sententias, vel an ad concordiam redigi possint. Quoniàm verò ius humanum duplex est, scilicet, ciuile, & canonicum & de illis in capitibus vndecimo, & duodecimo ex professo dicendum est, ideò nunc breuiter suppono, hanc exemptionem non dependere per se ex iure ciuili, quia de se illud antecedit, esse tamen ab illo, vel tanquam à continente, & approbante, vel tanquam à donante, quantum est ex parte sua, seu si opus sit, vel tanquam à præcipiente iudicibus laicis, vt immunitatem Clericorum obseruent. De iure autem canonico certum est, & satis probatum, præcipere huius immunitatis obseruantiam. An verò hoc præcipiat conferendo illam, vel solùm declarando, quam Deus contulit, & obseruari voluit, pẽdet ex modo, quo talis iurisdictio esse potest à iure diuino, & ideo simul explicabitur. An verò solum ius canonicum per se sufficeret, ad hoc priuilegium conferendum, etiam si nec à Deo ipso datum esset, nec ius ciuile cooperaretur, sed potius resisteret, in capite vndecimo videbimus.

Ius humanũ duplex.

2. *1. Positæ assertionis explicatio.*

Prima ergo explicatio resolutionis positæ esse potest, vt per ius humanum intelligatur ius ciuile, per diuinum autem, ius canonicum, quod interdum diuinum appellatur, quatenus & potestate diuina, & supernaturaliter collata latum est, & quia de rebus diuinis, & ad bonum animæ pertinentibus potissimè disponit, & in dictis, vel exemplis Scripturæ frequẽter fundatur. Et sic expositum ius diuinum in præsenti materia Hostiensis in cap. *Nimis*, de Iureiurãd. ita interpretando caput illud, quem sequutus est Salmeron dicto tract. 37. ita exponendo cap. *Quanquam* de Censibus in 6. Et iuxta hanc expositionem omnino reijcitur secunda sententia præcedenti capite tractata, ideò enim per ius diuinum allegati authores in dictis iuribus canonicum interpretantur, vt defẽdant hanc exemptionem nullo modo esse à iure diuino proprio, id est, quod à Deo ipso immediate originem trahit.

3 *Probatur prædicta expositio.*

Ab hac verò sententia recedit Panormit. in d. ca. *Nimis*, in fine. Et sanè meritò. Tum quia valde impropriè ius merè canonicum diuinum appellatur, raroque aut nunquam vsus ille in ipsomet iure canonico inuenitur. Tum quòd licèt in vno, vel altero loco posset illa interpretatio permitti, præsertim si aliæ circumstantiæ iuuarent, nihilominus quando tot iura, & Concilia in iure diuino asserendo conueniunt, valde violenta est, incredibilis illa interpretatio. Accedit, quod Concilium Tridentinum fortasse ad excludendam illam verbi æquiuocationem, seu abusionem expresè distinxit inter ius canonicum, & diuinum, dicens, personarum Ecclesiasticarum immunitatem, *Dei ordinatione*, & *canonicis sanctionibus* esse constitutam. Quid enim sunt *canonicæ sanctiones*, nisi ius canonicum? illæ autem sanctiones etiam sunt ex ordinatione diuina, mediis Pastoribus Ecclesiæ; ergo distinguuntur ab illa ordinatione diuina, quæ est immediate à Deo: hoc autem est ius diuinum proprium; ergo de illo loquitur Concilium, & tacitè cætera iura de eodem interpretatur. Concilium etiam Lateranense sub Leone X. cùm ait, nec diuino, nec humano iure potestatem aliquam esse datam laicis in clericos; necesse est, vt de diuino iure proprio loquatur, alias non satis probasset, laicos non habere huiusmodi potestatem, quia posset quis dicere, habere illam proprio iure naturali, & diuino, vt hæretici contendunt. Sit ergo certum, assertionem, seu resolutionem propositam intelligendam esse de iure diuino proprio, seu immediato, & sub humano canonicum præsertim comprehendi, licèt non excludatur ciuile, quia Cõcilia hoc apertè asserunt, neque possunt aliter commodè explicari, quod satis est, vt simpliciter sit confitendum ita esse, quamuis in declarando modo, quo ius diuinum ad conferendum hoc priuilegium concurrit, possit salua fide esse inter Catholicos controuersia, & varietas.

4 *2. Resolut. assertionis declaratio.*

Secunda ergo declaratio assertionis esse potest, priuilegium exemptionis partim esse de iure diuino proximè, ac propriè; partim esse de iure canonico institutum. Nam iure diuino duobus modis existit, primò quia ab ipso Christo immediatè datum est Pontifici, secundò quia illi data est potestas, & præceptum diuinum communicandi priuilegium illud toti clericali statui. Iure autem canonico quasi completum, & executioni mandatum est hoc priuilegium; in particulari, ac definito modo illud conferendo singulis clericorum ordinibus sub Pontifice summo contentis, & ita per hoc ius canonicum quasi determinatum, & executioni mandatum est generale præceptum diuinum eximendi clericos à iurisdictione sæculari, quod hæc opinio esse supponit, & per illud maximè à præcedenti differt. Potest autem intelligi tale præceptum esse vel positiui iuris diuini, vel naturalis. Priori modo, vel intelligitur esse contentum sub illo generali præcepto dato Petro, *Pasce oues meas*, vtique singulas iuxta earum statum, & conditionem; vel dicitur diuininum, quia per imitationem, & similitudinem ex testimonijs, & exemplis veteris testamenti sumptum est. Sicut præceptum decimarum dici solet ex iure diuino manasse, vt in cap. *Tua nobis*, 2. & cap. *Decimas*, 3. de Decim. Et ideò sicut decimarum præceptum quoad cottam iure canonico completum est, ita & hoc exemptionis priuilegium. Maximè verò censeri potest illud præceptum iuris diuini naturalis, quia supposita diuina institutione clericalis ordinis, ex principijs naturalibus deducitur per illationem vel euidentem, vel ita necessariam moraliter, vt eam ob causam obligetur supremus Ecclesiæ Prælatus priuilegium illud inferioribus clericis communicare, & sub certa lege, & modo illud constituere.

Bellar. lib. 1. de Cler. c. 28. & 30.

5 *Hæc declaratio amplius elucidatur.*

Vt autem fundamentum huius declarationis, seu sententiæ intelligatur, quatuor assertiones in ea distingui possunt. Prima est, iure canonico præceptum esse; vt clerici sint exempti: & hæc pars verissima est, abstrahendo pro nunc à modo talis præcepti, & ita assertio in superioribus probata est, & in capite sequenti amplius confirmabitur. Secundo supponit hæc opinio esse in Ecclesia potestatem ad dandam clericis hanc exemptionem, etiam data hypothesi, quòd iure diuino id factum non esset. Et hoc etiam facilè concedi potest, de quo in vndecimo cap. dicemus. Tertiò affirmat hæc sententia, exemptionem hanc esse iure diuino præceptam, quod omnino verum esse censemus, non solùm de improprio præcepto diuino per imitationem, nec per

per solàm moralem deductionem ex principijs diuini iuris, quę per humanam constitutionem cõpleatur, sed per proprium, & rigorosum præceptum vel immediatè à Christo Domino latum, vel saltem media ratione naturali. Ratio est quia sine hac exemptione non potest decentia, & dignitas clericalis status cum debita reuerentia & honestate conseruari; ergo cui Christus illius status curam commisit, illi certè præcepit, vt clerum à sæculari potestate exemptum haberet, vel conseruaret, siue explicitè hoc ei præcipiendo, siue implicitè, & ex vi muneris, quod illi committebat, ex quo per illationem moraliter euidentem talis obligatio colligitur.

6 *Ius diuinum singulis clericis præbere immediatè exemptionẽ negat hæc opinio.*

Quartò docet hæc sententia priuilegium hoc non esse singulis clericis, aut clericorum ordinibus immediatè à Deo datum, sed soli Pontifici, vt per ipsum applicetur, & distribuatur reliquis. Et in hoc conuenit hæc sententia cum prima opinione capite præcedenti relata, & ita eisdem nititur fundamentis. Præcipuè quia vsus ipse videtur hoc declarare, quia hæc exemptio non omnibus personis, neque in omnibus temporibus, neque in omnibus casibus est æqualis, & variari amplius potest; ergo signum est non fuisse ita distributam immediatè iure diuino, sed fideli dispensationi Vicarij Christi commissam.

1. *Fundam.* Item quia hoc sufficit ad ea, quæ canones de hac exemptione docent, & in summa reducuntur ad verba Concilij Tridentini dicentis, exemptionem hanc *Dei ordinatione, & Ecclesiasticis sanctionibus esse constitutam.* Nam primum proprijssimè verificatur propter dictam obligationem, & præceptum iuris diuini, secundum autem ratione executionis Ecclesiasticæ.

7. 2. *Fundam.* Et declarari potest ex quæstione simili, quæ de iurisdictione Episcoporum tractari solet. An sit immediatè de iure diuino, vel à Pontifice. Et in ea resolutio probabilior esse solet, ius quidem diuinum immediatè præcipere, vt Ecclesia per Episcopos tanquam per ordinarios pastores, & Principes gubernetur, & quia hoc sine iurisdictione facere non possunt, ideo eodem iure diuino præceptum esse, vt eis sufficiens iurisdictio communicetur, & nihilominus in re ipsa, & in effectu immediatè per Pontificem communicari. Ita ergo de priuilegio exemptionis clericis tribuendo affirmat hæc opinio. Est enim similitudo, & proportio non parua: nam sicut exemptio clericorum in genere est de iure diuino, ita Episcopale munus est de iure diuino, & è conuerso sicut iurisdictio Episcoporum non est certa, & determinata iure diuino, sed per Pontificem ampliari, & restringi potest, ita etiam exemptio non est determinata iure diuino pro singulis clericis, casis, locis, aut temporibus, sed per Pontifices variari, augeri, & minui potest: ergo sicut iurisdictio Episcoporum, licèt ex præcepto diuino sit, tamen immediatè per Papam confertur, vt ab eodem certum modum, & mensuram recipiat; ita priuilegium hoc immediatè concessioni Pontificum relictum est, vt per eum certum modum, ac determinationem acciperet, sine qua non poterat conuenienter actu conferri, sub obligatione tamen conferendi illud tanquam fidelis dispensator, & prudens.

8. *Tertium.* Et hæc regula generalis est in alijs Ecclesiæ obseruantijs, quæ in particulari non habent certam determinationem ex diuino iure, licèt in generali habeant necessitatem ex iure diuino positiuo, vel naturali: talia enim licèt possint dici ex diuino iure quoad generalem obligationem, nihilominus, quoad institutionem propriam, & particularem solent esse immediatè ex iure humano. Ita videre licèt in cẽsuris, quæ fundamentum habent in illo iure diuino: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*; & nihilominus censuræ, prout illis vtitur Ecclesia, immediatè sunt ab illius institutione. Idem conspici potest in multis ritibus, & cæremonijs Ecclesiasticis; nam ius diuinũ generatim præcipit, sacramẽta, verbi gratia & sacrificium decenti modo, & ornatu fieri, quia tamen ipsum diuinum ius immediatè hoc non determinat, in effectu talis institutio Ecclesiastica est, originem ducens à diuino iure, & similia multa exempla afferri possent. Generalis autem ratio est, quia ius diuinum immediatè nõ statuit ea, quæ mutationi, & variationi obnoxia sunt, & quia propria institutio non fit, nisi in particulari, & cum certo modo, ac mensura.

9. 3. *Conclusion. expositio.* Tertia declaratio propositæ assertionis est, priuilegium exemptionis clericorum immediatè, & cum omni proprietate esse de iure diuino, quia ab ipso Christo non solùm promissum, vel iussum, sed etiam datum, & actu concessum est, & nihilominus esse etiam de iure canonico declarante ius diuinum, & priuilegium hoc conseruante, vel, prout expedit, moderante. Iuxta quam declarationem refellitur omnino prior sententia superiori capite tractata, & posterior in sensu maximè proprio, & rigoroso stabilitur: & licèt pauci ex auctoribus pro illa relatis illam sic declarent, nihilominus multi profecto ita sensisse videntur, præsertim Carlerius quem refert, & sequitur Almainus. Idemque sensit Rebuff. & alij, qui dicunt, clericos iure nunquam fuisse subiectos Imperatoribus, etiam ethnicis à principio Ecclesiæ, quod etiam sentit Turrecrem. libro 2. summæ de Ecclesia cap. 96. ad 3. Estq; hæc opinio, & declaratio prædictæ assertionis valde pia, rationiq; maximè consentanea, ideoq; à nobis defendenda, & diligenter explicanda est.

10 *Exẽptio clericorũ Pontifici, quo ad modum subordinatur.* Et in primis licèt admittamus hoc priuilegium esse à Christo immediatè datum clericis, nihilominus non negamus, quin subordinatum fuerit Petro, & successoribus eius quoad modum seruandum in vsu eius, tam ex parte personarum, quibus applicandum est priuilegium, quàm ex parte rerum, causarum, vel negotiorum; in quibus talis exemptio seruari debet. Hoc enim aliqua ex argumentis factis pro priori sententia, & alia, quæ ex vsu Ecclesiæ sumi possunt, manifestè conuincunt. Videmus enim clericum in causa ciuili, si actoris personam gerat contra reum laicum, non esse exemptum in tali actione à tribunali laico, sed teneri ad sequendum forum rei. Cur autem hoc ita est, nisi quia Ecclesia determinauit, vt exemptio clericorum intra hos limites contineretur, potuissetque aliter id disponere, si aliter expedire iudicasset. Similiter omnes concedunt clericos obligari quoad vim directiuam ad seruandas quasdam leges, quæ ad communem, & conuenientem statum ciuium spectãt: quod nõ aliunde prouenit, nisi quia Ecclesia ita expedire iudicauit, vt alibi ostendi. Igitur istud priuilegium exemptionis, quòd à iure diuino, indifferens, & quasi generale est, subest quoad determinationem, limitationem, vel ampliationem Ecclesiasticæ potestati. Neque verò dici potest, hæc omnia solùm fieri ab Ecclesia per modum declarationis iuris diuini, vel naturalis, quia sine dubio multa fiunt ex prudenti arbitrio humano, & ideo diuersis temporibus mutantur, vt quòd clerici coniugati gaudeant hoc priuilegio in his rebus, & non in illis, & clerici minores cum his circumstãtijs, & non sine illis; & quòd in tali crimine clericus tradatur brachio sæculari, & non in alio interdum grauiori. Fiunt ergo hæc non tantùm per potestatem interpretandi, sed etiam constituendi ius nouum, & limitandi, vel extendendi antiquum.

11 *Quomodo ius institutio diuina ch. dependentia exemptionis à Põtifice subsistat.* Vt autem explicemus, quomodo hæc cohæreant, cùm Ecclesia non habeat potestatem supra ius diuinum, suppono ex tractatu de Legibus, hoc nomen *ius* interdum significare propriam legem, seu præceptum; aliquando verò, & satis proprie, ac frequenter significare facultatem vtendi, vel (vt ita dicam) quasi ius facti, sicut distinguuntur iura seruitutis; vel ius in re, & ad rẽ, & similia. His ergo duobus modis

modis potest etiam in præsenti ius diuinum accipi. A Nam priuilegium ipsum exemptionis quatenus est libertas quædam à subiectiones alterius, est facultas quædam moralis ad non parendum tali potestati; vel liberè operandi sine respectu, vel impedimento illius: hæc ergo facultas à Deo ipso data dicitur ius diuinum, non tanquam præceptum, sed tanquàm Dei donum. Sicut libertas à seruitute, quæ homini est naturalis dicitur optimè in hoc sensu esse de iure diuino naturali. Posito autem tali priuilegio sequitur etiam Lex diuina præcipiens, vt habenti tale priuilegium non fiat vis, nec coactio, sed immunitas illi data seruetur, & ita interuenit etiam in tali exemptione ius diuinum præcipiens, contra quod fit exemptionem clericorum violando. B

12 Ex hoc autem duplici iure illud, quod in facultate generali consistit, & est veluti quoddam donum, quòd propriè dicitur priuilegium, hoc, inquam, licet diuinum sit, id est, à Deo datum, amissibile, seu mutabile esse potest ex iustis causis; sicut vita ipsa, & corporis membra, & ius libertatis naturalis à Deo donata sunt, & de iure naturæ esse dicuntur: & nihilominus ex iusta causa auferri, vel minui possunt per potestatem humanam, quam intelligimus à Deo esse concessam, quia communi bono reipublicæ humanæ C ita expediebat. Sic ergo intelligi debet, quamuis priuilegium exemptionis à Deo ipso fuerit clericis datum, nihilominus ex iusta causa, & per legitimam potestatem minui posse vel auferri, quia communi bono Ecclesiæ ita erat necessarium. Vnde consequenter fit, vt aliud ius diuinum præcipiens obseruantiam talis priuilegij, non contineat absolutam prohibitionem, ne tale priuilegium minui, vel auferri possit, sed ne id fiat sine legitima potestate, & iusta causa, sicut dicimus de libertate naturali.

13 Est autem illa potestas solum in Pontifice, quia *Exceptio hæc duob. modis potuit à Christo concedi.* est potestas spiritualis, & supernaturalis, & dispensatiua mysteriorum Dei, & potestas ligandi, & soluendi, & suprema in suo ordine. D Legitima autem causa generatim loquendo, erit, quoties limitatio aliqua, vel priuatio huius exemptionis ad conuenientem Ecclesiæ ordinem, & decentiam, aut bonos mores Ecclesiastici status, necessaria, vel conueniens iudicabitur, quod iudicium prudentiæ illius, cui claues datæ sunt, etiam est commissum. Sic ergo intelligitur facilè, non obstante varietate, quam in vsu legitimo huius exemptionis videmus; de iure diuino esse potuisse, quia per illam varietatem non agitur contra aliquod præceptum diuinum, neque in illo dispensatur, sed ipsummet præceptum includit E talem limitationem, vel conditionem accommodatam tali priuilegio, & conditioni eius, vt explicatum est. Atque hoc modo solui facilè possunt argumenta, quæ prima sententia contra hoc diuinum ius directè, & positiuè obijciebat.

Hoc autem priuilegium sic declaratum duobus 14 modis intelligi potest fuisse à Christo Domino datũ statui clericali, scilicet, vel quia talimodo Ecclesiam suam diuersosque ordines, & actus illius, & modum gubernationis eius instituit, vt inde per naturalem, ac necessariam consecrationem hoc priuilegium sequatur: vel etiam quia peculiari, & expressa voluntate hanc exemptionem clericis concesserit. F Hic posterior modus satis fit verisimilis ex verbis Christi Matth. 17. prout illa præcedenti capite pro secunda sententia expendimus, adiuncta etiam Ecclesiastica traditione, quæ est optima verborum, & legum Christi interpres. Atque hæc pars ex priori magis confirmabitur: nam ratio, qua ex institutione ipsa Ecclesiæ, & status clericalis priuilegiũ hoc deducitur, etiam suadet, Christum in verbis: *Ergo liberi sunt filij*, totum clericalem statum voluisse comprehendere. Quòd ergo priori saltem modo sit hoc priuilegium de iure diuino naturali, supposita diuina institutione Ecclesiastici status, & totius Ecclesiæ probatur in hunc modum. Quia clerici tam quoad corpus, quàm quoad animam sunt Petro specialiter subiecti iure diuino Euangelico; ergo eodem iure sunt à iurisdictione Principum sæcularium exempti.

Assumpta propositio declaratur ex doctrina D. 15 Hieronymi, quæ refertur in cap. *Duo sunt.* 11. quæst. 1. *Confirmat.* vbi duo distinguit genera Christianorum, vnum magistratum diuino officio, & deditum contemplationi, & orationi, vt est status clericorum, & religiosorum: aliud genus est Christianorum laicorum, qui licèt generali ratione diuino seruitio destinati sint, secundum communem viuendi modum temporalibus rebus principaliter intendunt. Cum ergo Christiani omnes Petro in spiritualibus sint subiecti iure diuino, vt libro 3. ostensum est, & illa subiectio dici possit quoad animam, quia tantùm est in spiritualibus rebus, & ad cultum Dei pertinentibus; de clericis dicimus, fuisse subiectos Petro eodem diuino iure non tantum quo ad animam, sed etiam quoad corpora. Quod probatur ex dicta doctrina, quia specialiter sunt dicati, & traditi Deo, & cultui eius non solum quoad animam, sed etiam quoad corpora; ergo consequenter quoad vtrumque sunt etiam Petro subiecti. Probatur consequentia, quia eo ipso quod clerici sunt dicati Deo secundum corpus, & animum, pertinent vtroque modo ad ius Dei peculiare: multoque maiori ratione dicendi sunt traditi in donum Domino, ac proinde maiori titulo esse Dei, quàm Leuitæ, de quibus hæc dicta sunt Numero 3. & 18. ergo eo ipso constituti sunt clerici secundum vtramque rationem sub propria iurisdictione Petro vt Christi Vicario collata. Nam peculium Christi, & quidquid ad peculiare ius eius pertinet, Vicario suo tanquam proprio œconomo, & dispensatori commisit.

Et confirmatur, nam bona Ecclesiarum, & res sa- D 16 crae iure diuino sunt commissæ Prælatis Ecclesiasticis, & præsertim Petro quoad curam, & dispensationem earum, nimirum, quia pertinent peculiari modo ad dominium Dei, & patrimonium Christi; ergo eadem, & maiori ratione tota gubernatio clericorum tam in his, quæ ad corpus, & temporalem vitam quàm in his, quæ ad animam spectant, Petro est specialiter per Christum commissa. Antecedens expresse traditur in Synodo Romana 4. sub Symmacho. Dicitur enim non posse laicos, etiam religiosos, & potentes aliquid quomodolibet de Ecclesiasticis facultatibus decernere, quarum *suis sacerdotibus disponendi indiscusse à Deo cura commissa docetur.* Consequentia verò non minùs certa videtur, tum quia magis pertinent ad Christum, & res Ecclesiasticas personæ ipsæ, quàm Ecclesiasticæ facultates, tum etiam quia vniuersa cura diuini cultus est sub iurisdictione Petri ex diuino iure, quia immediatè ordinatur ad spiritualem finem, & hac ratione res omnes, quæ ad cultum Dei dicatæ sunt, simpliciter, & absolutè sunt sub iurisdictione, & administratione Ecclesiæ, inter quas res Deò dicatas primum locum tenent personæ clericorum; ergo simpliciter, & absolutè, & secundum omnem rationem iure diuino commissæ sunt iurisdictioni, & dispositioni Petri.

Hoc ergo posito, prima consequentia, nimi- 17 rum, si commissi sunt Petro, consequenter fuisse à iurisdictione Principum temporalium exemptos, per se se videtur euidens ex illo Euangelico dogmate. *Nemo potest duobus Dominis seruire, aut enim vnũ odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Similis enim impotentia, & moralis repugnantia inuenitur in hoc, quòd clerici secundum idem, id est, secundum corpus sint subiecti Pontifici, & Regi, quia possent interdum contraria præcipere, & necessarium esset vni obedire, & alterũ *Matth. 6.*

con-

contemnere, Vt verbi gratia, posset Rex præcipere clerico, vt militet, vel alijs actionibus temporalibus occupetur, Pontifex autem illa prohibere poterit, vel alia repugnantia præcipere. Item cum clerici quoad actiones corporis debeant esse diuinis ministerijs adducti, & à sæcularibus negotijs abstracti, necesse est, vt à Pontifice habeat regulam & modum viuendi, & operandi, & vtendi etiam temporalibus rebus, vel officijs; ergo non possunt esse simul sub iurisdictione Principum temporalium, etiam quoad ea, quę ad corpus pertinent. Sicut vasa Deo sacrata eo ipso, & ex natura rei à prophanis vsibus exempta sūt, & contractus matrimonij in sacramentum cōsecratus, eo ipso in forum Ecclesiasticum transit, & à sæculari exemptus est. B

18. Hinc ergo optimè infertur, clericos esse exemptos absolutè à iurisdictione temporali Principum, quia hæc iurisdictio præcipuè versatur circa subditos ratione corporum, & consequenter circa omnia illa, quæ ad conuenientem conseruationem vitæ corporalis ordinantur, vt in tertio libro latè ostensum est; ergo si clerici sunt exempti à iurisdictione Principum etiam secundum corpora, profectò ab eorum iurisdictione temporali exempti sunt. Vnde etiam concluditur non solum esse exemptos clericos à potestate Principum quoad vim directiuam, vtique disponendo, vel gubernando illos in his, quæ ad actiones præsentis vitę spectant, sed etiam quoad vim coactiuam: tum quia vna subiectio non separatur ab alia, nec potest rectè consistere sine alia, & ideo quoad vtramque sunt Pontifici subiecti ex diuino iure, & consequenter ab alijs exempti: tum etiam quia non minus necessaria est hæc exemptio ad cultum Dei, & conuenientem vsum rerum cultui diuino dicatarum, quàm alia. Ideoque merito dixit Nicolaus Papa in epistola ad Michaelem Imperator. *Hi, quibus tantum humanis rebus, & non diuinis præesse permissum est, quomodo de his, per quos diuina ministrā tur, iudicare præsumant, penitus ignoramus.* Et hoc etiam multum confirmant verba illa Cōcilii Lateran. sub Leone X. *A iure tam diuino, quàm humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa est.* In quibus in primis aduerto de omni potestate esse sermonem, ac proinde non spiritualem tantùm, sed temporalem comprehendere; imò hanc posteriorem præcipuè, quia de altera nulla erat controuersia. Deinde supponit Concilium, laicos non posse habere vllam iurisdictionem in Ecclesiasticas personas, nisi aliquo iure diuino, vel humano sit illis concessum. Vnde necesse est, vt vel supponat iure naturali laicos illam non habere, vel certè vt sub iure diuino tam positiuum, quàm naturale includat, aliàs diminutè procederet, & nihil concluderet. Ergo intentio Concilij est, laicos ex vi iuris diuini non habere talem iurisdictionem in clericos, quia neque ius diuinum positiuum illam tribuit, vt est per se notum nec naturale illam permittit, sed clericos eximit à iurisdictione laicorum, eo ipso quod speciali titulo eos Pontifici subiecit. Denique aduerto, etiam aliam partem de iure humano de canonico maximè intelligi, de quo est illa sententia manifesta. De ciuili autem nullam rationem videtur Concilium habuisse, quia supponit, non esse potestatem in Principibus temporalibus ad tale ius validum constituendum, cùm ad hoc ipsum iure diuino potestatem non habeant. F

Clericis tam quo ad vim directiuā quàm coactiuam sunt exempti.

19 His præterea addi possunt alia Concilia generalia, & prouincialia supra adducta, quæ constanter docent esse hanc exemptionem de iure diuino; quod potest, & debet cum proprietate intelligi iuxta materiæ capacitatem. Non dicitur autem propriè de iure diuino, quod immediatè ab Ecclesia statuitur, etiā si ex præcepto, vel potestate iure diuino datis originem ducat. Sicut potestas Regia non est, nec propriè dici potest esse de iure diuino, etiamsi à naturali lege & potestate ducat originem. Et ob eandem rationem nec cæremoniæ Ecclesiasticæ extra Sacramenta dicuntur esse de iure diuino: neque etiam iurisdictio Episcoporum iuxta opinionem eorum, qui à Pontifice immediatè conferri censent. Cùm ergo Concilia de hac exemptione tam constanter, & absolutè dicant esse de iure diuino, profectò cum maiori proprietate intelligenda sunt. Et similiter Concil. Trid. ait hāc exemptionem esse ex ordinatione diuina, rectissimè intelligitur iuxta communem modum iuris, quod sit ordinata, & constituta ab ipso Deo, & declarata, ac stabilita per canonicas sanctiones. Accedit, quod ipsimet Imperatores, non lege quidem humana seu Ecclesiastica, sed ratione fide illustrata ducti, exemptionem hanc recognoscere potiùs quā concedere visi sunt.

Exēptionem hāc in omni rigore esse de iure diuino.

Sic Carolus Magnus in suo capitulari libro 6. cap. 109. cum ita sanxisset: *Clerici non sæcularibus iudicibus, sed Episcopali audientiæ reseruentur*, rationem declarat dicens: *Fas enim non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Est autem *Fas*, teste Isidoro, lex diuina, quæ & ad Deum pertinet, & ex quadam naturali æquitate descendit: tale igitur sensit Carolus esse ius exemptionis clericorum. Cui consonat, quod in Concil. Matisc on. 2. c. 9. *Nefas esse* dicitur Episcoporum immunitatem violare, quod in can. 10. ad alios clericos extēditur. Estque attentè ponderandum, quod in initio illius ca. 9. dicitur, *Reuerendissimos canones, atq; sacratissimas leges de Episcopali audientia in ipso pene Christianitatis principio sententiam protulisse.* Loquitur enim Concilium apertissimè de audientia quoad temporales, & personales causas, vt statim explicat, & non dicit leges humanas illam introduxisse, sed pro illa sentētiam dedisse vtiq; declaratoriam iuris quasi cōnaturalis iurisdictionis Episcopalis, & Ecclesiasticæ exēptionis. Theodosius etiam Imperator, vt Ambros. ep. 32. aliàs lib. 2. epist. 13. ad Valentinianum refert, æquè sanciuit *in causa fidei, vel Ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicem esse debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Hoc est* (ait Ambros.) *sacerdotes de sacerdotibus*, quasi vtrumq; eiusdem iuris diuini sit. Quod etiam sensit Constantinus in facto, & verbis sæpe repetitis ex Gregor. lib. 4. epist. 13. indict. 13. aliàs cap. 75. Ruffin. & alijs ecclesiasticis historijs. 20 *Isido. 5. Etym. c. 2. & c. 1. d. 1.*

His addi possunt coniecturæ ex iure legis veteris sumptæ. Nam si sacerdotes, & Leuitæ in illa lege erāt à temporali potestate exempti, nemo negabit idem dicendum esse in lege noua ex vi diuini iuris saltem naturalis. Tum quia hoc pertinet ad maiorem perfectionem sacerdotij legis nouæ. Tum etiā quia si talis exemptio in populo Israelitico inuenta est, non fuit certè ex lege aliqua humana, nulla enim talis lex vel in Scriptura legitur, vel cum fundamēto cogitari potest, præsertim cum huiusmodi leges eo tēpore fuerint rarissimæ, quia omnia erant in ipsa Dei lege minutatim præcepta. Colligebatur ergo ex ipso statu sacerdotali, & ex generalibus verbis, quibus Leuitica tribus ad illum assumpta est, & donata Deo, & potestati Pontificis omnino subiecta, & subordinata; ergo eodem modo colligendum est simile ius diuinū in lege noua. Non quia antiquum, prout cæremoniale erat, in lege noua obliget, sed quia illud antiquum ius non in vi cæremonialis, sed in vi moralis ad tale sacerdotium consequutum fuit. Ergo simili modo ex suppositione melioris sacerdotij idē morale ius diuinum in lege noua consequutum est. Quod autem illud ius exemptionis fuerit in lege veteri, fit valde verisimile ex modo loquendi Scripturæ Numer. 3. *Eruntq; Leuitæ mei*, vtique peculiari titulo, & donatione. De qua c. 8. dicitur. *Cum leuitæ fuerint coram Domino, ponent filij Israel manus suas super eos; & offeret Aaron debitum munus in conspectu Domini à filijs Israel, vt seruiant in ministerio eius.* Et infrà. *Consecrabis leuitas oblatos Domino, & separabis de medio filiorum Israel, vt sint mei.* Et infrà. *Quoniam dono donati* 21 *Ex sacerdotio legis veteris idem vlterius cōfirmatur.*

sunt mihi à filijs Israel. Et infra. *Sanctificaui eos mihi, A*
tradidiq; eos dono Aaron, & filijs eius de medio populi,
vt seruiant mihi, &c. Et similia repetuntur cap. 18. &
ad Aaron dicitur. *Excubabunt leuitæ ad præcepta*
tua.

22 Ex his ergo & similibus modis loquendi satis probabiliter colligitur, ex vi illius separationis, ac deputationis Leiticæ tribus ad ministerium templi fuisse exemptam à iurisdictione ciuili, quæ ex natura rei erat in communitate illius populi. Primò quia populus abdicando à se partem illam, & donando illam Deo, aliqua potestate, & quasi dominio se priuauit, & illam in Deum transtulit: hæc autem B esse non poterat, nisi potestas iurisdictionis, quia non erat alia potestas dominatiua incommunitate illa respectu illius partis, & consequenter Deus acceptando donationem speciali titulo illud ius sibi reseruauit, & Pontifici illius populi commisit. Secundo quia ex vi illius separationis immunes facti sunt sacerdotes, & Leuitæ ab oneribus, & muneribus mere sæcularibus, & temporalibus, quæ vel possent Leuitas à ministerio templi distrahere, vel essent incongrua, & indecentia illi statui. Cuius signum est, quod Numer. 1. Quando Deus iussit populum numerari, *Leuitæ non sunt numerati cum eis*, quia C dixit Deus Moysi: Tribum *Leui noli numerare. Quia*
Leuitæ sacri erant (ait Ioseph. libro 3. Antiq. cap. 11.)
& immunes à militia. Et eadem ratione ab alijs sæcularibus muneribus & tributis, vt sensit etiam Abulens. q. 25. in c. 1. numer. dicens tribum Leui, cum esset destinata ad ministerium tabernaculi, non potuisse vacare alijs oneribus, & necessitatibus populi. Et propterea Leuitæ non acceperunt partem in terra promissa, sed loco illius acceperunt iura Sanctuarij. Numer. 18. Deuteron. 18. Iosue 13. Hinc addit etiam ibidem Abulens. non fuisse numeratos Leuitas cum reliqua multitudine, quia non faciebant cum illis vnum populum. *Omnes enim*, ait, *decem tribus erant v-*
nus populus, & communicabant cum omnibus, & diui-
serunt sibi totam terram, & vacabant rebus purè sæcu-
laribus: Leuitæ autem in nullo conueniebant cum popu-
lo. Et hinc etiam tribus Leui quasi separata est ab alijs & præter illam solent duodecim tribus populi numerari. Sic enim in dict. c. 1. Numer. censentur duodecim tribus exceptaLeui, quia vt notat Iosephus supra, pro Leui inter capita tribuum ponitur Manasses & pro Ioseph ponitur Ephraim, quos Iacob in adoptationem à Iosepho impetrauerat. Genes. 48.

Estque considerandum, quòd licèt iuxta dictam
23 computationem, & adoptationem fuerint tredecim
Cur Scriptura duodecim tantũ tribus numeret. E tribus, nunquam in Scriptura nisi duodecim numerantur propter numeri perfectionem. Obseruatum autem est, quoties tribus numerantur in ordine ad spiritualia, numerari Leui, & aut tribus Ephraim, & Manasse reduci ad vnam Ioseph. vt Genes. 46. & Exod. 28. Deutero. 27. vel excludi aliquam, vt Apocaly. 7. omittitur tribus Dan, propter Antichristum. Cum verò recensentur tribus in ordine ad sæcularia, vel temporalia excludi Leuiticam, & Manasse, ac Ephraim in duas distingui, vt Numer. 1. Deuter. 18. &c. quia in ordine ad temporalia erat tribus Leui quasi separata ab alijs. Atque eodem modo quando sub Ieroboam diuisæ sunt duodecim tribus, & duæ, scilicet Iuda, & Beniamin manserunt sub Roboam, & reliquæ decem ad Ieroboam transierunt, in illis non numeratur Leui, vt ex 2. Reg. 11. & 2. Paralip. 11. aperte sumitur, quia nimirum (vt coniectare licet) illa ad temporale regnum non pertinebat. Ex his ergo probabiliter colligitur exemptio sacerdotalis tribus à iurisdictione Regum in lege vetери. Et non parum confirmatur ex auctoritate, & potestate præcipiendi data Pontifici illius legis Deuter. 17. de qua in superiori lib. dictum est. Multò ergo maiori ratione credi debet talis exemptio in lege noua diuino iure clericali statui concessa.

Tandem reiectis prima sententia capite præcedẽti relata, & prima declaratione assertionis catholicę in hoc capite posita, quæ cum dicta prima opinione coincidit, & cõferendo hanc postremam declarationem cum secunda, quòd hæc postrema præferẽda sit, in hunc modum potest morali ratione declarari. Cõueniunt enim duæ illæ declarationes, seu sententiæ, priuilegium Ecclesiasticę immunitatis esse ex iure diuino, & humano, cuius ratio reddi potest, quia oportuit tale priuilegium esse perpetuum, fixum, & immobile, & ideo debuit esse de iure diuino, simulque necessarium fuit esse aliqua ex parte mutabile, vel variabile, & ideo iuri etiam humano aliquo modo substerni debuit. Coniunctio autem vtriusq; iuris circa tale priuilegium duplici modo cogitari, vel fieri potuit, primo, vt ius diuinum tantùm remotè tale priuilegiũ cõcedi præciperet, ius verò humanum illud constitueret hominũ arbitrio. Secundò è cõuerso, vt ius diuinum illud proximè cõtulerit, cõmiserit tamẽ homini, vt illud in particulari moderari, & accõmodare posset. At verò ex his duobus modis hic posterior conuenientior est; ergo credendum est, isto modo fuisse à Christo datũ ecclesiæ suæ hoc priuilegiũ.

Declaratur minor ex illis duabus proprietatibus, 25
C quæ in hoc priuilegio cõsiderari possunt, scilicet stabilitas, & aliqua varietas: nam prior multò maior erit, & securior, si hoc priuilegium immediate per ipsum ius diuinum constitutum sit, & concessum. Sic enim per nullam humanam potestatem siue temporalem, siue Ecclesiasticam poterit omnino auferri, quod ad conseruationem Ecclesiastici status, & reuerentiam diuino cultui debitam necessarium fuit. Item hoc modo nulla vsurpatio, vel præsumpta humana præscriptio poterit contra hanc immunitatẽ prævalere, quod ad cohibendam temporalium Regum vim, & ambitionem etiam conuenientissimum, ac pœne necessarium fuit. Deniq; hoc modo etiã ipsi
D Pastores Ecclesiæ cautiores erunt in mutationibus faciendis in his priuilegijs, maioriq; titulo poterũt importunis precibus Principum sæcularium resistere, ne facultates, vel licentias huic priuilegio aliquo modo derogãtes, absq; grauissimis, & vrgẽtibus causis illis cõcedant. Posteriori autem parti in vsu huius priuilegij necessarię, nimirũ, vt in particularibus casibus, vel personis interdum variari vel mutari possit, sufficientissimè prouisum fuit, subordinãdo priuilegium potestati Pontificis quoad hanc mutationẽ, ex causa faciẽdam; ergo hæc fuit cõuenientissima institutio. Tertia ergo sententia, quę in hunc modum priuilegium hoc declarat, alteri præferenda est.

E Ac propterea non rectè æquiparatur hoc priuile- 26
gium cum alijs obseruãtijs, vel cæremonijs ecclesiasticis, quarũ institutio in particulari est de iure humano, licèt generale præceptum illarum sit de iure diuino: est enim in multis dissimilis ratio. Primò, quia illarũ institutio per diuinũ ius fieri nõ poterat in genere, abstrahẽdo nimirũ, à particularibus cęremonijs, quia institutio est actio, seu effectio quædam, quę nõ potest circa genus, sed circa particularia versari: præceptũ autẽ optimè potuit in generali ferri, cõmittendo arbitrio alterius particularẽ institutionem, seu determinationem. Hanc enim immediatè
F per diuinum ius fieri nõ expediebat, nec oportebat, nisi quoad ritus substãtiales sacramentorũ & diuini sacrificij. Exẽptio autem optimè potuit absolutè cõcedi per ius diuinum in generali, seu in vniuersali, vt ita dicam, quia ibi generalitas non consistit in abstractione à particularibus, sed in comprehensione omnium personarum Ecclesiasticarum, & omnium effectuũ immunitatis, seu totalis libertatis à tẽporali iurisdictione, & ita dicimus de facto esse institutã iure diuino, dando clericis absolutam exemptionẽ ab omni iurisdictione laicorum, quã clerici haberẽt, etiãsi Ecclesia nihil in hoc dispositisset. Secũdo quia alię cęremonię, vel ritus Ecclesiæ nõ sunt tã proximè de dicta-

24 *Vltima assertionis declaratio sequẽdo præfertur.*

Diuersitas secundæ à prima.

dictamine iuris naturalis, neque ita immediatè consequuntur ex aliqua priori institutione diuina, sicut hæc exemptio, vt satis declaratum est. Tertiò quia alij ritus particulares non erant ita necessarij ad bonum regimen Ecclesiæ, & ad splendorem, & decentiam religionis sicut hoc priuilegium. Et eadem ratione non est simile exemplum de iurisdictione Episcoporum. Quia quòd Episcopi recipiant à Christo immediatè iurisdictionem, nec inuenitur scriptum, aut satis insinuatum in Scriptura, nec habet necessariam connexionem cum alia priori Christi institutione, neque ita necessarium ad bonum Ecclesiæ regimen, nec conueniens erat, vt omnibus, & singulis tota spiritualis iurisdictio sine vlla limitatione daretur, & cum varietate, & limitatione non poterat immediatè à Christo ipso concedi, & idcirco conuenientius fuit, vt Vicario suo illam distributionem cõmitteret. Præter quam quod ad maiorem vnionem, & subordinationem membrorum cũ capite multò conuenientius erat, vt in hoc omnes inferiores Episcopi à Vicario Christi penderent. In exemptione autem longè diuersa ratio in his omnibus inuenitur, vt declaratum est.

CAPVT X.

QVOMODO SINGVLIS CLERICORVM, vel personarum Ecclesiasticarum ordinibus exemptio Ecclesiastica iure diuino conueniat.

1. VT veritas in superiori cap. confirmata magis eluceſcat, operæpretium visum est, in singulis statibus, seu ordinibus personarum Ecclesiasticarum illam explicare, & in singulis proprias rationes huius priuilegij expendere: nam in quibusdã inueniri poterunt maiores, vel vrgentiores, quam in alijs, licèt in omnibus sufficiẽtes sint. Varij ergo distingui possunt gradus Ecclesiasticarũ personarũ sub Petro: nam de Petro, & eius successoribus iam diximus. In primo, ac præcipuo gradu fuerunt alij Apostoli à Petro, in secũdo sunt Episcopi, qui Apostolis non vt Apostolis, sed vt Episcopis succesſerunt. Sub his sunt sacerdotes, ex quibus quidam sunt parochi, & pastores animarum, alij sunt simplices sacerdotes vel omnino, vel in aliqua dignitate cõstituti. Sub sacerdotibus sunt inferiores clerici in sacris, & sub his alij in minoribus ordinibus cõstituti, coniugati, vel non coniugati. Ac denique sunt aliæ personæ, quę licèt ordinem aut tonsuram non habeant, ratione status Ecclesiasticæ censentur, & priuilegio canonis gaudent. De his igitur omnibus sigillatim dicendum est.

Varij gradus personarum exemptione gaudentiũ.

2. Primum dubium est, an Apostoli extra Petrum habuerint hoc priuilegium, ita vt iure licuisset non parere Imperatoribus, si facto possent, & è conuerso Magistratus sæculares iniustè eos iudicarent propter vsurpatam iurisdictionem, nisi fortè ignorantia priuilegij eos excusauerit. Rex enim Angliæ in Præfat. pag. 139. constanter negat hanc Apostolorum exemptionem dicẽs, *Primitiuæ Ecclesiæ temporibus nunquã id fuisse in dubium reuocatum.* Quam sententiam aliqui etiam cacholici saniore quidem mente, & non tum tanta exaggeratione defendunt. Quibus fauere videntur Chrysostomus, & Theophylact. ad Rom. 13. dicentes etiam Apostolos non eximi ab obedientia, & subiectione Magistratuum temporalium, & loquũtur non solùm quoad vim directiuam, sed etiam quoad coactiuam, prout Apostolus etiam loquebatur. Et inter alios auctores modernos hoc expressiùs docuerunt Albertus Pighi. & Iansenius in locis iam citatis. Qui generaliter in hoc fundantur, quod clerici non erant exempti à potestate Principum ethnicorum, quando in eorum regnis degebant, quia illi Principes non erant sub iurisdictione Ecclesiæ, quæ ratio, etiam in Apostolis locum habuit. Verumtamen illa ratio non probat, sed supponit, hoc priuilegium non fuisse Apostolis à Christo concessum, nã si Christus illud concedere voluit, nihil obstare posset quòd infideles Principes nõ essent, Petro, aut Ecclesiæ directè subiecti, quia ipsi Christo subiecti erãt, ideoq; potuit ab eorum iurisdictione eximere quos vellet, sicut exemit Petrum.

Prima opinio negans.

1. Fundam.

Si ergo Apostoli hoc priuilegium non habuerunt, non est, quia Principes infideles erant extra iurisdictionem Ecclesiæ, sed quia hoc pendet ex voluntate Christi, & de hac non constat per aliquam reuelationem scriptam, aut non scriptam: priuilegium autem extraordinarium, & supernaturale asserendum non est, nec credendum sine testimonio voluntatis Principis. Secundò, quia tale priuilegium fuisset Apostolis inutile, quia nunquam illo erant vsuri, neque in effectu habituri erant talem facultatem. Tertio addi solet, quòd Paulus Actorum 25. Cæsarem appellauit, tanquam iudicem, & legitimum superiorem suum in causa criminali, de qua tractabatur. Quem locum vehementer vrget Rex Angliæ, eumque ita intellexit Albertus Pighius, & approbauit aliquando Bellarminus, quos Lorinus sequutus est. Et suaderi hoc potest, qui aliàs non bene fecisset Paulus appellando ad iudicem non suum, & tacitè renunciando priuilegio, cui nullus Prælatus renunciare potest. Denique sumi potest argumentum ex Matth. 17. vbi Christus pro se tantùm, & Petro tributum solui iussit, & per hoc alij Apostoli intellexerunt (vt supra ex Patribus retuli) aliquod speciale priuilegium Petro fuisse collatum; non est ergo, cur dicamus, fuisse commune cæteris Apostolis.

3

2. Fundam.

Tertium.

Contrariam sententiam supponit Turrecremata loco citato, eamque tandem prætulit Bellarminus, qui hac ratione dicunt, Paulum non iure, sed facto Cæsarem appellasse, non tanquam ad superiorem suum, nam ab illius iurisdictione exemptus erat, vtique iure diuino, sed quia alia ratione non poterat inimicorum insidias euitare, neque locus ille in rigore amplius cogit, vt statim dicam. Vnde sententia hæc omnino præferenda est, & præter generalia fundamenta de toto statu clericali, confirmari potest, primo ex his, quę de Petro diximus, nam licèt Petrus respectu Apostolorum esset illis superior: nihilominus respectu Ecclesiæ, & omnium temporalium, & totius orbis habebant quandam cum Petro æqualitatem nam fuerunt Principes constituti super omnem terram, & ab ipso Christo immediatè habuerunt iurisdictionem directam, vel indirectã super omnes Principes terræ; ergo ex vi illius excellentiæ fuerunt exẽpti à iurisdictione Principum sæcularium. Est enim præposterum, & indecorum, superiores Principes ab inferioribus iudicari, & pastores ouibus subdi. Hinc etiam verba Christi; *Ergo liberi sunt filij*, ad Apostolos extendi possunt maiori certe ratione, quam ad quoslibet alios clericos. Tum quia illi magis propriè, & strictè fuerunt de familia Christi filij Dei, fuerunt enim magis illi coniuncti, & vnum collegium cum illo componebant, & mensa, & si qua habebant temporalia bona, omnibus erant communia. Tum etiam quia singulari modo participarunt excellentiam, & potestatem, quam Christus in homines habuit, & ideò etiam in exemptione ab humanis potestatibus illum imitari debuerunt, atque ita sub nomine filiorum veniunt tanquam accessorium sub principale. His ergo modis satis videtur constare de Christi voluntate.

4

2. Sententia affirmans.

Neque refert, quod Apostoli nunquam erant illa libertate vsuri, nam erat quasi connaturalis eorum dignitati, vel certè maximè decens, & ideo non debuerunt illa nobilitate (vt sic dicam) vel ingenuitate priuari, etiam si propter hominum ignorationem, vel malitiam permittendi non essent, illa gaudere, sicut etiam de ipso Petro dicendum est. Et ita

5

Soluuntur fundamẽta contrariæ opinionis.

etiam contingere potuit in facto Pauli, in quo non A fuisse Præsidem legitimum iudicē probat nouissimè, & optimè Cardinalis Bellarm. in cap. 13. sue Apolog. quia causa Pauli, quę tunc agebatur, non erat ciuilis, sed religionis, vtique de prædicatione Pauli ad gentes, Actorum 22. de Resurrectione mortuorum capit. 23. & quod esset sectæ Nazaræorum defensor, capit. 24. *Ac denique de quæstionibus suæ superstitionis, & de quodam Iesu*, vt ipse Præses dixit cap. 25. In causa autem religionis non poterat laicus, & ethnicus homo esse legitimus iudex. Neque propterea male fecit appellando ad iudicem laicum, & infidelem, quia vitari non poterat simile iudicium, in quo iam sub inferiori iudice laico etiam, & infideli erat constitutus, & ideo prudenter fecit appellando ad legitimū superiorem eiusdem inferioris iudicis, & suorum acculatorum, quorum iniustam vexationem hoc modo redimebat. Præsertim quia etiam potuit Paulus Cæsarem appellare intentione implorandi eius auxilium eo meliori modo, quo posset. Sic enim factum illud interpretari videtur Athanasius Apolog. ad Cōstantium; implorare autem auxilium Principis sęcularis contra vim, & iniuriam illatam ab inferiori iudice laico, non est illicitum, neque libertati ecclesiasticæ repugnans, imò illi maximè consentaneum, vt ibidem significare voluit Athanasius, & Augustinus epistol. 48. 50. & 204. contra Donatistas docuit. Et hoc significant verba Pauli Actor. 28. *Coactus sum appellare Cæsarem*, videlicet, vt eum eriperet è manibus Iudæorum, à quibus per solum Præsidem liberari nō posse timebat.

6 *An Episcopi sint exempti.*

Secundo loco dicendum est de Episcopis, in quibus considerari potest potestas ordinis, in qua Apostolis æquales sunt, & superiores sacerdotibus, vnde hoc titulo potest aliqua maior ratio huius priuilegij in eis considerari, quam in sacerdotibus, maior verò sumitur ex munere pastorali. Nam præter potestatem ordinis considerari potest, & debet in Episcopis Pastoralis dignitas, & potestas iurisdictionis Episcopalis, ratione cuius sunt spirituales Principes Ecclesiæ, non quidem vniuersales, sicut Apostoli, sed in suis Diœcesibus, propter quod dicuntur esse successores Apostolorum. Hac ergo ratione post Apostolos videtur efficacius probari, habere Episcopos à Christo Domino hoc priuilegium fori sæcularis. Nam ad illos possunt cum proportione applicari rationes de Apostolis factæ. Quia illi sunt altiori modo, quàm cæteri de familia Christi, & cum Pontifice specialiter vocati in partem solicitudinis, & ideò ab eo fratres vocantur; merito ergo cēseri possunt inter filios à Christo comprehensi, cum dixit: *Ergo liberi sunt filij*. Tum etiam quia Episcopi sunt Patres principum sæcularium, & simpliciter illis superiores, & ideo indignum est, & indecens, vt ab eis iudicentur.

7 *Cap. Accusatio 12. q. 7.*

Vnde Anacletus Papa de Episcopis loquens in Epistola secunda, capite secundo sit ait, *Vnde liquet. quod summi sacerdotes, id est, Episcopi à Deo sunt iudicandi non ab humanis, aut praua vitæ hominibus lacerandi, sed potius ab omnibus fidelibus portandi, ipso Domino exemplum dante, quando per se ipsum, & non per alium vendentes, & ementes eiecit de templo*, & cetera, quæ prosequitur. Et idem optimè confirmant verba Gregorij septimi libro octauo in Epistola vigesima prima, quæ suprà iam retuli: *Quis dubitet, sacerdotes Christi Regum, & Principum, omniumque fidelium Patres, & Magistros censeri? non ne miserabilis insania esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum potestati suæ subiycere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in cœlis se posse ligari, ac solui.* Vbi constat, præcipuè de Episcopis loqui, quibus conuenit ligandi, & soluendi potestas in exteriori foro, seu iudicio Ecclesiastico.

8 Vnde statim idem Pontifex ex altero Gregorio libro 4. Epistol. 31. c. 75. refert historiam suprà tactam de Constantino qui in Concilio Nicæno, *nullam iudicis sententiam super Episcopos dare præsumpsit, sed illos etiam Deos vocans, non suo debere subesse iudicio, verum se ab illorum pendere arbitrium iudicauit.* Imò addit Melchiades Papa in cap. *Futuram* 2. quæstio. 1. dixisse Constantinum, *Episcopos solius Dei iudicio reseruari.* Vnde colligunt aduersarij, verba illa Constantini vrbanitatis tantum fuisse, quoniam alias Episcopi neque à Papa possent iudicari. Sed longè aliter hoc declarat, & confirmat Melchiades Papa in epist. ad Episcopos Hispaniæ dicens, *Episcopos, quos sibi Dominus tanquam oculos elegit, & columnas Ecclesiæ esse voluit, quibus etiam ligandi, & soluendi dedit potestatem, suo iudicio seruauit, hocque priuilegio beato clauigero Petro sui vice solummodo commisit.* In quibus verbis omnes Episcopos in hoc videtur Papæ similes efficere, quòd illos Deus iudicio suo reseruauit. Vnde ex hac parte diuina ordinatione erunt exempti à iudicio merè humano, seu sæculari. Differūt tamen à Pontifice, quia in terris habent iudicem, cui Deus suas vices commisit. Pontifex autem superiorem hominem non habet, à quo iudicetur. Quæ omnia etiam de Apostolis à fortiori procedunt, & videtur hanc partem multum perfuadere.

9. *De exemptione secundum.*

Tertio dicendum est de sacerdotibus, in quibus non inuenitur ratio illa specialis, quam in Episcopis considerauimus, quia non habent propriam iurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo, & ideo non sunt Ecclesiæ Principes, nec superiores Principibus laicis quoad potestatem imperandi, & iudicandi illos in exteriori foro. Sunt tamen illis in statu & gradu digniores, & Christi personam in suis ministerijs excellentiori modo repræsentant. Præsertim in tremendi sacrificij oblatione, & in peccatorū absolutione, vbi Christi personam gerunt. Et ad illa munera ex vi sui ordinis & status deputati sunt. Ideoque in verbis, *Ergo liberi sunt filij*, merito censendi sunt sacerdotes comprehensi, quia peculiari titulo, & modo sunt de familia Christi, licet non in tam excellenti gradu, sicut Episcopi. Quòd verò pertinet ad ius naturale videtur etiam habere maiorem congruentiam in sacerdotibus, quàm in inferioribus, ratione characteris Sacerdotalis. Primò quidem quatenus dat potestatem in corpus Christi verum, nam per illam maximè participant sacerdotium Christi, & efficiuntur res maximè sacræ, ideoque sunt eo ipso abstractæ à iurisdictione sæculari, & spirituali potestati subiectæ. Deinde accedit potestas in corpus Christi mysticum, ratione cuius fiunt spirituales patres laicorum, & iudices loco Dei in spiritualibus causis, quæ ad Deum maximè spectant, & in foro maximè sacro. Ratione quarum potestatum maximè in sacerdotes legis gratiæ conueniunt tituli Regum, & Deorum, quibus Scriptura solet ornare sacerdotes, vt iura etiam canonica suprà citata expendunt, ad considerandum, quàm sit indecens, Sacerdotes à laicis iudicari. Quæ indecentia ex natura rei ineft, & fundatur in excellentia Sacerdotalis characteris; ergo valdè credibile est, ex vi illius esse exemptos.

10 *An inferiores clerici iure diuino eximantur. 1. Opinio negans.*

Atque hinc tandem constat, quid dicendum sit de inferioribus clericis. Aliqui enim dixerunt, illos non esse exemptos iure diuino, etiam si maioribus ordinibus consecrati exemptionem à iure diuino habeant, quod sensit Bernard. Diaz de Lugo in Pract. cap. 65. & Ioan. Lupus tract. de Libert. Christi. p. 2. q. 5. Quod omnino non placet, tum quia quòd aliquis ordo peculiari modo maior, aut sacer reputetur, ex iure positiuo pendet iuxta cap. *Miramur*, de Seruis non ordinand. tum etiam quia iura suprà allegata generaliter & sine distinctione loquuntur. Tum denique, quia non solum clericis in minoribus ordinibus constitutis, sed etiā in vniuersum personis Ecclesiasticis, siue recipientibus characterē per ali-

aliquem ordinem, qui sit verum sacramentum, siue per quemcunque alium ritum, vel modum ab Ecclesia institutum, possunt cum proportione applicari discursus facti. Nam omnes sub peculiari familia Christi comprehenduntur, & omnes ad ordinem rerum sacrarum, & Ecclesiasticarum pertinent: & magis, aut minus non variant speciem. Sicut bona Ecclesiastica quædam sunt magis propria, quam alia, & inter res sacras, quædam sunt alijs sacratiores, & nihilominus, omnes æquè sunt Etclesiæ commissæ, & à sæculari potestate exemptæ ex diuino iure. Idem ergo erit in personis.

11. *Sententia Nauarri præfertur.*

Meliùs ergò Nauarr. in cap. *Nouit*, de Iudicijs, notab. 6. num. 30. respondendo ad sextum argumentum numero 15. absolutè docet, ex vi characteris clericalis sequi ex natura rei exemptionem à iurisdictione laica personæ sic sacratæ, non solùm quatenus sacra est, sed etiam quatenus homo est. Obijcit tamen sibi, quia sequeretur, omnem Christianum ex vi characteris baptismalis eximi à potestate laica, quia per illum characterem est Deo consecratus. Quòd si respondeatur, verum esse, Christianum vt charactere insignitum subdi spirituali potestati, & non sæculari, id est, in his, quæ ad Christianismum pertinent, vt hominem verò subdi potestati sæculari, replicabitur facilè, quia idem dicetur de clerico vt affecto charactere clericali. Vnde ipse Nauarrus laborat in differentia assignanda, reiectisque aliorum sententijs tandem respondet, negando illationem, constituendoque discrimen inter vtrunque characterem, *quia baptismalis*, inquit, *non discernit inter Christianos, sed potiùs illos congregat in vnum corpus, clericalis autem distinguit inter clerum, & Christianum populum.* Quod ampliùs non declarat, sed potiùs dicit, se omittere quædam quæ in alia editione obiecerat, quia facilem solutionem habebant.

Obiectio ipsius.

Responsio eiusdem.

12 *Declaratur amplius solutio Nauarri.*

Sed nihilominus videtur res indigere expositione, quia difficultas non videtur soluta. Nam in primis omnis forma constituens, & vniens aliquo modò omnes similem formam habentes, distinguit illos à reliquis forma illa carentibus & sic character baptismalis distinguit ab ethnicis, seu infidelibus Ecclesiæ non subditis, vnde solùm differt à clericali, quia baptismalis solùm distinguit ab his, qui omnino sunt extra Ecclesiam, clericalis autem distinguit inter fideles. At hoc non videtur sufficere, vt vnus efficiat exemptum, & non alius, quia etiam characte sacerdotalis distinguit non solùm inter fideles, sed etiam inter clericos superioris, & inferioris ordinis; ergo licèt character sacerdotalis secum afferat exemptionem, non erit idem in inferioribus, vel certè non æqualiter. Simileque argumentum fieri poterit in inferioribus, præsertim distinguendo clericos in sacris à minoribus. Vel certè si character clericalis in primo gradu, vel etiam prima tonsura, quæ primò facit distinctionem clerici à non clerico per specialem quandam consecrationem, eo ipso affert exemptionem personæ: etiam character baptismalis cùm faciat primam distinctionem Christiani à non Christiano, consecrando personam baptizatam Christo, afferet secum simile priuilegium. Et augetur difficultas, quia saltem afferet character baptismalis exemptionem à potestate Principum ethnicorum, quod dici non potest, vt suprà visum est. Sequela patet, nam character ordinis, quia distinguit clericum à laico, eximit personam clerici à iudicio laici, ergo seruando eandem proportionem, baptismalis character distinguendo Christianum ab ethnico, ab istius iurisdictione eundem eximet. Et confirmatur, quia non minor indecentia, nec minus periculum inuenitur in hoc, quod fidelis iudicetur ab infideli quàm in hoc, quòd clericus iudicetur à laico, & ideò Paulus 1. ad Corinth. 6. reprehendit fideles, qui apud infideles litigabant, & non apud sanctos, id est, fideles, vbi Diuus Thomas varias rationes indecentiæ,

Confirmatio.

A & periculi adducit, quæ seruata proportione ad vtramque causam æquè possunt applicari, vt legenti, & consideranti facilè patebit. Vnde Alexander Papa inde è conuerso sumit argumentum ad exemptionem clericorum persuadendam, cap. *Relatum.* 11. qu. 1.

13. *Auctoris responsio.*

His verò non obstantibus, & suppositis, quæ de charactere sacerdotali diximus, respondemus, idem esse dicendum de omni charactere ordinis. Ad quod asserendum non parum iuuat sententia Alexandri. I. in canone proximè allegato, cum alijs, quæ suprà retulimus. Ratio verò est, quia licèt isti characteres differant secundum magis, & minùs, tamen in hoc conueniunt, quod consecrant personam, dedicando illam diuino cultui, & alicui ministerio sacro, inchoando ab aliquo inferiori, & de se ordinato ad supremum, quod est sacerdotale, vel Episcopale, & hac ratione talis character statim constituit personam sacram, & eximit à sæcularibus. Et in hoc potest constitui discrimen inter characterem ordinis, & baptismi, nam character baptismi non sacrat personam deputando illam ministerio sacro, sed tãtum consignat illam Christo, eamque ad fidem eius retinendam specialiter obligat, & de se communis est omnibus hominibus, per accidensque est, quòd aliquibus non insit. Ideoque per se non distinguit inter fidelem, & infidelem in his, quæ ad temporalem vitam, & politicum statum spectant, & propterea non ita secum affert exemptionem à iurisdictione fidelium in eisdem rebus ciuilibus, & humanis, sicut character ordinis eximit clericum à potestate laici, quia dicando personam ministerio sacro, per se distinguit vtrumque statum clericalem, & laicalem, & hoc fortasse est discrimen, quod Nauar. indicare voluit in d. cap. *Nouit.*

Atque hinc tandem videtur idem dicendum de alijs personis, quæ alio quocunque modo ab Ecclesia institutio seu determinato in statu Ecclesiastico constituuntur. Quod sensit Nauar. suprà coniungens monachatum cum clericatu, monachatus enim non imprimit characterem, & ex Ecclesiæ institutione, vel determinatione existit. Idemque dici potest de prima tonsura, quæ initium est clericatus sine impressione characteris, & siqua sunt similia. Et confirmari potest ex cap. *Duo sunt.* 12. qu. 1. vbi duo distinguuntur genera Christianorum, & vnum esse dicitur, *quod mancipatum diuino officio, & deditum contemplationi, & orationi ab omni strepitu temporalium cessare conuenit, vt sunt clerici, & Deo deuoti.* Ex quibus verbis colligere licet, eandem esse rationem exemptionis in hoc toto genere personarum quia totum est Deo, & diuino cultui dicatum, quod est fundamentum exemptionis, licèt modus consecrationis diuersus sit; ergo omnes hæ personæ eodẽ iure censentur quantum ad exemptionem.

14. *Hac exẽptione gaudent quæcunque personæ in statu Ecclesiastico ab Ecclesia constitutæ.*

Atque ita ad hoc totum genus personarum applicari poterit ius positiuum diuinum, quia ex hoc toto personarum genere integra Christi familia completur, iuxta sententiam Theleſphori Papæ in epistola sua, vbi de omnibus Ecclesiasticis personis sub nomine clericorum loquitur, & familiares Christi appellat. Potest etiam ad omnes applicari ius diuinum naturale, quatenus in generali ratione consecrationis, seu dedicationis ad diuinum cultum fundatur, vt dixi. Neque obstabit, quod modus huius consecrationis, seu dedicationis ad diuinum cultum in multis ex his personis sit ex Ecclesiæ institutione quia nihilominus facta tali institutione resultare potest ius naturale. Sicut licèt consecratio calicis sit de iure Ecclesiastico, exemptio calicis consecrati ab omni vsu communi, & non sacro, naturali iure consequitur. Vel sicut in materia de Simonia diximus, licèt consecratio, aut benedictio alicuius rei sit de iure Ecclesiastico, nihilominus quòd vendi non possit, quatenus consecrata

15

crata est, de iure naturali: ita ergo in præsenti dici potest.

CAPVT XI.

VTRVM SECLVSO IVRE DIVINO immediato potuisset exemptio clericorum per ius canonicum sine adminiculo iuris ciuilis introduci.

1. HAEC quæstio simpliciter, & absolutè proposita necessaria non est, cùm ostenderimus præcedenti capite, hoc priuilegium à iure diuino esse immediatè concessum, & suprà cap. 3. etiam probatum sit, iure canonico esse stabilitum: nihilominus tamen ex hypothesi tractanda à nobis est proposita quæstio tum ad materiæ complementum, ne opinionem vllam intactam, & indiscussam relinquamus: tum vt ecclesiasticam potestatem tueamur, & nonnullis obiectionibus, quæ contra superiorem resolutionem militant, satisfaciamus. Quærimus enim an remoto iure diuino immediatè concedente hoc priuilegium, potuerit Summus Pontifex suprema sua potestate illud concedere sine consensu sæcularium Principum, vel tantùm, suppositâ eorum donatione, aut consensione illius obseruantiam præcipere, & tueri valuerit. In quo puncto non solùm Marsilius Patauinus, & alij hæretici, & schismatici, qui illius doctrinam sequuntur, negant, potestatem Ecclesiasticam ad hoc sufficere sine sæcularis consensu; verum etiam aliqui ex Catholicis eis in hac parte consentire videntur. Id enim supponunt qui dicunt hanc immunitatem esse de iure ciuili primariò, vt sentiunt Medina C. de Restitut. q. 15. qui ait, hoc priuilegium esse ex concessione sæcularis potestatis, significans, aliter induci non potuisse. Idemque apertè sentit Palacius in 4. dist. 25. disput. 3. circa finem, & antea id tradiderat Hostiens. in Summ. lib. 3. titul. de Immunit. Eccles. §. *Sed nec alia* circa finem dicens: *Non poterat autem Imperator cogi ab initio, vt priuilegia daret. sed ex quo dedit, auferre non potest*, & vt Rebuff. & Couarr. allegandi referunt, istam sententiam ex professo docuit Petrus de Ferraria in sua Practic. in forma libelli, verb. *Plenam*.

Sensus quæstionis.

2. Fundamentum huius sententiæ esse potuit, quia Principes sæculares à principio iure naturæ, vel saltem gentium habebant iurisdictionem ciuilem in personas clericorum, & illa non fuerunt immediatè priuati ab ipso Deo, vt ipsi sentiunt, & nos disputationis gratia permittimus: ergo neque à Pontifice possunt priuari, quia sicut non possunt priuari dominijs suis, ita nec parte illorum, qualis est hæc iurisdictio, & quasi dominium super personas clericorum; ergo nec potest concedere Pontifex priuilegium exemptionis, quia hoc subsistere non potest, nisi Principes iurisdictione priuentur. Dices; licèt Pontifex directè non possit priuare Principem sæcularem dominio suo, indirectè interdum id posse per spiritualem potestatem, & hoc modò posse hoc priuilegium concedere. Sed contra, quia hic vsus indirectæ potestatis solùm habet locum quasi per accidens, vel per modum defensionis subditorum fidelium, quando Princeps illis esset perniciosus, & occasio ruinæ, vel per modum puhitionis Ecclesiasticæ, quando Princeps criminosus, & incorrigibilis sit dignus tali pœna, in quibus casibus etiam laicos subditos potest Pontifex eximere à subiectione talium Principum; hic autem loquimur per se, & nulla interueniente causa, vel culpa ex parte Principis. Et hoc argumentum maximè viget in Principibus infidelibus, quia non sunt subditi Ecclesiasticæ potestati, nec directè, neque etiam indirectè; extenditur autem, ad Principes fideles, quia per conuersionem ad fidem non sunt facti deterioris conditionis, nec parte aliqua iurisdictionis sunt priuati.

3. Confirmatio.

Potestque de vtrisque hoc confirmari. De fidelibus quidem, quia legimus, Episcopos, vel iudicium ab Imperatoribus postulasse, quandiu illi iuri suo non cesserunt, vt in facto Constantini, & Episcoporum Concilij Nicæni sæpe commemorato planè ostenditur; vel priuilegium hoc ab Imperatoribus impetrasse, quando illud habere desiderarunt, vt colligitur ex nouella 83. *Vt clerici apud proprios Episcopos, &c.* titu. 11. collat. 6. vbi Iustinianus ait, se plures leges scripsisse, quibus voluit Ecclesiasticos ab Episcopis tantùm iudicari, & posteà subiungit: *Petiti fuimus à Menna, Deo amabili Archiepiscopo, reuerendissimis clericis hoc dare priuilegium, &c.* Et in multis alijs legibus, quas capite sequenti referemus, Imperatores significant priuilegium hoc ab ipsis donari, & à sua voluntate pendere. Imò Concilium Toletan. 3. capit. 21. priuilegium exemptionis pro seruis Ecclesiarum, Episcoporum, & clericorum à Rege Hispaniæ postulauit, vt habetur in cap. *Ecclesiarum seruos* 12. q. 2.

4. De principibus autem infidelibus fieri potest argumentum, quia antequam conuertantur ad fidem possunt expressè conditionem exigere, & cum eo pacto conuerti, vt nullus subditorum suorum ab eorum iurisdictione eximatur, siue clericus sit, siue laicus: at si Reges Iaponiæ, Chinæ, aut similes sub ea conditione baptismum peterent, & aliter illum acceptare nollent, non propter ea esset illis denegandus, quia conditio illa neque est intrinsecè mala, neque repugnat voluntati credendi omnia necessaria ad salutem, & illis obediendi; ergo admittenda, vel saltem toleranda esset propter tantum bonum, quale est vnius regni integra conuersio; semel autem admissa conditio, seruanda esset, cùm non sit iniusta; ergo signum est, habere temporales Principes ius, vt licet ad fidem conuertantur, suis subditis, aut parte illorum non priuentur, & consequenter licèt illam conditionem expresse non ponant, implicitè illam includunt, vel supponunt, quia nullus cèsetur iuri suo renunciare, nisi satis expressè id declaret.

5. 2. Et vera sententia.

Nihilominus vera, & certa sententia est, siue hoc priuilegium exemptionis immediatè sit ab ipso Christo omnibus clericis collatum, siue non sit, potuisse Pontifices illud conferre, eiusque obseruantiã Principibus sæcularibus præcipere, & ad consentiendum eos cogere. Ita docuit Innocent. in cap. 2. de Maiorit. & obedient. Nam proponens quæstionem, quis eximit clericos, priùs dicit, quòd *Papa, consentiente Imperatore*, posteà *quòd exempti sunt à Deo*, & tandem ait, vel dic, *quod Papa, etiam sine consensu Imperatoris eos potuit eximere à iurisdictione Imperatoris per suas constitutiones, quia cùm clerici spirituales res sint, & ex toto corpus suum, & animam dederunt in seruitium, & sortem Christi, per consequens Papæ iudicio, & constitutionibus subsunt.* Eadem est communis sententia Canonistarum in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, de Constitut. præsertim Panormita. Felin. & Deci. & Rebuff. in Concordat. titul. vltim. vbi sententiam Petri de Ferrara falsam, & damnatam appellat, & idem tenet Aluarus Pelagius libro 1. de Planct. Eccles. cap. 44. in fine referens, & ad literam sequens sententiam Innocentij. Idem Driedo libr. 1. de Libertate Christian. cap. 9. & Couarr. in lib. Practicar. q. cap. 31. concl. 3. & 4. Soto 4. d. 25. qu. 2. art. 2. concl. 6. Molin. to. 1. tract. 2. de Iustit. disput. 31. §. *Tertia verò*, Henriq. li. 7. de Indul. c. 24.

6. Probatur primò ex illis decretis, quibus obseruantia huius immunitatis sub censuris ipsis etiam Principibus temporalibus præcipitur, vt cõstat ex ca pite *Nouerit*, & cap. *Grauem*, de Sentent. excommun. & cap. vlti. *de Rebus Eccles. non alienand.* & cap. *Quãquam*, de Censib. in 6. & ferè toto titulo de Immunit. Eccle-

Probatur primo.

Eccleſiar. in decretalibus, & Sexto, & ex Bulla cœnæ Domini tot annis à tot Pontificibus repetita; nam in ea per varios articulos, & latis grauiſſimis cenſuris etiam contra Principes, & Reges temporales hanc libertatem Eccleſiaſticam defendunt. Dicere verò poſſet aliquis, hæc omnia decreta eſſe nouiora, & ſupponere priuilegium exemptionis priùs ab Imperatoribus collatum, & ita iam ſupponere conſenſum temporalis Principis, qui ſemel datus retractari non poteſt, & ideò facta illa ſuppoſitione locum habere omnia illa præcepta, nihilominus tamen in principio neceſſarium fuiſſe conſenſum Principum, & ſine illo non potuiſſe Eccleſiam ſimilia præcepta ferre.

Euaſio.

7 *Explicatur dicta euaſio.*

Sed hoc profectò incredibile eſt, tum quia dicti Pontifices non fundantur in illo principio, quòd priuilegium Eccleſiæ datum ab Imperatore, ab eo reuocari non poteſt, nam licèt illud verum ſit, vt infrà videbimus, non eſt tamen ita certum, ſicut eſt certum illa decreta, & cenſuras obligare omnes Principes etiam ſupremos ad immunitatem Eccleſiaſticam non violandam. Non ergo nituntur Pontifices in illo principio, ſed vel in iure diuino, vel in ſuprema poteſtate, quam à Chriſto habent ad regendam Eccleſiam, & præſertim res ſacras, & Eccleſiaſticas, vt expedire cenſuerint ad diuinum cultum, & ad ſupernaturalem hominum finem. Vnde multi etiam ex antiquioribus Pontificibus clericos à laicis iudicari, vel apud illos cauſam mouere, vetuerunt, etiam illis temporibus, quibus Imperatores infideles erant, vt patet ex ca. *Relatum.* 11. q. 1. & alijs, quæ cap. 3. & 4. allegauimus. Præcipue verò veritatem hanc confirmat Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 20. de Reformat. quia nulla facta iuris ciuilis mentione dicit, *Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum immunitatem diuina ordinatione, & Eccleſiaſticis ſanctionibus eſſe conſtitutam.* In quo apertè ſupponit, immunitatem hanc, non à iure ciuili, ſeu à confeſſionibus Principum ſæcularium duxiſſe originem, aliàs propriam, & immediatam huius immunitatis cauſam tacuiſſet, & in rigore, aut falſa, aut nimis diminuta fuiſſet doctrina. Deinde verò admonet, Imperatorem, Reges, &c. vt *quò largiùs bonis temporalibus, atq; in alios poteſtate ſunt ornati, eò ſanctiùs, quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt tanquam Dei præcipua, eiusq; patrocinio tecta venerentur, & debitam ſacris Summorum Pontificum, & Conciliorum conſtitutionibus obſeruantiam præſtent.*

8 *Secundum fundamẽtũ.*

Ratione verò, & Scripturę authoritate ſimul fundata eſt hæc veritas in poteſtate data Petro ad gubernandam Eccleſiam, & ad ligandum, & ſoluendum in omnibus, quæ ad bonum religionis Chriſtianæ, & conueniens Eccleſiæ regimen neceſſaria fuerint. Nam hæc exemptio per ſe loquendo, & quaſi ex natura rei eſt valde neceſſaria religioni Chriſtianæ, vt res Eccleſiaſticæ, & diuinus cultus debita veneratione tractentur: ergo propter hunc finem data eſt Petro, & Pontifici poteſtas ad ſoluendum, ſeu eximendum clericos à poteſtate ciuili, & ad ligandum ipſam poteſtatem ciuilem, vt perſonis Eccleſiaſticis hanc immunitatem cuſtodiat. Conſequentia hæc euidens eſt ex dictis ſuprà de poteſtate Pontificis circa temporalia in ordine ad ſpiritualem finem, ibi enim oſtenſum eſt, hanc poteſtatem eſſe diuinam, & ſupernaturalem, ac ſubinde per ſe ſufficientem, vt in ſua materia efficaciter operari poſſit, non expectato ſubditorum conſenſu, etiam ſi ſint temporales Principes, ſed illos ad conſentiendum obligando, & ſi neceſſarium fuerit, cogendo. Antecedens autem ſatis declaratum, & probatum relinquitur ex duobus capitibus præcedentibus. Nam ſi hæc exemptio eſt propriè, & completè de iure diuino poſitiuo, vel naturali, clarum eſt, poſſe, & debere Pontificem cogere Chriſtianos Principes ad illud ius obſeruandum. Si verò ad minimum eſt hæc immunitas valde propinqua iuri naturali, & valde conſentanea iuri diuino, & conſenſioni omnium gentium, vt omnes Doctores ſine diſſenſione fatentur, profectò negari non poteſt, quin hæc exemptio ex natura rei ſit ita neceſſaria religioni, & cultui diuino, vt ſine illa conuenienter adminiſtrari non poſſit.

Poteſtque hoc amplius declarari ratione ſuprà tacta, quam in hoc puncto indicauit etiam Innocentius ſuprà, quia res ſacræ ex vi conſecrationis Eccleſiaſticæ poteſtati ita ſubduntur, vt non ſolùm circa conſecrationem ipſam, ſed etiam circa materiam, & vſum conuenientem illius iam conſecratæ diſponat, & prohibeat non ſolùm ea, quæ ſunt intrinſecè mala, ſed etiam illa, quæ frequenter, ac moraliter poſſunt in irreuerentiam rerum ſacrarum vergere; perſonæ autem Eccleſiaſticæ ſunt res valde ſacræ, & per ſubiectionem ad ſæcularem iuriſdictionem poſſunt & à diuino cultu valde diſtrahi, & à ſæcularibus hominibus irreuerenter tractari, & contemni, ſi eorum crimina inter laicos publicè ad tribunalia communia deferrentur; ergo talis exemptio per ſe ſpectat ad poteſtatem ſpiritualem propter ſpiritualem finem. Denique hac de cauſa potuit Eccleſia circa matrimonium diſponere non ſolùm quatenus ſacramentum eſt, ſed etiam quatenus eſt quidam contractus, quia iam eſt materia rei ſacræ, & ſic etiam diſponit de bonis Eccleſiarum, & de decimis, & de alijs multis, quæ materialiter temporalia ſunt; ergo eandem poteſtatem habet in hac materia, quæ ſuo etiam modo ſacra eſt, & ad diuinum cultum non minùs neceſſaria.

9 *Roboratur diſcurſus factũ.*

Sed quæret aliquis, an ſolus Pontifex hanc habeat poteſtatem non ſolum reſpectu totius Eccleſiæ, ſed etiam reſpectu ſingulorum Epiſcopatuum. Nam priori modo clarum eſt, ſolum Pontificem habere hanc poteſtatem vniuerſalem pro tota Eccleſia, per quod non excludimus Concilium generale; nam in illo eſſe debet Pontificia authoritas, & per illam cõfirmandum eſt, vt leges ferre poſſit vniuerſam Eccleſiam ligantes. Solum ergo quæri poteſt, ſi hoc priuilegium non eſſet à Chriſto, vel Pontifice generatim in tota Eccleſia clericis datum, an ſinguli Epiſcopi in proprijs diœceſibus illud ſuis clericis poſſent. Ratio autem partè affirmantem ſuadens eſſe poteſt cõferre, quia vnicuiq; Epiſcopo incũbit cura diſponendi omnia in ſua Eccleſia, quæ ad conueniens illius regimen ſpectant, & ad hunc finem vnuſquiſque Epiſcopus poteſt in ſua diœceſi quidquid ſibi prohibitum non eſt, vel per ſuperiorem non eſt aliter præſcriptum; ſed hoc non inuenitur eis prohibitum; ergo licet exemptio non eſſet per Pontifices introducta, vnuſquiſque Epiſcopus in ſua diœceſi poſſet illam tribuere.

10 *Quæſitum.* *Reſolutio.* *An Epiſcopi in ſuis diœc. ſibi clericis hanc exemptionem per ſe conferre valeant.* *Ratio dubitandi pro affirmatiua parte.*

In contrarium verò eſt, quia Epiſcopi in ſuis diœceſibus non poſſunt quidquid eis non prohibetur, ſed tantùm quod eis conceditur, quia non habent iuriſdictionem ex iure diuino, ſed à Pontifice; hoc autem non legitur eis conceſſum. Deinde maiores cauſæ Pontifici ſunt reſeruatæ, vt dicitur in cap. *Maiores,* de Baptiſm. Exemptio autem clericorum, per quam ſupremi Principes temporales ſua iuriſdictione ex parte priuantur, grauiſſima res eſt, magnaq; indiget authoritate, & poteſtate; ergo vel à Chriſto facta eſt, vel eius Vicario eſt reſeruata. Et confirmatur, quia Epiſcopi non poſſunt in ſuis diœceſibus hanc exemptionem augere; ergo nec poſſent introducere, ſi non eſſet. Denique ex huiuſmodi exemptione poſſunt ſcandala, & perturbationes inter Principes, & Prælatos oriri, niſi magna prudentia, & authoritate fiat; ergo quidquid circa hoc priuilegium ſtatui poteſt, ad ſolam Pontificis authoritatem, & poteſtatem pertinere credendum eſt.

11 *Ratio pro parte negatiua.* *Confirmatio.*

Hæc ergo poſterior pars veriſimilior eſt, quam etiam praxis Eccleſiæ confirmat. Pontifices enim maxi-

12 *Pars negatiua præponitur.*

mam habuere curam disponendi omnia, quæ ad hanc exemptionem pertinent, neque hanc facultatem Episcopis reliquerunt. Estque optima ratio, quia hoc priuilegium (vt dicitur in cap. *Si diligenti*, de Foro compet.) non in fauorem huius, vel illius personæ, neque etiam in fauorem huius, vel illius episcopatus, sed simpliciter *in fauorem totius collegij Ecclesiastici* inductum est; ergo potestas illud conferendi est in solo capite vniuersali totius collegij, vel Principali, quod est Christus, vel in eius Vicario, qui est Summus Pontifex. Hoc autem intelligendum est de hoc priuilegio vt purè canonico, & per solam spiritualem potestatem concesso independenter à consensu, vel donatione secularium Principum.

13 Duobus autem modis possent Episcopi exemptionem præcipere in suis Episcopatibus, etiam si non esset generaliter introducta. Primo ex parte clericorum tantùm, præcipiendo clericis sibi subditis, vt in omnibus casus ab ipsis mouendis, seu in quibus ipsis liberum esset iudicem eligere, vitarent laicum iudicem, & suum Episcopum adirent. Hoc enim præceptum iustum esset, & in rigore non derogaret iurisdictioni laicorum; ergo non excederet ordinariam potestatem Episcoporum. Sicut enim Paulus 1. ad Corinth. 6. reprehendit fideles inter se mouentes lites, quia coram infidelibus illas tractabant, & siue id reprehenderit, quia malum, siue quia minus decens, & periculosum, non est dubium, quin illud prohibere potuerit: ita etiam Episcopi prohibere possent clericis, ne quantum in ipsis est, coram laicis litigarent, etiam si alias exempti non essent, quia sicut non decet, fidelem coram infideli causam agere, ita seruata proportione indecens, & periculosum est, clericos à laicis iudicari, argumento cap. *Relatum*. 11. quæst. 1. Alio modo posset quilibet Episcopus in sua diœceſi præcipere obseruantiam alicuius exemptionis, acceptando priuilegium aliquod à Principe, seu supremo Domino terræ concessum, quod est per se manifestum, quia tale priuilegium esset Ecclesiæ beneficium, quod laico facere licet, & Episcopo acceptare, quo semel obtento, potestatem habet Episcopus præcipiendi obseruationem eius, quia tunc iam non priuat laicum potestate sua, sed rem Ecclesiasticam tuetur, ac defendit.

Episcopi possunt prohibere, ne clerici sæcularia iudicia adeant.

14 Ad fundamentum contrariæ sententiæ rectè ibi responsum est, ex hypothesi, quòd Christus per se ipsum hoc priuilegium clericis non contulerit, Pontifices per potestatem spiritualem potuisse illud concedere, & consequenter, & quasi indirectè auferre à Principibus sæcularibus iurisdictionem, quam in personas clericorum habebant, vel habere debuissent, si clerici non essent. Ad replicam autem ibi factam, quòd hic indirectus vsus potestatis spiritualis solùm habet locum per accidens propter crimina, vel tyrannidem Principis, negatur assumptum, nam etiam extenditur spiritualis potestas ad temporalia, etiam si nulla interueniat culpa ex parte Principis temporalis, sed causa sufficiens ex parte materiæ, qualis est connexio, vel coniunctio sufficiens rei materialis cum spirituali, vel talis habitudo ad spiritualem finem, vt ratione illius expediat, per spiritualem potestatem dirigi, & ordinari. Tunc enim Pontifex circa talia habet cœlestis, & terreni imperij iura, vt dixit Nicolaus Papa II. in cap. 1. dist. 22. Atque in hoc sensu non repugnat, vsum huius potestatis spiritualis esse per se, licet sit indirectus, vocatur enim per se, quia non est per modum pœnæ, neque per occasionem alicuius mali casu insurgentis, sed quia supposita conditione humana, & tali institutione Ecclesiastici status, exemptio est moraliter necessaria ad spiritualem finem, & nihilominus ille vsus indirectus appellatur, quia non est propter temporalem finem, sed propter spiritualem, vt supra declaratum est.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ.

Vsus indirectus potestatis spiritualis etiã absque sæcularium Principum criminibus est necessarius.

15 Ratio autem est, quia hæc potestas per se data est ad ordinarium, & conueniens regimen Ecclesiasticæ Monarchiæ, & ideò per se potest quidquid moraliter expedit ad finem eius, etiamsi ad eum finem aliquid circa temporalia disponere, vel immutare necesse sit. Eo vel maximè, quòd temporalibus Regibus non est data potestas propter ipsorum commodum, sed propter conuenientem reipublicæ gubernationem. Ergo si in ipsa republica talis mutatio fiat, ratione cuius ad eiusdem maius bonum expediat, personas aliquas excipere à Principum iurisdictione, mirum non est, quòd Ecclesiæ Princeps, qui altiorem curam, & prouidentiam habet eiusdem reipublicæ ad altiorem ordinem, & statum eleuatæ, propter eundem finem id possit præstare. Maximè cum hæc respublica Ecclesiastica, vt per Christum instituta est, supernaturalis sit, & diuinum cultum principaliter respiciat, ad quem præcipuè hæc immunitas ordinatur. Potestque hoc declarari exemplo. Nam si seruus ordinetur in sacris, interdum liberatur à seruitute cap. *Per venerabilem*, qui filij sint legitimi, & ca. *Si seruus*. 54. dist. cap. *Miramur*, de Seruis non ordinand. Quod potuit Ecclesia statuere in debitum vsum, & decentiam sacramenti ordinis, & ministerij, etiam priuando dominum potestate, quam antea habebat in seruum, vel reddito illi pretio, vel etiam non reddito, quando dominus in ordinationem consensit. Ergo mirum non est, quòd ratione ordinum possint clerici per ecclesiasticam potestatem a iurisdictione temporali liberari, nam mains in suo genere est dominium serui, quàm solius iurisdictionis, & Principes sæculares, præsertim fideles consensum suum, vel expressè, vel tacitè præbent tali ordinationi, & Ecclesia habet ius non dandi illis ministros in spiritualibus, nisi veluti sub hoc pacto, & conditione (quæ iustissima est) vt immunitate tali statui conuenienti gaudeant; ergo meritò potest Pontifex sola sua authoritate hanc immunitatem stabilire, & sæculares Principes ad eam obseruandam obligare.

Seruus sacris ordinatus liberatur à seruitute extrinsece.

16 Quia verò in fine illius argumenti dicitur, illud maximam vim habere respectu Principum infidelium, addendum est, etiam tempore infidelium Principum potuisse Ecclesiam, & nunc etiam posse in regnis, & prouincijs Principum infidelium, in quibus sunt fundatæ Ecclesiæ, posse (inquam) hoc priuilegium clericis concedere, inuitis Principibus. Oportet autem potestatem à facto, seu ius ab vsu distinguere. Nos enim de iure, ac potestate loquimur, & eodem principio, & rationibus factis nitimur. Et declaratur, nam suprà cum Diuo Thoma diximus, posse Ecclesiam omnes fideles à potestate infidelium eximere propter periculum; ergo maiori ratione poterit sacerdotes, & clericos eximere ob reuerentiam diuini cultus. Pontificis enim potestas in ordine ad suum finem, etiam supra infideles extenditur, & ideò ius habet instituendi, quæ ad verum Dei cultum pertinent, & quæ ad illum decent, & expediunt, etiam inuitis Principibus infidelibus. Sicut posset præcipere, ne in templis secularia iudicia fiant, etiam à Magistratibus infidelibus, & habet ius illos cogendi ad id obseruandum, si posset. Quod enim pertinet ad factum, siue vsum non ita potest cum fructu, & effectu vti Ecclesia hac potestate cum Principibus infidelibus, quia ipsi non cognoscunt in Papa potestatem vllo modo superiorem, nec possunt cogi per censuras, seu per gladium spiritualem; vt autem materiali gladio belli difficile est vel interdum magis noxium. Et ideò facilius potuit Ecclesia illo tempore dissimulare. Quomodo autem tunc se gesserit, aut gerere potuerit, infrà inquiremus.

Infidelium Principum potestas non est eximere clericos.

17 Ad priorem partem confirmationis, quæ erat de vsu antiquo Prælatorum Ecclesiæ postulandi ab Imperatoribus, vel iudicium in causis, & controuersijs suis, vel priuilegium exemptionis pro suo clero, responderi potest in primis, illud in principio Ecclesiæ

Ad confirmationem.

locum

locum fortasse habuisse, quia tunc exemptio clericorum, vel non satis erat vsu introducta, vel non satis erat nota Imperatori recens ad fidem conuerso, vt erat Constantinus tempore Concilij Nicæni. Et ideò tunc Episcopos iudicium ab illo postulasse voluntariè, & non coactè. Vel dici etiam potest, Episcopos non accessisse ad Constantinum tanquam ad iudicem in eos iurisdictionem habentem, sed vel tanquam ad defensorem, & protectorem, quod est Imperatoris munus, vel certè, quod verisimilius apparet, tanquam ad arbitrum, quem voluntariè eligebant, quia tunc non erat prohibitum: ipse autem propter Episcoporum reuerentiam munus illud acceptare recusauit. Atque eadem ratione potuerunt olim Episcopi hoc priuilegium ab Imperatoribus postulare, non quia iure ipsis Episcopis non competeret, sed quia vel facto illis non permittebatur, etiam à fidelibus Magistratibus, quibus fortasse tunc ius illud clericorum satis notum non erat; vel certè ex vrbanitate, & vt res suauiùs fieret, consensum Principis postularunt. Ac denique aliqui Imperatores ita in suis legibus loquuntur, ac si essent huius priuilegij authores, quia fortasse per ignorantiam ita existimabant, vel vt ostenderent, omnino iuri suo renunciare, & quantum est ex se ita donare, ac si ab eorum sola voluntate, & potestate penderet.

18 In altera parte illius confirmationis petitur, an possit infidelis Princeps ad baptismum admitti, nolens in suo regno exemptionem clericorum permittere, imò sub conditione, & pacto postulans, ne tali iurisdictione priuari possit. In quo puncto in primis dicimus, etiamsi demus, Pontificem in tali casu posse id permittere, quia non est intrinsecè malum, ac proinde potest talis Princeps esse dispositus ad fidem, & baptismum: nihilominus inde non sequi, hanc immunitatem per se, & iure pendere à voluntate Principum, sed solùm sequi, Pontificem posse aliquando dissimulare, & non vti sua potestate ad concedendum, vel exequendum de facto tale priuilegium propter maiora mala vitanda. Addo verò præterea, tam iniquam esse illam conditionem, & contrariam iuri diuino aut immediatè, aut saltem mediatè, vt permittenda non sit, neque baptismus sub tali pacto alicui Principi concedendus. Primò quia nunquam potest Papa renunciare potestati, quam habet ad cõcedendum hoc priuilegium, vel vsum eius, quoties Ecclesiæ vniuersali, vel particulari expedire iudicauerit; per illud autem pactum videretur renunciare huic potestati, aliàs conditio esset friuola, & nullius effectus; ergo nunquam licet illam admittere. Imò licèt sub ea conditione aliquem Principem ad Ecclesiam reciperet, illam postea seruare non teneretur, tum quia esset contra bonos mores Ecclesiæ, tum etiam quia per iniquam vim esset extorta, sicut est in mutuo conditio soluendi vsuras.

Princeps ethnicus sub conditione exemptionẽ clericorum non obseruandi ad fidem admittendus non debet.

Prima ratio.

19 Vnde oritur altera ratio cur hoc non liceat, scilicet, quia talis Princeps est indispositus ad baptismũ recipiendum, tum quia grauiter peccat vim illam Ecclesiæ inferendo, tum etiam quia videtur suum temporalem statum baptismo anteponere, quandoquidem non vult illum admittere, nisi tal. conditione sibi concessa. Tum deniq; quia ex illa conditione admissa in vno regno posset Ecclesia perturbari in alijs prouincijs iam catholicis, & in illa etiam, quæ de nouo conuertitur, nunquam posset immunitas Ecclesiastica conuenienter introduci, semperq; perturbationes, & scandala timeri possent. Quamobrem absolutè loquendo, iniqua videtur, & nullo modo admittenda huiusmodi conditio præsertim absolutè, & sine temporis determinatione, vel alia honesta limitatione proposita.

2. Ratio.

20 Quòd si hæc vera sunt (vt re vera sunt) vbi Ecclesia non videtur habere ius acquisitum super Principem nondum baptizatum, profectò longè fortiori A ratione permittenda non est talis resistentia in Principe iam fideli, seu baptizato, qui subditus est Ecclesiæ, eiusque iustis legibus obedire tenetur. Neque verum est, illam conditionem esse implicitè inclusam in voluntaria susceptione baptismi, cum enim sit iniqua, & reijcienda, si fortè exprimatur, quomodo potest implicitè includi. Conditio ergo, quæ implicita cogitari potest, solùm est, vt temporalis Princeps suis iuribus non priuetur in his omnibus, quæ fidei, aut Ecclesiasticæ obedientiæ non repugnant.

CAPVT XII.

VTRVM PRIVILEGIVM FORI CLERICORVM etiam iure ciuili fundatum sit.

HVIVS tituli, seu quæstionis sensus ex doctrina capitis superioris accipiendus est, iam enim non quærimus, an prima origo, vel principalis; aut necessaria causa huius priuilegij sit ius ciuile, seu voluntas, aut donatio Principum sæcularium; sed an de facto ipsis consentientibus introductum sit; vel certè an sit de iure ciuili eo modo, quo esse potest, vel expedit, quicunque tandem ille modus sit. 1 *Sensus quæstionis.*

C Hoc ergo sensu proposito, assertio certa, & communi consensu recepta est, hoc priuilegium etiam esse concessum clericis iure ciuili, seu à Principibus temporalibus, quæ intelligitur ab eo tempore, quo Principes facti sunt Christiani; nam antea, clarum est, infideles Principes nullum priuilegium clericis concessisse, statim verò ac Imperatores Christiani esse cœperunt, immunitatem clericis concesserunt. Vnde primus omnium creditur hoc priuilegium acceptasse Constantinus (nam de Philippo propter temporis breuitatem ratio non habetur.) Nonnulli- D que dixerunt tempore Iulij I. Pontificis Constantinum huic priuilegio annuisse, pro vt refert Almainus in 4. d. 25. q. 1. quos ipse etiam sequitur, sed id nec probari potest, nec cum veritate historiarum consistere. Nam Constantinus in initio Pontificatus Iulij I. mortuus est, vnde probabile est, authores illos de Constantio loqui voluisse. Alij verò censent, Constantinum in Concilio Nicæno priuilegium hoc Ecclesiasticum inchoasse, quando Episcopis dixit, à solo Deo fore iudicandos, quod significat Palacius in 4. d. 25. disput. 3. Sed re vera ex verbis illis Constantini non colligitur, Constantinum nouum priuilegium dedisse, sed vel Episcoporum dissensiones, E illos simul honorando, vno verbo componere, ac sopire voluisse: vel certè recognouisse in Episcopis aliquam immunitatem diuinitus eorum dignitati concessam. 2 *Prima conclusio.* *Exemptio clericorum etiam est de iure ciuili.* *A quo præceptasse dicta exemptio introducta sit.*

Præterea dubium non est, quin Constantinus priuilegia immunitatis clericis concesserit, nam l. 1. C. de Episcop. & cleric. clericos, & mancipia eorum eximit *à nouis collationibus*, & ne hospites suscipere cogantur, quæ lex habetur etiam in Codice Theodosiano li. 16. l. 8. sed Constantio tribuitur, & illi addũtur hæc verba, quæ Iustinianus omisit. *Et si qui de vobis alimoniæ causa negotiationem exercere volunt, immunitate potientur*, & in l. 1. de Lustral. collat. in eo- F dem Codice Theodosian. idem Constantinus cleri- cos eripit à quodam tributo, quod *lustralis collatio* vocabatur, fortasse quia per lustra exigebatur. Præterea in l. 1. de Episcop. & cleric. in eodem Theodosiano Codice idem sancit, *ne clerici contra indulta sibi priuilegia nominationibus, seu susceptionibus prægrauentur*, loquitur autem de nominationibus ad publica officia sæcularia, & à muneribus ciuilibus, à quibus clericos immunes esse voluit, vt clarius explicat in l. 2. eiusdem tituli, & rationem addit, dicens, *Ne sacrilego liuore quorundã à diuinis obsequijs auocentur.* 3 *Constantinus exemptionem clericorum concessit.* *Refert Gratianum in c. Generaliter.* *§. Nouarum 16. q. 1.*

Et si-

Euseb. li.10. Hist.c.7. Nicephor. li. 7. c. 42. Sozomen.lib.1. c.9.

Et simile rescriptum Constantini refert Eusebius, per quod clericos Africanæ prouinciæ *ab omnibus omnino communibus, & ciuilibus rerum publicarum ministerijs immunes, & absolutos vult.* Rationem verò addit generalem omnibus clericis, *vt nullo modo per errorem, vel per sacrilegium, ac prophanam prolapsionem, quæ in huiusmodi negotijs accidere solent, à cultu diuinæ maiestati debito abstrahantur.* Idemque priuilegium supponit, & quomodo seruandum sit declarat idem Constantinus in l.6. eodem tit. in Theodosiano Codice.

4

Quia verò in his legibus non fit expressa mentio priuilegij fori, licèt cum alijs connexum esse videatur, addenda est lex.7.eodem tit.& cod.in qua sic dicit idem Constantinus: *Clerici, qui per iniuriam hæreticorum ad curiam deuocati sunt, absoluantur, & de cætero ad similitudinem Orientis ad curias minimè aduocentur, sed immunitate plenissima potiantur.* Vbi oportet aduertere, licèt de hæreticis in illo rescripto mentio fiat, quia per occasionem persecutionis Donatistarum datum fuit illud priuilegium, nihilominus ipsum priuilegium latum fuisse absolutè, supponiturq; antea fuisse concessum in Oriente, & ad Occidentalem Ecclesiam extenditur. Imò, quod maximè notandum est, tantum aliquando Constantinus detulit iudicio Episcoporum, vt omnibus etiam laicis in causis ciuilibus ad Episcopos prouocare concesserit, eorumq; sententias Magistratuum sæcularium sententijs prætulerit, vt constat ex l.1.de Episcopali iudicio in Codice Theodosiano, & ex Sozomeno lib. 1. Histor. c.9.

Vide Baronium ann. Christi 330. in fine.

5

Præterea in eodem codice Theodosiano, tit. de Episcop. & cleric. habentur variæ leges Constantij Imperatoris, in quibus similia priuilegia clericis concedit, nam in l.9.clericos eximit à *curialibus muneribus, & ab omni inquietudine curialium functionum,* & in leg. 10. concedit eis *immunitatem ab exactionibus munerum sordidorum, & à negotiatorum dispendijs,* quæ videtur fuisse exemptio à tributis soluendis ex ijs, quæ sua industria lucrabantur, hoc enim significat in ratione, quam subdit, dicens, *Cùm certum sit, quæstus quos ex tabernaculis, atq; ergasterijs colligunt, pauperibus profuturos.* Et additur: *Parangariarum quoque pari modo cesset exactio,* & infra. *A censibus etiam iubemus perseuerare immunes.* Et similiter in l.11.eximit clericos *à muneribus curialibus.* Addit verò notandam restrictionem dicens. *Clerici, qui in totum nihil possident, ac patrimonio inutiles sunt,* quia fortasse tunc clerici illum statum profitebantur.

Constantius etiam eadē priuilegia clericis concessit.

6

Verumtamen in his non satis explicatur priuilegium fori, quamuis interdum per generalia verba insinuari videatur. In lege autem 12. prohibet idem Imperator, *Episcopos in iudicijs publicis accusari, Ne libera sit* (inquit) *ad arguendos eos animis curialibus copia,* & ideo subiungit, *causas Episcoporum ad Episcopos esse deferendas.* Coniectatque Baronius, hoc priuilegium concessisse Constantium ad petitionem Hilarij, qui in libro ad eundem, cuius initium est, *Benignifica natura tua,* sic inquit: *Prouideat, & decernat clementia tua, ne iudices posthac præsumant, & vsurpent, ac putent, se causas cognoscere clericorum, &c.* vbi expendo verba *Præsumant,* atque *vsurpent,* quibus non tam nouum priuilegium, quàm ne antiquum violaretur, postulare visus est. Atque ita Constantius antiquum potius priuilegium confirmauit, quàm nouum concesserit; eodemque modo in l.13 eiusdem tituli simul cum Iuliano confirmat priuilegia clericis vrbis Romæ concessa, & l.14. itidem confirmat exemptiones clericorum à tributis à Constantino concessas.

7

Cæteri etiã Imperatores eandem ex emptionem confirmarũt.

Præterea hæc immunitas à posterioribus Imperatoribus confirmata est, licèt interdum eam restringere, vel mutare tentauerint. Valentinianus enim. 1. vt refert Ambrosius lib. 2. epist. 13. alias epist. 32. *Non*

A *solùm sermone respondit, verùm etiam legibus suis sanxit. In causa fidei, vel Ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt* (ait Ambrosius) *hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam si aliàs quoq; argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale iudicium pertinere.* Posteà verò quia multi causa vitandi onera curialia, atque potiendi Ecclesiæ priuilegijs, clerici fiebant, Idem Valentinianus de Episcop. & cler. statuit, vt non nisi qui decennio in clericatu perseuerasset, clericorum immunitatibus potiretur, vt colligitur ex l.19.de Episcop.& cler.in co-
B dice Theodosiano. Post modum verò Gratian. in l. vlt. de Episcopal. iudic. statuit, *ne clerici ad iudicia sæcularia pertrahantur.* Et deinceps Honorius absolutè idem priuilegium fori clericis restituit, vt constat ex l.41.de Episco.& cler.in Codice Theodosiano, dicens de clericorum causis. *Huiusmodi causas duntaxat Episcopi sub testificatione multorum actis audire debent,* & in l.29.30.& 38. confirmat priuilegia omnia à suis prædecessoribus clericis concessa, inter quæ sine dubio priuilegium fori continetur. Expressiusque colligitur ex l.45.46.& 47.eiusdem tit. Vnde idem seruatum esse sub Theodosio iuniore colligi potest
C ex ep. 54. Augustini, cuius verba paulò post referemus. Posteà verò Valentinian.3. clericos priuilegio fori omnino priuauit, vt constat ex libro Nouellarum eius tit. 12.

Valentinia nus exemptionem priuat clericos primam.

Refert item Baronius ann. 455. nu. 25. Marcianum Valetiniani successorem personas Ecclesiasticas pristinæ restituisse libertati, reuocatis legibus contra illam à prædecessoribus promulgatis: solùm tamen allegat Nouellam eiusdem Imperatoris, quæ est vltima in lib.3.Nouell.in Cod.Theodosiano, & in l.*generali.* C. de Sacrosanct. Eccles. in illa verò solum reuocantur leges, quibus prohibebantur clerici, ne aliquid ex testamento relictum à viduis caperent, de
D priuilegio autem fori nihil ibi legitur. In quodam verò scholio ad Nouellam Valentiniani notatur, illius reuocationem retractasse Maiorianum Augustum, quod etiam notat Baron. ann. Christi 452. n. 51. dicens. *Hæc quidem Valentinianus turpiter Romæ promulgat, sed quàm iniquè, & impiè, lata à successore Maoriano his contraria sanctio demonstrauit.* Non referunt autem hi authores sanctionem Maioriani, nec inter nouellas eius, quæ lib. 4. Nouellar. post Codicem Theodosianum habentur, continetur. Neque de statu huius priuilegij ab illo tempore vsque ad Iustinianum aliquid ab Imperatoribus clarius statutum, quod certò affirmare valeam, inuenio.

8

9

Priuilegium fori ante Iustinianū clericis fuisse concessum.

E Ex dictis autem manifestè falsum esse conuincitur, quod quidam schismaticorum fautores hoc tempore dixerunt, distinctionem fori inter Ecclesiasticos, & laicos ante Iustinianum in Ecclesia non fuisse. Nam ex dictis ostenditur, plures Imperatores hãc fori distinctionem concessisse, seu admisisse, vt de Constantino, Honorio, & Valentiniano.1. & alijs ostendimus. Item multò antiquior Iustiniano est grauis illa in Concilio Aquileiensi Ambrosij sententia, *non laicos de sacerdotibus, sed potiùs sacerdotes de laicis iudicare debere,* quam etiam habet in dicta epist.13.ad Valentinian. Augustum, & in ea distinctionem fori significat. Quam etiam supponit August. in epist. 53.
F ad Macedonium Proconsulem, & iudicem sæcularem, qui cùm Augustinum interrogasset, cur Sacerdotes in sæculari foro pro reis intercederent, ipse Augustinus vicissim respondet: *Scio ego, te ipsum cum alijs amicis tuis in Ecclesia Carthaginensi interfuisse pro clerico, cui meritò succensebat Episcopus, & vtiq; nullum ibi discrimen sanguinis in incruenta disciplina timebatur.* In quibus verbis apertè supponit, & declarat fore distinctionem, quæ iam tunc in vsu erat. Quin potiùs Concilium Matisconense. 1. cap. 9. distinctionem hanc *in ipso pene Christianitatis principio,*

cipio, non solùm canonum, sed etiam legum interuentu introductam esse, asseruit.

10 Iustinianus ergo non fuit author distinctionis fori Ecclesiastici à sæculari, nec priuilegium fori clericis primus ipse concessit. Quin potiùs licèt antiqua de hoc foro priuilegia concedere, aut innouare visus fuerit, ea tamen ad ciuiles causas limitauit. *In criminalibus clericos à laicis iudicari voluit Iustinianus.* Nam in criminalibus, quando crimina non Ecclesiastica, sed communia sunt, vt furta, homicidia, &c. voluit clericos à laicis iudicari, & puniri, vt constat ex Nouella 83. aliàs Authent. *Vt clerici apud proprios Episcopos, &c.* & ex Authent. *Cassa*, & Authentica *Clericus*. C. de Episcop. & cleric. Aliqui verò existimant, priuilegium fori iterum fuisse plenè restitutum per Carolum Magnum per quandam legem, qua renouauit aliam Constantini, & Theodosij, quam suprà retulimus, qua statuebatur, vt omnes causæ etiam laicorum possint per Episcoporum sententiam terminari, prout refert Gratian. in capite *Omnes* 11. quæst. 1. & latiùs Baronius tom. 9. ann. 801. circa medium. *An priuilegium fori per Caroli Magn. fuerit restitutum.* Sed in primis lex illa non de criminalibus causis, sed de ciuilibus loquebatur, valde enim alienum esset ab Episcopali munere, in criminalibus causis laicorum sententiam dicere. Deinde per illam legem non concedebatur clericis priuilegium fori, sed potiùs facultas dabatur laicis, vt coram Episcopis possent suas ciuiles causas tractare, ac definire. Denique hoc ipsum priuilegium vel receptum non fuit, vel certe non multum durauit, sed vsu abrogatum est, vt notant Glossa, Hugo, Turrecremat. & alij Doctores in dicto cap. *Omnes*, & cap. *Quicunq;* 11. quæst. 1. & latiùs notat Glossa in cap. *Relatum*, eadem causa, & quæstione. Quocirca licèt ex historijs constet, Carolum Magnum multa beneficia, & priuilegia clericis, & sacerdotibus contulisse, an verò singulare aliquid circa hoc priuilegium fori statuerit scriptum non inuenio, neque de alijs Imperatoribus, qui post illum vsque ad Fridericum II. fuerunt.

11 *Priuilegium fori in ciuilibus, & criminalib. plenissime statuit Fridericus.* Hic autem Fridericus sub Honorio III. plenissimum priuilegium fori tam in criminalibus, quàm in ciuilibus causis clericis contulit, vt constat ex eius constitutione, quæ habetur in volumine post libros feudorum, & ex Authentico *Statuimus*. Cod. de Episcop. & cleric. ex Authent. *Cassa*. Cod. de Sacrosanct. Eccles. Quas leges acceptauit Papa in fine dictæ constitutionis his verbis. *Nos Honorius Episcopus seruus seruorum Dei has leges à Friderico Romanorum Imperatore filio nostro charissimo pro vtilitate omnium Christianorum editas laudamus, approbamus, & confirmamus tanquam in eternum valituras.* Atque ita receptũ fuit hoc ius in toto orbe Christiano, ex quo satis constat, priuilegium hoc iure communi ciuili stabilitum esse. *Variis etiam legibus ciuilib. hoc priuilegium in Hispania introductum est.* Quod etiam imitatæ sunt leges particularium regnorum, præsertim Hispaniæ tam in antiquioribus legibus, Partita prima, titul. 6. l. 51. & sequentibus, quàm in noua recopilatione, libro primo, titulo tertio à principio, præsertim Leg. 11. & 12. & Lusitaniæ libro secundo Ordinationum per varias leges, idemque de Legibus aliorum catholicorum regnorum arbitramur.

CAPVT XIII.

DIFFICVLTATI, QVAE EX PRAEcedenti capite oritur, occurritur, & quomodo Ecclesia diuersis temporibus priuilegio fori vsa fuerit, explicatur.

1 *Primum dubium circa vsum priuilegij fori.* EX dictis in præcedenti capite circa vsum huius priuilegij fori dubium nascitur, nam videtur sequi, aut Ecclesiam non fuisse vsam hoc priuilegio plenè, & constanter ante Frederici II. tempora, aut multis temporibus, renuentibus Imperatoribus, illud obseruasse; primum autem videtur magnum esse inconueniens, secundum verò difficile creditu est, quid ergo dicendum est de istius vsus; antiquitate, & modo? Nam quod Pastores Ecclesiæ contra Imperatorum voluntatem priuilegium hoc non exercuerint, sed dissimulauerint, eorũq; voluntati, ac potentiæ cesserint, colligi potest, tum quia frequenter in suis decretis Imperatorum, aut Regũm consensum, seu iurium ciuilium concordiam allegant: tum etiam quia non legimus, censuras fulminasse contra aliquem Imperatorem, qui ante Fredericum. II. priuilegium fori, vel omnino, vel ex parte clericis abstulerit, vt de Valentiniano & Iustiniano retulimus. Imò ipsimet Imperatores, qui maximè videntur clericis in hoc priuilegio fauisse, interdum in aliquibus causis, etiam ipsismet Episcopis, & clericis postulantibus, hanc iurisdictionem assumebant, quibus Pontifices non resistebant, sed potiùs videndo, & tacendo, consentire videbantur. *Rationes dubitandi.*

Atque hinc nascitur alia difficultas, quam Barclaius cap. 35. apud Bellarmin. tetigit, quia licèt multi Imperatores concesserint clericis hanc exemptionem à suis iudicibus, & Magistratibus, non tamen legimus, eos à sua propria, & Imperiali potestate exemisse. Nunquam enim id declararunt, quod tamen in tam speciali priuilegio necessarium videbatur. Et factis oppositum ostendebant, vt dixi. Ipseque allegat modernum factum Caroli V. qui Hermannum Archiepiscopum Colonien sem in ius ad se vocari iussit, vt de criminibus sibi obiectis se purgaret. Posset que allegare difficilia verba Iustiniani in Authent. *Nullus Episcopus*, C. de Episcop. & cleric. quæ sic habent, *Nullus Episcopus inuitus ad ciuilem, vel militarem iudicem in qualibet causa producatur, vel exhibeatur, nisi Princeps iubeat.* Vbi constat, concedi exemptionem ab inferioribus, non ab ipso Principe. Et idem sumi potest ex Authentic. *Sed hodie*, eodem tit. ibi: *Nisi cum ex iussione Principis ad alias prouincias vocantur.* 2 *Secundum dubium, an clerici ab imperiali potestate fuerint exempti.* *Ratio dubitãdi pro negatiua parte.*

In contrarium verò est, primò quia hoc repugnat multis Concilijs asserentibus, hanc immunitatem esse antiquissimam, & à principio Christianitatis obseruatam. Quod etiam ratio suadet, quia videtur incredibile, Ecclesiam tanto tempore caruisse vsu, & obseruantia immunitatis ad bonum religionis, & decentiam Ecclesiastici status prorsus necessaria. Præsertim cum ex diuino iure propriè, & immediatè sit, vel saltem adeò illi propinqua, vt sine illa non possit conseruari. Secundò quia inde sequeretur, etiam nunc non gaudere clericos integra exemptione, quia saltem erunt subiecti iurisdictioni Imperatoris, Regum, & quorumcunque supremorum Principum, quia nec Fredericus. II. aliter in hanc exemptionem consensit, quàm sui prædecessores, sed quod ipsi fecerant, *instaurauit, innouauit, & seruari mandauit*, neque etiam alij Imperatores, vel Reges post Fredericum magis se sua iurisdictione abdicarunt: consequens autem intolerabilis error est, quamuis Barclaius illud insolenter admittat. 3 *Ratio pro parte affirmante.*

In hoc puncto breuiter duo tempora distinguenda sunt, vnum est à principio Ecclesiæ vsque ad Constantinum, quando Principes temporales ethnici erant; aliud est à Constantino vsque ad Fredericum II. omittimus autem tertium tempus à Frederico vsque ad nostra tempora, quia de his quadringentis annis nullus dubitat, quin Ecclesia Catholica plenè, ac integrè hoc priuilegium seruauerit, iuxta sacrorum canonum dispositionem, sine contradictione alicuius Principis Christiani, qui hæreticus, vel schismaticus habitus non fuerit. Præterea circa duo prima tempora præmittenda est alia distinctio supra data, de iure vtendi hoc priuilegio, & de facto, seu de ipso vsu cum effectu: sæpe enim priuilegiatus suo priuilegio non vtitur, licèt iure possit, quia 4 *Ad resolutionem duo tempora distinguuntur.*

quia de facto non valet. Hæc autem impotentia facti esse potest, vel in singulis priuatis personis Ecclesiasticis, si ad sæcularia iudicia ire cogantur, vel in summo Pontifice, si cum effectu, vel fructu non possit sæculari potestati hanc vim inferenti resistere.

5 De primo ergo tempore dicendum est, hoc priuilegium non potuisse ab Ecclesia plenè obseruari, seu vindicari, non ex defectu iuris, sed ex defectu potentiæ facti, seu executiua (vt sic dicam.) Hæc assertio in superioribus insinuata est, & quoad priorem partem de iure sufficienter probata est, quia hoc priuilegium, & immediatè est iure diuino concessum, & licèt non esset, data est Ecclesiæ potestas & imposita obligatio inducendi illud. Est autem notanda differentia inter hos duos modos, quibus hoc priuilegium potuit esse de iure diuino, quia iuxta illos distingui etiam poterit duplex modus habendi ius circa hoc priuilegium. Nam priori modo erit ius illud in re respectu omnium, & singulorum clericorum; posteriori autem modo erit tantùm ius ad rem. Si enim priuilegium priori modo est à Christo concessum, omnes clerici in quocumque tempore fuerunt actu exempti à iurisdictione Principum ethnicorum, & hoc vocamus ius in re, & consequenter Principes etiam fuerunt priuati iurisdictione in clericos, quia hæc duo connexa sunt. Ex quo etiam sequitur, potuisse illo tempore clericos in conscientia non parere legibus, vel sententijs Principum, vel iudicum ethnicorum, & si ab eis cogerentur, vim vi repellere, si viribus valerent, quia si infideles iurisdictionem non habebant in ipsos, iniuriam ab eis patiebantur clerici, & in conscientia non tenebantur illam sustinere, nisi fortasse propter vitandum scandalum, vel aliam similem extrinsecam rationem.

Prima Conclusio.

6 At verò si priuilegium tantùm posteriori modo, id est, per Pontifices in vi potestatis, ac præcepti iuris diuini est concessum, sic solùm habuerunt clerici in illo primo tempore ius quoddam ad illud priuilegium, non tamen ius in illo, quia non fuerunt actu exempti, donec Ecclesia illud instituit, & actu concessit. Et consequenter Principes infideles eo tempore non fuerunt priuati iurisdictione sua, quam habebant in personas clericorum, quia non legimus, Ecclesiam eo tempore vsam esse potestate, seu iure, quod habebat ad eximendos clericos, seu priuandos Principes iurisdictione in ipsos. Vnde vlteriùs fit, obligatos fuisse clericos eo tempore in conscientia parere, legibus, & sententijs Magistratuum etiam ethnicorum, quia ex vera iurisdictione procedebat. Et eadem ratione tenebantur subesse vi coactiuæ illorum, si alioqui iuste illa vterentur.

7 Inter hos autem duos modos explicandi hoc ius, licèt prior sit probabilior, tamen in vtroque optimè declaratur, morem quem in vsu talis priuilegij Ecclesia seruauit, semper fuisse rationi, ac prudenti gubernationi Ecclesiæ consentaneum. Nam licèt Pontifices eo tempore haberent potestatem, & præceptum eximendi clericos omnino à iurisdictione sæcularium Principum, nihilominus prudenter se gerebant, non vtendo illa potestate, quia Ecclesiæ non expediebat, quia sine fructu, & cum scandalo, & impedimento fidei id agere tentarent, ideoque ius diuinum non transgrediebantur, quia præceptum illud affirmatiuum erat, cuius natura est, non obligare pro semper, & ita pro illo tempore non obligauit. Et similiter licèt priuilegium fori fuerit priori modo immediatè à Christo concessum, probabilissimè, & prudentissimè explicatur, datum esse cum tali dependentia ab Ecclesiæ Pastore, & gubernatore, vt sine illius consensu, & determinatione non liceat singulis priuatis personis illo priuilegio suo arbitrio vti. Nam hæc dependentia negari non potest, vt iam dixi, tum quia ipso vsu, & experientia probatur, tum etiam quia erat valde necessaria ad pacem, & bonum

In vsu priuilegij fori prudenter semper se gessit Ecclesia.

A Ecclesiæ regimen. Vnde fit absolutè dicendum esse, non potuisse clericos eo tempore in conscientia resistere iurisdictioni Principum sæcularium, quia Ecclesia nihil in hoc declarauerat, aut statuerat, & alioqui illi Principes suo iure bona fide existimato vtebantur, licèt alioqui infideles essent. Et hic modus explicandi hoc ius est consentaneus Paulo ad Rom. 13. & sententijs Patrum præsertim Chrysostomi, & Græcorum illum exponentium.

Ex quibus colligere licet, an dicendum sit clericos 8
illo tempore fuisse exemptos iure, licèt facto non es-
sent, & (quod perinde est) fuisse subiectos iurisdi-
ctioni Principum facto non iure, ac subinde vsurpa- *Principes*
B to iudicio, non verò: vel potiùs aliquo modo fuerint *ex hoc non*
verè, & iure subiecti. Dicendum enim censeo, cle- *quam habu-*
ricos ex parte sua iure fuisse exèptos, quia iure diui- *erunt veram*
no hoc potiebantur priuilegio, vt dictum est. Et con- *iurisdictionē*
sequenter sæculares Principes ethnicos non habuis- *in clericos.*
se iurisdictionem propriam in illos; per ignorantiam verò à formali tyrannide excusari potuisse. Et nihilominus ad vitanda maiora mala, & ne per ignorantiam daretur bellum iustum ex vtraque parte, permisisse tunc Pastores Ecclesiæ, vt Ecclesiasticæ personæ Regibus, & Magistratibus temporalibus parerent: voluerunt que illos haberi vt legitimos iudices; & superiores in rebus temporalibus, & hone-
C stis: quia minus malum erat illos tolerare, & quasi eis committere vices suas, quàm vel statum Ecclesiasticum perturbare, vel clericos sine legitimis iudicibus in ipso vsu relinquere. Hoc ergo modo non obstante immunitate iure diuino concessa clericis, potuerunt illo tempore iudicari à laicis, non propriè vsurpato iudicio, sed vero, si alioqui causa erat temporalis, & legitimè tractabatur.

Addendum verò vlterius est, habuisse clericos il- 9
lo tempore aliquo modo vsum huius priuilegij in- *Clerici inter*
tra ipsam Ecclesiam respectu aliorum fidelium, ita *alios fideles*
etiam disponente Ecclesia, quantum status illius *semper priu-*
D temporis permittebat. Probatur, & declaratur in *legio fori*
hunc modum; quia semper Ecclesia prohibuit fide- *gauisi fue-*
libus, ne clericos ad laicos iudices deferrent, sed ad *runt.*
Ecclesiasticum forum. Quam legem inuenimus, non solùm à multis Concilijs post tempora Christianorum Principum coactis, & suprà in fine capitis. 3. allegatis, sed etiam à nonnullis Pontificibus antiquioribus latam, præsertim ab Alexandro, Caio, & Marcellino in suis epistolis decretalibus, quas in eodem loco citaui. Quamuis enim eo tempore infideles principes suam exercerent iurisdictionem, & ideo eorum Magistratus possent esse veri iudices in causis Clericorum modo declarato, clericusque accusa-
E tus, vel citatus coram iudice laico infideli teneretur comparere ad iussionem talis iudicis: nihilominus potuit Ecclesia episcopale forum erigere, in quo causæ clericorum, quantum fieri poterat ex parte Ecclesiæ, tractarentur. Nam ad hoc semper habuit, & potestatem à Christo datam, & illam exequendi opportunitatem. Ideoque à tempore Apostolorum vsum etiam eius habuit, vt aperte sumitur ex illo primæ ad Timot. 5. *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, vel tribus testibus*, quæ verba supponunt iam tunc fuisse Episcopale tribunal pro clericorum causis dijudicandis erectum.

F Estque attentè considerandum, Paulum non loqui 10
de solis causis Ecclesiasticis, sed de querelis contra clericos in causis criminalibus: nam in illis sit propria accusatio, & cum Paulus indefinitè, & simpliciter loquatur, non est restringenda illius sententia ad *Sententia Pa-*
crimina Ecclesiastica: de quocumque ergo crimine *trum de se-*
poterat, & debebat tunc presbyter accusari in tribu- *nioribus lo-*
nali Ecclesiastico. Nec refert, quod Chrysostom. *cū Paulo in-*
Theophylact. & Græci nomen presbyteri non ad *telligentium*
dignitatem sacerdotij, sed ad ætatem senectutis ac- *de illis reſ-*
commodant; Non, inquam, hoc obstat, tum quia *pectiuè non*
aduersatur.

etiam

etiam in illo sensu probatur ex illo loco tribunal Ecclesiasticum pro causis fidelium, & maiori ratione pro causis clericorum, non enim esse poterant peioris conditionis, si alij admittebantur, quod nunc non examinamus, quia ad causam præsentem parum refert. Tum etiam, quia probabilior est expositio Ambrosij, si eius sunt commentarij, & Hieronymi, cum eadem correctione, Anselmi, D. Thomæ, & Latinorum, qui de sacerdotibus locum illum interpretantur. Nam de illis loqxebatur Paulus in verbis proximè præcedentibus, dicens: *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt, maxime, qui laborant in verbo, & doctrina*, & statim subiungit, *Aduersus presbyterum noli accusationem recipere, &c.* Eratq; maior ratio erigendi tribunal Ecclesiasticum pro clericis, quam pro alijs senioribus laicis fidelibus, quia specialiori ratione sunt clerici sub cura, & regimine prælatorum, quàm cõmunis plebs fidelium, eo quòd specialiùs sunt ad Ecclesiastica ministeria destinati, vt dictum est. Atq; hoc modo fuit ab initio in Ecclesia aliqua distinctio fori Ecclesiastici à ciuili, non solùm pro causis Ecclesiasticis, sed etiam pro alijs, & pro criminibus saltem clericorum, vt supra etiam notatum est.

11 *Ecclesia sæpe potuit cogere fideles ad exemptionem clericorum ferendam.*

Hac ergo distinctione suppositа, optimè potuit Ecclesia illo tempore prohibere, ne clerici accusarentur, vel deferrentur ad tribunalia laicorum per alios clericos, vel fideles. Quamuis enim hoc prohibere non potuerit infidelibus, inter quos fideles tunc viuebant, quia neque erant subditi Ecclesiæ, neque illos cogere valebat, & ita poterant mouere litem, vel accusationem contra clericum coram suo iudice, quem solum vt legitimum recognoscebant: nihilominus fidelibus subditis potuit Ecclesia præcipere, vt si presbyterum accusare vellent, id facerent in tribunali Ecclesiastico, quia ità erat valde conueniens, ac necessarium ad seruandum diuinum ius, & ad honorem Christianæ religionis, & decentiam Ecclesiastici status, quam in omni tempore, quantum illius conditio, & status patiebatur, Ecclesiæ Prælati procurare debuerunt.

12 Prohibitio autem illa erat iusta illo tempore, quia licèt Principes sæculares suam exercerent iurisdictionem, fideles eorum subditi non tenebantur aliquo iure ad mouendam accusationem, vel litem coram ipsis, sed poterant quocunq; alio honesto modo suas controuersias, vel lites componere; ergo licitè, ac prudenter potuit Ecclesia præuenire, ac præcipere fidelibus, vt aduersus clericum in Ecclesiastico iudicio agerent, non in sæculari, & consequenter potuit etiam grauiter punire per Ecclesiasticas censuras transgressores huius præcepti. Eo vel maximè, quòd licèt per hoc præceptum aliquo modo subtraherentur huiusmodi causæ iudicibus laicis, eorumque iurisdictio ex parte impediretur, vel tolleretur, id totum licebat, solùm ex vi diuini priuilegij, sed etiam quia indirectè saltem cadebat sub potestatem spiritualem Ecclesiæ, propter bonum religionis, & supernaturalem finem, & vsus talis potestatis exerceri tunc potuit sine scandalo infidelium, aut impedimẽto, vel perturbatione fidei. Meritò ergo Ecclesia sicut de iure potuit, ita de facto prohibuit, ne clerici ad tribunalia sæcularia deferrentur. Quod Alexander Papa confirmat, quia si Paulus Christianorum causas ad Ecclesias deferri, & ibidem terminari præcepit (1. ad Corint. 6.) etiam potuerunt Pontifices præcipere, vt sacerdotes coram solis Episcopis accusarentur, quo argumento vsum etiam est Concilium Carthaginens. 3. ca. 9. & de illo videri potest D. Thomas super locum Pauli.

13 Sic igitur cœpit Ecclesia illo tempore eo modo, quo potuit clericos à sæcularium iudicio eripere, eodemque modo cœpit eorum immunitatem tueri, non quidem plenè, & omni ex parte, quia tunc non erat opportunum, sed vt dixi, quantum fieri poterat

A ex parte fidelium. Vnde meritò potest illa prohibitio quoddam priuilegium fori clericorum appellari, sicut prohibitio sub speciali censura, ne quis in clericum violentas manus injicere audeat, est magnum priuilegium clericorum, quod canonis appellatur. Sicut enim hæc prohibitio canonis facta est in gratiam status Ecclesiastici, ita etiam illa antiqua posita fuit, vt clerici tanquam res sacræ, & religiosæ iudicio etiam quodammodo sacro, quoad fieri posset, reseruarentur. Auctumque fuit hoc priuilegium illo tempore per aliam Ecclesiasticam legem, qua concessum est clericis, ne possent à laicis sed tantùm à cleris accusari, vel è conuerso prohibitum erat laicis ne clericos accusare auderent, de qua prohibitione multa decreta refert Gratianus, 2. q. 7. ex quibus antiquiora sunt Euaristi in ep. 2. Fabian. ep. 1. & 2. Eusebij epist. 1. & 2. hæc tamen prohibitio postea magis declarata, vel limitata est, vt in tota illa quæstione videri potest. Et hæc de illo primo tempore sufficiunt.

De secundo tempore dicendum est, ferè ab initio Imperatorum Christianorum clericos fuisse exemptos à foro sæculari, tùm iure proprio, & in re obtento per priuilegium actu concessum: tum etiam facto, nisi quando per iniuriam, vel tyrannidem impediebantur, seu cogebantur. Hæc assertio ex dictis in capite præcedenti facile probari potest. Et prima quidem pars nota est, quia hoc priuilegium ab ipso Christo immediatè collatum est. Imò quamuis esset necessaria applicatio aliqua per Pontificem, probari posset in hunc modum. Nam Ecclesia, seu Pontifices semper, quantum in ipsis fuit, voluerunt immunitatem hanc clericorum conseruare, quia ad hoc ex lege diuina tenentur, & quia ad bonum religionis est maximè conueniens: in tempore autem ethnicorum Principum propter incapacitatem illorum hoc perficere non tentarunt; ergo eo ipso, quòd Christiani Principes huic immunitati faciles se præbuerunt, Pontifices vsum illius introduxerunt, ac perfectè statuerunt. Ostendimus autem Constantinum factum Christianum immunitatem hanc vel recognouisse, & admisisse, vel si opus erat, donasse; ergo statim etiam Pastores Ecclesiæ, & donationem acceperunt, & si quid amplius ex parte sua necessarium erat, addiderunt; ergo ex tunc cœperunt clerici habere non solùm ius ad immunitatem, sed etiam priuilegium ipsum, & vsum eius actu concessum.

14 *2. Cõclusio. Cũ Imperatorib. Christianis exactione gaudere clerici cœperunt. Probatur.*

Vnde facilè persuadetur secunda pars assertionis, quia vt obseruantia huius priuilegij non solùm iure, sed etiam facto introduceretur, solus consensus, & authoritas Christianorum Principum desiderabatur, sed Constantinus, vt diximus, statim præbuit consensum, & vt executioni mandaretur authoritate sua statuit, ergo nihil obstare potuit, quo minus hæc immunitas facto, & vsu executioni mandaretur. Idemque credendum est de alijs, qui Constantino simul cum imperio in fide, & pietate successerunt, paucis exceptis, qui vel per ignorantiam, vel per ambitionem aliquid contra hanc immunitatem attentarunt. Quod satis confirmant cætera, quæ de alijs Imperatoribus vsque ad Fredericum adduximus. Et in dicto titulo de Episcopis, & clericis inueniuntur multæ leges Imperatorum, in quibus reprehenduntur Magistratus ciuiles aliquid agentes contra hanc clericorum immunitatem, & si quæ contrariæ consuetudines paulatim erant introductæ, reprobantur, ac retractantur; ergo signum est, ordinariè, & iustis iudicibus seruatam esse exemptionem etiam facto. Vnde Imperator Fredericus, qui clariùs, & generaliùs hoc confirmauit, non quasi rem nouam illam decernit, sed vt iam stabilitam *per Imperiales, & canonicas sanctiones*, ideoque in citata lege statuit, vt nullus præsumat, clericum ad sæculare iudicium adducere, *contra Imperiales* (inquit) *& canonicas sanctiones*; ergo iam ante illud factũ erat præsumptuosum,

& iniquum, ac subinde contrarium erat legitimum, & illo tempore debitum.

16 Et hinc apertè sequitur vltima assertionis pars. Nam quod ad vsum attinet, negare non possumus, in discursu illorum temporum multa esse facta, & tentata contra hanc immunitatem non solùm ab inferioribus Magistratibus, sed etiam ab ipsis Imperatoribus; inde verò non licet inferre, facta illa aut valida, aut licita fuisse, nam sæculares iudices sunt clericis infesti, vt de laicis dicitur in cap. *Laici* cum similibus. 2. q. 7. Semperque suam iurisdictionem amplificare student, vel ex humana ambitione propria, vel affectu placendi temporalibus Principibus; vel interdum quidem ex zelo iustitiæ, non tamen secundum scientiam. Quidquid ergo eo tempore contra immunitatem fiebat à quocumque Magistratu, vel Principe Christiano, non minùs erat iniquum, & tyrannicum, quam quod posterioribus temporibus vsque ad hodiernum diem factum est, vel fit. Quia post concessum, & firmatum priuilegium exemptionis, quidquid contra illud fit, est opus vsurpatæ iurisdictionis, ac potestatis, ac subinde iniustum, & tyrannicum. Atque in hoc ordine ponenda est quælibet priuilegij priùs concessi retractatio per sæcularem potestatem etiam Imperatoriam facta, quia non potest Imperator auferre quod Christus donauit, siue immediatè per se ipsum, siue per Vicarium suum. Neque refert, quòd priuilegium non fuerit datum sine consensu Imperatoris, quia non fuit ille consensus causa propria, & per se talis priuilegij, imò nec conditio ad illius valorem simpliciter necessaria, sed tantum ad vsum fuit ex benigna, & prudenti Ecclesiæ prouidentia expectata, ideoque retractatio illius consensus postea subsequuta priuilegium auferre, aut immutare non poterat. Imò licèt hoc priuilegium fuisset principaliter ab Imperatoribus datum, ab eisdem postea reuocari non potuisset, vt infrà latiùs ostendam.

17 Quapropter non obstante reuocatione à Valentiniano, vel quolibet alio facta, locum semper, & veritatem habuit hæc pars assertionis, quod omnia quę in illo tempore postea fiebant, iniqua erant, & tyrannica, quia semper subsistebat priuilegium, cui erant contraria, & quia cum ipsa reuocatio per tyrannidem facta esset, quidquid in virtute illius fiebat, eandem iniquitatem participabat. Loquor autem semper de ipso opere secundum se spectato, non de personis, quæ fortè per ignorantiam interdum excusari potuerunt. Nam certè Imperatores illo tempore non videntur propriam originem, & excellentiam huius priuilegij cognouisse, ideo enim ita de illo loquuntur, ac si esset proprium ipsorum Imperatorum donum, ab eorum nimirum arbitrio pendens, atq; ita aliqui eorum per ignorantiam humanam, & absq; hæresi cogitare potuerunt, se posse priuilegium semel datum auferre. Sed quidquid de eorum culpa, vel excusatione sit, factum ipsum in se spectatum, & iniustum, & nullius valoris, vel efficacitatis fuit. Et ideo Patres Concilij Andegauensis qui post reuocationem à Valentiniano. 3. factam in Gallia congregati fuerunt, nulla ratione legis Valentinianæ habita pro defensione immunitatis statuerunt, vt clericis contra Episcopale iudicium resilire non liceat, neq; inconsultis sacerdotibus sæcularium iudicia expetere, vt refert Baron. ann. 453. n. 53 illud enim Concilium in tomis Conciliorum non habetur. Et Concilium Chalcedonense, quod proxime post Valentinianum. 3. celebratum fuit cap. 9. similiter distinctionem fori seruandam à Clericis præcepit. Et licèt hæc Concilia solis sacerdotibus, ne ad iudices sæculares accedant, præcipere videantur, tamen Concilium Matisconense. 1. post centum, & triginta annos celebratũ c. 7. etiam iudices ab Ecclesiæ liminibus arcendos disponit, qui clericos iudicare præsumpserint, Ex quib. satis intelligitur, reuocationem illam nullius valoris, vel momenti ab Ecclesiæ Patribus reputatam esse. Quod postea etiam Imperatores, melius intellexerunt, & ideo ad pristinum statum immunitatem Ecclesiasticam restituerunt.

Ad primam ergo difficultatem in principio posi- 18
tam facilis est responsio, dicimus enim semper Ecclesiam vsam fuisse Ecclesiastico foro pro suis clericis, non tamen semper potuisse æqualiter illos eximere à sæculari, quia tempore infidelium Imperatorum, vt dixi, respectu illorum immunitatem non exercuit; quod licèt sine incommodo fieri non potuerit, patienter sustinendum fuit, quia vel sine maiori incommodo vitari non poterat, vel certè, quia simpliciter, & cum effectu executioni mandari non poterat. Post tempora verò Christianorum Imperatorum semper Ecclesia retinuit integrum priuilegium suum; expectauit autem in principio ad vsum eius consensum Christiani Imperatoris, vt res suauiùs, & efficaciùs fieret ad imitationem diuinæ sapientiæ, & prudentiæ. Et ob eandem causam Pontifices in suis decretis legum ciuilium consensum allegant. Et ob eandem rationem, licèt alioqui Imperatores in illis antiquis temporibus tergiuersarentur, & aliquid contra hanc immunitatem agerent; non statim à Pontificibus damnabantur, aut punicbantur, quia nondum satis illis erat notum, & explicatum ius, & fundamentum exemptionis, nec fortasse tunc erant illius capaces, & ideo non poterat sine maiori detrimento violenter cogi, sedmagis opportunum Patres iudicarunt, interdum aliquid dissimulare, & paulatim veritatem docere, vsumque immunitatis introducere. Nunquam verò Episcopi, vel Pontifices in causis Ecclesiasticis, vel clericorum, iudicium sæculare ab Imperatoribus postulârunt, nisi fortasse hæretici, aut schismatici; catholici autem solùm ad iudicium legitimum, & Ecclesiasticum sine impedimento obtinendum authoritatem Principum interponebant. Quod paucis verbis rectè explicatur in Concilio Mileuit cap. 19. *Placuit, vt quicumque ab Imperatore cognitionem publicorum iudiciorum petierit, honore proprio priuetur. Si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulauerit, nihil ei obsit.* Et idem declaratum est in Concilio Carthagin. 3. ca. 38. & habetur in cap. *Petimus.* 11. q. 1. & simile ibidem habetur in capite sequenti, & sumitur ex cap. *Christiana.* 11. q. 1. quod est Gelasij Papæ scribentis ad quendam Comitem, vt quosdam clericos à violentia cuiusdam Principis sæcularis tueretur, *Sublimitatis* (inquit) *tuæ tuitione vallentur.* De qua re videri etiam potest ep. 68. Augustini.

Ad alteram difficultatem, quam Barclaius mouit, 19
respondetur, licet fortasse aliqui Imperatores ita per ignorantiam, vel errorem hoc priuilegium intellexerint, vt per illud à sua suprema potestate clericos non eximi existimauerint, nihilominus ipsos decebat esse, quia Ecclesia aliter exemptionem hanc introduxit, aut declarauit. Nam in dicto cap. *Placuit*, proximè citato expresè dixit Concilium Mileuitanum, *etiam ab Imperatore* non posse peti clericorum iudicium, & in dicto cap, *Christianis*, Gelasius Papa contra Immunitatem Ecclesiasticam esse censet, *per authoritatem Regiam* contra clericum procedere, & Gregor. Papa lib. 4. ep. 31. aliàs cap. 75. ad Mauritium Imperatorem scribit, ne *terrena potestate ita dominetur clericis, vt debitam reuerentiam eis non impendat.* Vbi tacite eum reprehendit, quoniam tunc tyrannicè in sacerdotes imperare studebat, vt ipse Gregor. deplorat in Psal. 4. pœnitentiæ (vt supra retuli) moderatè autem ad illum loquitur, ne fortasse ad maiorẽ sæuitiem prouocaretur. Non omisit tamen illi proponere exemplum Constantini, qui Episcopis inter se dissidentibus respondit: *Ite, & inter vos causas discutite, quia dignum non est, vt iudicemus Deos.* Præterea in multis alijs decretis absolutè dicitur, laicos nõ habere iurisdictionem vllam in clericos, vt expresse dicitur

A
B
C
D
E
F

dicitur in Concilio Constantiens. sess. 31. & Conc. Lateranen. sub Leone X. sess. 9. & alijs, quæ suprà retulimus: manifestum autem est, laicorum nomine etiam Imperatores comprehendi, nam cum non sint clerici, laici profecto sunt.

10 Deniq; ipsi etiam Imperatores licèt de se ipsis in speciali non loquantur, sæpe tamen loquuntur generaliter, & cum tanta declaratione, vt satis eundem sensum significent. Constantinus enim in dicta L. 7. Codicis Theodosiani de Episcop. & Cleric. statuit, vt clerici in Occidente sicut in Oriente *immunitate plenißima potiantur*, & Theodosius in L. vlt. eiusdem tituli confirmans hoc priuilegium, dicit causas clericorum reseruari *Episcopali audientiæ*; eximuntur ergo ab omni laicali, etiam imperiali. Neque potest dici, hoc solum intelligi in prima instantia, per modum verò appellationis semper licuisse ad Imperatorem prouocare; hoc enim & gratis dicitur, & falsum esse probatur. Tum quia ab Episcopis nunquam fuit in Ecclesia appellatum ad Imperatorem, sed vel ad Metropolitanos, aut Patriarchas; vel tandem, ad Summum Pontificem, vt expresse in Conc. Chalcedonensi ca. 9. traditum est. A Summo autem Pontifice nunquam licuit ad aliud tribunal, siue Ecclesiasticum, siue laicum appellare, vt dixit Gelasius Papa ad Episcopos Dardaniæ, & ad Faustum, & Conc. Sardicense canon. 4. & 7. & tradunt multa alia decreta Pontificum, & Conciliorum, quæ superiori libro ad probandam supremam Pontificis authoritatem retulimus. Igitur causæ clericorum eo ipso, quod reseruatæ sunt Episcopis, intra forum Ecclesiasticum terminandæ sunt, ac subinde extra totum forum laicum, vsque ad ipsum Imperatoris tribunal cõstitutæ sunt. Et certè ratio, quam illa lex vltima reddit, hoc satis confirmat; *Fas enim* (inquit) *non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio*: nam profectò potestas Imperatoria temporalis etiam est; ergo etiam illa sub indefinita voce, quæ vniuersali æquiualet, comprehenditur. Ac denique eodem modo, indefinita, & generali loquutione idem priuilegium concessit Fredericus 2. illudque Honorius. 3. confirmauit.

Quæstio quædam præcluditur.

11 Ad facta verò Imperatorum, quæ in contrarium allegantur, vel allegari possunt, generatim respondemus, fortasse multa illorum non fuisse exercendo actum iurisdictionis, sed intercessionis, vel auxilij, quod solet brachium sæculare Ecclesiastico tribuere, vt in superiorib. de Constantino, & alijs diximus. Vel certè interdum excusari possunt, quia non propria authoritate, sed petentib. ipsis Prælatis, & quasi arbitri inter illos iudicabãt, vel potius diffidia componebant; denique si aliqua ex his, vel alijs rationibus excusari non possunt, respondendum est, excessisse, iurisdictionem vsurpando, vt de Mauritio dixit Gregorius paulo antea citatus, & de Valentiniano. 3. iam diximus, & late ostendit Baronius ann. 451. & 453. Ad nouissimum autem exemplum Caroli V. quem scimus fuisse insignem Ecclesiasticæ libertatis protectorem, & obseruatorem, respondemus. Carolum potuisse ad se vocare Hermannum Archiepiscopum, non vt Archiepiscopum, sed vt Principem imperij. Item potuisse vocare non vt iudicem, sed vt protectorem cleri, & Academiæ Colonien sis. Nam Surius, qui factum illud refert anno 1545. in commentario, simul dicit; *Huius anni mense Iunio Cæsar clerum, & Academiam Colonien sem in suum patrocinium recepit.* Vt ergo afflictis patrocinaretur, potuit vocare Episcopum, vt veritatem agnosceret, & Ecclesiæ nocumenta vitaret, donec Papa causam ad se traheret; quod paulo post fecit, in sequenti mense Iulio Hermannum citando, quem postea etiam Pontifex depossuit, cooperante Carolo, vt idem author in initio ann. 1547. refert. Deniq; ad verba Iustiniani in illis authenticis nihil inuenio à Glossis, vel Iurisperitis dictum; mihi autem videtur ex-

Ad factum Caroli V.

A cessisse in his legibus circa res Ecclesiasticas condendis, & non satis perspectam habuisse vim, & originem Ecclesiasticæ immunitatis, & ideo multa per errorem, & sine legitima potestate circa illam disposuisse, vt iam suprà tactum est, & in sequentibus iterum, atque iterum occurret.

CAPVT XIV.

QVALIS SIT CLERICORVM EXemptio in causis ciuilibus.

B HActenus solùm ostendimus, immunitatem clericorum ipsis conuenire, seu priuilegium fori illis esse concessum: simulque originem huius priuilegij explicauimus; & rationem eius reddendo, efficientem, & finalem causam eiusdem priuilegij declarauimus: consequenter igitur sequitur, vt quid sit hoc priuilegium explicemus; quod fieri non potest, nisi inquirendo, quid per huiusmodi priuilegium conferatur; nam tota ratio, & essentia cuiuscunque priuilegij in iure, seu potestate, quæ per illud datur secundum suam generalem rationem consistit: speciem autem sumit ex materia, in qua vel circa quam versatur. Atque ita etiam fiet, vt quidquid de causa veluti materiali huius priuilegij desiderari potest, simul explicetur. Nã de formali quidem nihil est, quod dicamus, quia ipsa libertas, seu immunitas est quasi moralis, & interna forma, in qua priuilegium ipsum consistit; forma autem externa non est, nisi concessio ipsa, quæ per verba Scripturæ, aut canonum fit, quæ verba in his, quæ hactenus diximus, & in discursu totius libri sæpius tractantur, & expenduntur. Ex materia igitur immunitatis illius cognitio maximè pendet, hęc autem materia in duo membra distingui potest, in vno continentur res, actiones, vel passiones, aut munera, aliaq; similia, à quibus datur exemptio: sub alio personæ, quibus hæc exemptio datur, comprehenduntur. De his igitur sigillatim dicendum est, atq; ita non solum essentiam, & causas, sed simul etiam effectus huius priuilegij explicabimus.

1 *Causa formalis priuilegij fori.*

Materia priuilegij fori, duplex.

D

Prima ergo, & (vt sic dicam) antiquissima materia huius priuilegij est forum ciuile, seu tribunal sæculare, in quo temporales lites ad externa bona fortunæ pertinentes tractantur. Certum ergo est, clericos exemptos esse à sæculari foro in causis ciuilib. Probatur primo ex iure canonico ca. 2. de Foro compet. vbi in generali sermo est, sicut etiam 11. q. 1. ca. 1. & 3. cum multis alijs, similiter indefinitè præcipitur, vt clerici ad sæcularia iudicia non pertrahantur, & in cap. *Nullus clericus*, additur distributio, *Omne negotium clericorum in Episcopi sui, &c.* & in cap. *Nullus Episcopus*, in specie dicitur, *Neque pro ciuili causa*, & in cap. *Placuit, quicunq; ab Imperatore cognitionem publicorum iudiciorum petierit.* & in cap. *Placuit.* 2. ibi, *Vel ciuilis causa fuerit commota*, & similia multa in ea quæstione leguntur. Et in cap. *Sæculares*, de Foro competent. in sexto dicitur, censura Ecclesiastica esse compescendos iudices sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad soluenda debita, audita, & iudicata causa, compellere præsumunt, quæ causa sine dubio ciuilis est.

2 *1. Conclusio. Clerici in causis ciuilibus à iudicio sæculari exempti sunt. Probatur.*

E

Idem præterea certum, & constans est in iure ciuili antiquorum Imperatorum, qui de toto foro indefinitè loquũtur. Et licet Imperator Leo cum socijs in Leg. *Omnes.* Codice de Episcopis, & Clericis in certis casibus, & cum quibusdam conditionibus cõcesserit, vt Clerici conueniri possent in foro sæculari, etiam in ciuilibus causis, postea hoc reuocatum est, tum per Iustinianum, qui de causis ciuilibus absolutè loquutus est in Authentico, *Vt Clerici apud proprios Episcopos, & cætera*, collat. 6. alias nouella. 83. tum maximè per Fridericum, qui in sua constitutione de vtrisque causis ciuilibus, & criminalibus in

3

F

specie loquutus est. Et notauit Gloss. in Authentica statuimus, verb. *Vel ciuili*, C. de Episcop. & Cleric.

Ratione idē fundetur. Et ita hæc pars indubitata est inter catholicos Doctores. Ratio verò, seu congruentia est, quia in hac materia eadem, vel maior necessitas huius exemptionis est, quæ in quauis alia inuenitur, tum quia lites ciuiles frequentiores esse solent, tum etiam quia maius erat periculum, ne circa hæc temporalia sæculares iudices minus fauorabiles clericis essent, vel saltem in exhibenda illis iustitia, in iudicio essent remissi, vt dicitur in cap. *Cum sit generale*, de Foro compet.

4 Huic verò regulæ addenda est declaratio, nimirū,

Prædicta exemptiõe fori quando sunt rei gaudent clerici. clericos esse exemptos in causis ciuilibus, quando sunt rei, seu ad litem prouocati; nam si sint actores, sequi debent forum rei, vt statuit Pelagius Papa relatus in ca. *Experientia*, & c. *Si quisquam*. 11. allegans generalem regulam vtriusq; iuris, quod actor sequitur forum rei, cap. *Neminem*, cum multis alijs. 3. q. 6. l. vlt. C. *Vbi in rem actio*, & in l. 2. & in l. 4. de Iurisdictio. & vbi quis conuenire debeat in Codice Theodosiano. Vnde regula hæc non solum procedit. quando clericus prouocat clericum diuersi Episcopatus, seu distincti fori Ecclesiastici, sed etiam quando clericus à laico postulat, tunc enim non potest vti priuilegio fori, quia sequi debet forum rei.

5 Vt autem huius declarationis rationem reddamus, quæri potest, an Ecclesia ita limitauerit hoc

An Ecclesia potuerit priuilegiũ fori absque limitatione concedere. priuilegium, quia non potuerit maius concedere, vel solum quia noluit. Videtur enim illud prius asserendum. nam si Ecclesia potuisset clericos abstrahere à iudicijs sæcularibus, etiam quando sunt actores litium ciuilium, profectò fecisset: nam eadem necessitas tunc intercedit, quia non minora nocumenta possunt clericis prouenire ex communicatione cum laicis in sæcularibus iudicijs, siue actores, siue rei existant, idemque periculum erit perdendi causas, & infestos habendi iudices sæculares iuxta regulam c. 2. de Immunit. Eccles. in 6. ergo si Ecclesia id non

Prima ratio pro negatiua parte.

2. Cõfirmatio fecit, ideo est, quia non potuit. Et confirmatur, quia Pontifex non potest vsurpare iurisdictionem laicorum iuxta cap. *Nouit*, de Iudicijs, & alia suprà tractata, sed si clericum etiam actorem eximeret à sæculari iudicio, vsurparet iurisdictionem laicorum; ergo non potest id facere. Probatur minor, primò, quia iudices laici priuarentur iurisdictione, quæ ad eos pertinebat. Secundò & melius, quia reus cogeretur comparere coram non suo iudice, nimirum, Ecclesiastico, & ita Ecclesia vsurparet iurisdictionem in laicum

6 In quo est notanda differentia inter actorem, &

2. Cõfirmatio reum: nam actor non coactus venit ad iudicium, sed voluntariè mouet illud, & ideo quando agit contra clericum, mirum non est, quod ad iudicem per se nõ suum, sed clerici ire compellatur, quia melioris cõditionis esse debet is, qui cogitur, quam qui cogit, at verò quando laicus est reus, cogitur comparere, & ideo compelli non potest, nisi coram directo suo iudice, alias vsurparetur iurisdictio in ipsum; ergo eadem ratione non potuit concedi clerico actori priuilegium trahendi laicum ad suum forum, seu (quod idem est) extra forum illius. Et confirmatur ex Bart. in dict. l. 2. de Iurisdict. omnium iudic. vbi quærit, an possit fieri statutum, vt reus sequatur forum actoris, & respondet, pro subditis posse Principem huiusmodi facere statuta, non autem posse statuere, vt homo non suæ iurisdictionis teneatur sequi forum actoris, quia nemo potest statuere de his, quæ suæ iurisdict. non sunt. Quæ decisio Bartoli, & ratio eius æquè videtur in præsenti procedere, quia laicus in tempora-

3. Cõfirmatio lib. Eccles. iurisdict. non subest. Potestq; ampliùs cõfirmari, nam si fidelis litem ciuilem moueret contra infidelem Ecclesiæ non subditũ, non posset Ecclesia cogere reum infidelem ad sequendum forum actoris fidelis; ergo idem erit in præsenti casu.

A Nihilominùs dicendum est, non deesse in Ecclesia potestatem ad eximendum clericum etiam actorem à foro sęculari, licet ex suaui prouidentia, & prudenti gubernatione id non fecerit, propter quandam naturalem æquitatem, cui consentaneum est, vt is, qui impetitur, & inuitus trahitur ad iudicium, extra forum suum ire non cogatur, ne duplex incommodum sustineat. Nam propter hanc etiam æquitatem, *Cum sunt partium iura obscura, reo fauendum est potiùs quàm actori*, vt habet regula. 11. iuris in sexto. Prior pars assertionis sumi potest ex Glossa in cap. *Si clericus*, verb. *De consuetudine*, & in capite *Ex transmissa*, in principio, de Foro competent. quatenus dicit,

7 Conclusio 2. Ecclesia potuit clericũ etiam absque eximere.

B non solùm posse, Papam, sed etiam frequenter concedere rescripta, & priuilegia clericis, vt in quacunque causa, etiam agendo contra laicum, ad suum forum illum venire compellant, quam sententiam sequitur ibi Panormitan. & refert Archidiac. & Speculatorem. Hostiensis verò in Summa tit. de Foro compet. §. *Quibus ex causis*, vers. *Ex præmissis*, dicit, in curia Romana indistinctè clericum contra laicum impetrare huiusmodi fauorem.

Ex hac ergo consuetudine, & sententia communi

8 Probatur assertio. probatur assertio, quia priuilegium fauorabile, quod Papa potest concedere multis clericis vt singulis, *assertio.*

C potest etiam omnibus clericis in fauorem totius communitatis, & status clericalis concedere, si iudicet expedire; sed sæpe concedit multis personis Ecclesiasticis, vt etiam agendo sint exempti à foro sæculari; ergo potuit etiam idem concedere toti statui clericali. Maior probatur primò, quia eadem est ratio totius, & partis, quod ad potestatem attinet, si causa proportionata subsit. Secundo, quia illa consuetudo sufficienter ostendit, huiusmodi priuilegium ex suo genere, & forma non esse intrinsecè malum; nec contra naturalem iustitiam; ergo nec respectu totius cleri potest talis iniquitas probabili ratione ostendi; ergo non est, cur tale priuilegium excedat Pontificiam potestatem. Quæ ratio absolutè pro-

D bat assertionem, & ostendit, consuetudinem illam concedendi talia priuilegia personis aliquibus, esse iustam, & rationi consentaneam, quod magis respondendo ad argumenta comprobabitur. Accedit, quod cum ostensum sit, priuilegium hoc exemptionis esse immediatè concessum iure diuino, difficilius videtur ad explicandum, quomodo potuerit Ecclesia hanc limitationem facere, quàm vtrum possit illam non facere: quia stando in iure diuino, priuilegium absolutum omnino est, & sine limitatione concessum; ergo potuisset Ecclesia ita illud exequi, & plenum illius vsum conseruare. Quia verò, vt di-

E ximus sæpe; hoc priuilegium ita fuit datum à Christo, vt dispositioni Pontificum quoad moderationem, extensionem, vel particularem mutationem commissum sit, ideo potuit Ecclesia prædicto modo illud moderari, & ex parte cedere iuri suo, propter congruentes rationes, quæ soluendo argumenta magis explicabuntur, & altera pars assertionis confirmabitur.

Ad primam ergo coniecturam respondemus negando consequentiam, non enim omnia, quæ fieri possunt, vel licent, expediunt. Vnde licèt verum sit,

9 Soluuntur rationes in contrarium facta.

non deesse congruentias, ob quas posset Ecclesia hûc fauorem concedere clero; nihilominus voluerunt

F Pontifices conformari legibus ciuilibus in hac regula, vt actor sequatur forum rei, vt dicitur in dicto cap. *Si quisquam*, 11. q. 1. tum quia hoc est valde consentaneum æquitati naturali, vt dixi, tum etiam quia huiusmodi actiones, & motiones litium pro rebus temporalibus, ordinariè procedunt ex nimio affectu diuitiarum, qui personas Ecclesiasticas non decet, ideoque regulariter loquendo, vitare debent clerici huiusmodi actiones, præsertim pro suis sęcularibus bonis, nisi euidens, & grauis ratio cogat. Ne igitur Ecclesia huiusmodi lites fouere videretur, noluit

cleri-

clericos eximere agendo, sed tantum respondendo, quia tunc solùm se defendunt, quod & iustum, & honestum est. Potuit etiam id facere Ecclesia, ne iudicia Ecclesiastica tot litibus laicorum grauarentur, & ne laicos etiam offenderet, & forensem iurisdictionem nimium affectare videretur. Ideoq; quando priuatæ exceptiones, vel fauores ab illa regula fiunt per specialia priuilegia, non propter solas generales rationes decentiæ, aut commodi clericalis status, sed adiunctis alijs specialibus iuxta varias occurrentes circumstantias conceduntur.

10 *Ad Barto.* Ad secundam confirmationem, & ad Bartoli doctrinam respondetur, posse in contrarium retorqueri: nam si Princeps potest inter subditos statuere, vel priuilegium dare, vt reus sequatur forum actoris, etiam Papa poterit idem priuilegium dare clericis respectu aliorum fidelium; quia omnes sunt eius subditi. Neq; obstat, quòd fideles laici non sint directè subditi Papæ in temporalibus: nam satis est, quòd indirectè subdantur: nam sicut spiritualis potestas sufficit ad disponendum circa temporalia, quando spiritualis ratio, & finis id requirit, quod est indirectè disponere, ita eadem potestas sufficit ad concedendum illud priuilegium inter directè subditos in spiritualibus, & indirectè in temporalibus. Quam ob causam quando Papa concedit huiusmodi specialia priuilegia, non vsurpat iurisdictionem sæcularis iudicis, sed potestate sua superiori illam alteri committit. Neq; etiam reus cogitur comparere coram iudice non suo, sed ab vno iudice in alium causa transfertur per eum, qui legitimam potestatē habet. Quod ergo in particularib. priuilegijs dicimus, in generali etiam dicendum esset, si de absoluta potestate Pontificis concederetur. Vnde vltimam ampliationem addo, potestatem hanc Pontificiam de se etiā extendi ad concedendum hoc priuilegium respectu infideliū, si ad bonū fidei, & vitanda moralia pericula necessarium esset, vt in superiorib. dictum est; vsus tamen huius potestatis in effectu non ita potest executioni mandari circa infideles, quia non possunt spiritualiter cogi sicut fideles, & ad cogendos illos corporaliter sæpe vires non suppetunt.

11 *An prædicta priuilegij fori exceptionem admittant.* Interrogari autem potest, an prædicta regula, eius ve declaratio aliquam exceptionem patiatur. Ad quod breuiter affirmando respondemus. Aduertendū est autem exceptionem hanc assignari posse, vel ex parte personarum, quibus hoc priuilegium conceditur, vel ex parte causarum, seu materiarum, de quib. tractatur. Nuncupo priorem modum excipiendi omittimus; nam infra agendum est de personis, ibique dicemus quænam simpliciter hoc priuilegio gaudeant, quæ verò cum aliqua limitatione. In posteriori ergo genere prima exceptio ab aliquibus assignatur de causis realibus, id est, fundatis in re merè temporali, non interueniente actione aliqua personali ipsius clerici, in qua lis, seu causa fundetur: quia tunc persona non est obligata, nec trahitur ad iudicium, sed res quæ merè temporalis est. Priuilegium autem fori solùm eximit personas clericorum, ne conueniri possint ciuiliter. Hæc autem exceptio vera non est, & multum derogat priuilegio clericorum, & ideo communiter reijcitur, vt bene notauit Abbas in c. *Qualiter*, de Iudicij. n. 8. & in cap. *Ecclesia*, de Constitut. n. 11. & vsu ipso satis improbatur. Ratio est, quia generalis regula iurium eximit clericos, ne conueniri possint ciuiliter in iudicio sæculari: at verò causa realis ciuilis est, nec potest tractari sine citatione personæ, ad quam bona pertinent; ego si talis causa pertinet ad iudicem laicum, etiam si Dominus bonorum sit clericus, necessarium erit, clericum ipsum conueniri ciuiliter coram iudice sæculari: hæc autem est exceptio à regula, quæ nullo iure probatur; ergo admitteuda non est. Præsertim quia est parum consentanea alijs iuribus, vt in Panor. supra, Felin. & alijs videri potest.

Prima exceptio ab aliquibus assignata.

Reijcitur prædicta exceptio.

A Alia igitur exceptio vera, & communis est de feudis, seu bonis feudalib. nam in causis, quæ ad hæc bona pertinent, licet clericus sit reus, & conueniatur à laico, coram Dño feudi conueniri debet, etiamsi laicus sit, cuius ratio non est alia, nisi quia in fauorem feudorum ita in iure dispositum est, c. *Ex transmissa*, & c. *Verum*, de Foro compet. vbi latè expositores. Vel certè ratio etiam reddi potest, quia res, quæ in feudum dantur, à principio sub hoc onere, vel conditione conferuntur, & ideo seruanda est. 12 *2. exceptio.*

Vnde alia est generalis exceptio, quæ sub his verbis interdum per leges ciuiles traditur, scilicet, vt clericus conueniendus sit in causa ciuili coram Ec- 13 *3 exceptio.*
B clesiastico iudice, *nisi bona, super quibus lis mouetur, Regalia sint*, nam sub hac conditione data censentur. Idemq; est quoties bona à principio data fuerūt clericis, vel ecclesiæ sub ea conditione, vt semper sub eodem foro maneant, sub quo tunc existebant. Nam talis conditio non est per se mala, & voluntarie potuit apponi, & ideo seruāda est, iuxta regulam communiter à Iurisperitis receptam, quando aliqua bona dantur Ecclesiæ sub aliqua conditione, onere, aut pacto non illicito, seruandum esse, quia seruare pactum est de iure naturæ, cui ius canonicum non contradicit; imò expresse, & in propria specie id confirmat c. *Verum*, de Conditionib. appositis, vbi id notant Panorm. & alij Doctores, Ioan. Andr. & Hostiens. in
C cap. *Verum*, de Foro compet. Felin. in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, de Constit. & Ancharran. cons. 223. Præter has exceptiones solent addi aliæ, quas attigit Nauar. in cap. *Nouit*, de Iudicijs, notabil. 6. ex Stephano Aufrerio, decis. 116. & 167. & ex Guillielmo Benedicto in repetition. c. *Rainutius*, de Testam. illas tamen omitto, quia incertæ sunt, & quia materia hæc non tam ad Theologos, quam ad Iurisperitos pertinet. Vnde alias exceptiones late prosequitur Gregor. Lopez in l. 57. tit. 6. parit. 1.

Circa declarationem autem assertionis notari pos- 14
D sunt exceptiones aliæ. Vna est, si bona, de quibus lis *4. exceptio.*
mouetur sint Ecclesiæ, vel clerici, nam tunc clericus potest trahere laicum coram Ecclesiastico iudice. Ita tenet Panorm. in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*. n. 22. vbi dicit esse casum singularem in c. *Si clericus laicum*, de Foro compet. vbi idem ipse docet, ita interpretans illum textum. Addit etiam ita seruari in curia, vt refert (inquit) & sequitur Collector in ca. *Qualiter*, & in c. *Clerici*, de Iudicijs. In contrariam tamē sententiā inclinat Felin. in dict. c. *Si clericus laicum*. nu. 4. Fundamentum eius est, quia hoc non statuitur directè in dict. ca. *Si clericus*, vt constat ex verbis eius, *Si clericus laicum de rebus suis, vel Ecclesiæ impetierit, &*
E *laicus res ipsas non Ecclesiæ, aut clerici, sed suas proprias asseuerat, debet de rigore iuris ad forensem iudicē trahi.* In quibus verbis solum disponitur, quando laicus negat res esse Ecclesiæ, vel clerici, non posse trahi ad iudicium Ecclesiasticum. Hinc autem non potest inferri, quando id non negat, posse trahi, nisi ad summum à contrario sensu. Quod argumentum non est efficax, quando talis sensus est contra alias generales regulas iuris, prout est in præsenti, quod reus non est trahendus ad forum actoris, sed ad suum. Et hæc sententia mihi magis placet.

Potest autem notari aliqua differentia inter bona 15
Ecclesiæ, & bona clericorum. Nam si certò constet, *Qui bona*
F bona Ecclesiæ rapta esse, vel minutè ablata, vel reten- *Ecclesiæ iniustè rapit,*
ta, tunc ratione sacrilegij potest conueniri laicus co- *coram iudice*
ram Ecclesiastico iudice, secus verò erit, si non con- *Ecclesiastico*
stet, iniustè detineri, & laicus contendat aliquo iu- *conueniri debet.*
sto titulo se illa possidere. Et hoc tantum probatur in dict. cap. & in c. *Similiter*. 16. quæst. 1. sumpto ex Concilio 6. Roman. sub Symmacho. Bona autem clericorum non sunt ita sacra, sicut res Ecclesiæ, & ideo accipi possunt etiam iniustè sine sacrilegio, ideoque licèt de illis propter hanc causam lis moueatur, coram laico iudice conuenien dus erit reus lai-

cus, nisi allegetur vis aliqua clerico facta, quæ sacrilegium inuoluat, vt sensit Innocent. in cap. *Cum sit* de Foro compet. Obijci autem potest quia in dicta Synodo sub Symmacho res Episcoporum æquiparantur in hoc bonis Ecclesiæ. Sed considerandæ est ratio Pontificis, *Quia Episcoporum res non dubitantur esse Ecclesiæ.* Et ita intelligo textum illum secundum consuetudinem illius temporis, in quo dominium bonorum Episcopi apud Ecclesiam esse censebatur, nunc autem satis nota est distinctio dominiorum, & ideo alia est ratio.

Obiectio quædam refellitur.

16 *5. exceptio.* Alia exceptio est, quod ex consuetudine interdum actor Ecclesiasticus potest reum trahere ad forum suum, & ita fit exceptio in hac materia circa illam regulam, quòd actor sequitur forum rei, nisi vbi aliud sit consuetudine introductum. Hæc exceptio colligi solet ex capite, *Si Clericus*, de Foro competenti, vbi postquam Alexander tertius, dixit, actorem de rigore iuris debere sequi forum rei, addit, *Licet in plerisque partibus aliter de consuetudine habeatur.* Quæ verba duobus modis intelligi possunt, primò, vt prædicta regula, & rigor iuris seruetur, etiam si contraria consuetudo allegetur, quia est contra omnia iura, vt ibi ait Glossa. Secundò vt regula illa, & rigor iuris seruetur, nisi vbi fuerit illi per consuetudinem derogatum. Et hic posterior est legitimus sensus, vt ibi Hostiensis, Ioannes Andreas, Panormitanus, & alij expositores agnoscunt, & in illo fundant prædictam exceptionem. Quam apertè iudicant ipsa verba Pontificis, quæ in ipso Concilio Lateranensi sub Alexandro. 3. p. octaua cap. septimo, sic leguntur, *Licet in plerisque partibus aliter de consuetudine fiat*, quod factum non reprobat, sed potius tacitè approbat. Et ratio est, quia illa consuetudo non est mala, nec contra ius naturale, vt ex proximè dictis constat, ergo ex hac parte potest derogare iuri positiuo; aliunde verò est etiam fauorabilis religioni, & ideo merito approbanda, & seruanda est.

17 *Nulla cõsuetudine potest clericus reus ad fæculare iudicũ trahi* In quo est notanda differentia inter hanc consuetudinem, & aliam (si alicubi introducatur) vt actor laicus ad suum forum trahat clericum pronocatum, nam licet prior valida sit, hæc est inualida, quia prior fauet Ecclesiasticæ libertati, illamq; auget, posterior verò est immunitati contraria, multumque diuino iuri derogat. Ideoque in iure esse reprobatam & ijdem interpretes in eodem c. notant, & infra suo loco latiùs dicemus. Dicit tamen Glossa in d. cap. *si clericus*, hanc consuetudinem per occasionem negligentiæ iudicum sæcularium introductam esse, quia clericis iustitiam non exhibebant argumento c. *Cum sit generale*, & c. *Licet*, & ca. *Ex tenore* de Foro cõpet. Verumtamen hoc ad factum pertinet, potest enim illa consuetudo ex pietate laicorum, vel ex quadam incogitantia introduci. Et quacunq; occasione introducatur, exceptio locum habet, quia & textus ille simpliciter loquitur, & ratio eadem procedit. Similisq; exceptio esse potest, vt actor sequatur forum rei, nisi aliud ei sit speciali priuilegio legitimè concessum, quæ satis constat ex dictis, nihilq; addere oportet, nisi quod tenor priuilegij iuxta communes priuilegiorum regulas obseruetur.

18 *6. exceptio.* Hinc verò addi potest alia exceptio, nimirum, vt etiam secluſa consuetudine, vel priuilegio, si iudex laicus negligat iustitiam exhibere clerico actori possit laicus coram Ecclesiastico iudice conueniri. Ita videtur sentire Glossa in cap. *Cum sit generale*, verb. *Remissi*, & in cap. *Licet*, verb. *Vacante*, de Foro competen. quam ibi approbant Doctores, & in illis textibus fundant, quamuis ex eis non satis colligatur, nisi in casibus in illis expressis, videlicet, in quibusdam causis criminalibus, de quibus in capite sequenti dicendum est, vel quando imperium, aut Magistratus ita vacat, vt clerici iudicem sæcularem non inueniant, ad quem recurrant, vt iustitiam ipsis exhibeat. Nihilominus tamen ex paritate rationis admittenda est exceptio. Intelligenda tamen videtur hoc modo, vt quando laicus iudex est negligens, recurrere possit clericus ad iudicem Ecclesiasticum, qui potest laicum per censuras compellere, vt suo munere iuste vtatur, argumento cap. *Administratores*, 23. quæstio quinta quia illa est grauis culpa, & clericis iniurioſa, & ideo ad iudicem Ecclesiasticum pertinet remedium adhibere. Vnde si iudex laicus contumax fuerit, meritò potest iudex Ecclesiasticus causam ad se aduocare, partim in pœnam iudicis negligentis, & contumacis, partim in clerici defensionem. Et ita etiam facilè possunt intelligi aliæ exceptiones, quas ponit Glossa in dicto cap. *Licet*, de quibus ibi etiam expositores videri possunt.

Declaratur exceptio.

Queri autem potest, an hæc exceptio de negligentia iudicis laici similiter habeat locum, quando iudex Ecclesiasticus est negligens respectu actoris laici rem suam à clerico postulantis. Videtur enim esse admittenda, quia Iustinianus in Authentica de Sanctiſſimis Episcopis, collatio. 9. alias nouel. 123. cap 21. §. *Siquis autem pecuniaria*, statuit, in casu negligentiæ iudicis Ecclesiastici licitum esse actori laico, coram sæculari iudice clericum vocare. Et in nouell. 83. seu Authent. *Vt clerici apud proprios Episcopos. &cæt.* hoc ad alios casus extendit. Et refertur in cap. *Siquis cum Clerico*. 11. quæst. 1. Et fauet cap. *Filijs*. 16. quæst. 7. vbi Glossa, verb. *Regis*, idem sentit, Verumtamen in hoc nulla ratio habenda est decisionum Iustiniani, qui non potuit exemptionem clericorum limitare, quia materia hæc non iuris ciuilis est, sed canonici, vt infra generalius dicam.

19 *An propter Ecclesiasticũ iudicis negligentiam possit clericus rem suam ad fæculare iudicũ trahi. Ratio dubitandi.*

Dicendum ergo est, non licere propter negligentiam iudicis Ecclesiastici clericum conueniri coram sæcularj. Ita statuit Innocentius Tertius in c. *Qualiter, & quando*. de Iudicijs, Vbi Prælatis præcepit, vt laicis de clericis conquerentibus plenam faciant iustitiam exhibere, ne hac occasione clerici à laicis trahantur ad iudicium sæculare, *quod* (inquit) *omnino fieri prohibemus.* Quæ prohibitio ita intelligenda est, vt non solùm vetet simpliciter, Clericos trahi ad sæcularia iudicia, quod iam antea prohibitum erat; sed etiam prohibeat, vt propter illam causam, vel occasionem, aut sub illo colore non fiat. Et ita intellexerunt textum illum Glossa ibi, & optimè Panormitan. numero septimo, & idem tenet Glossa in ca. *Placuit*. 1. 11. quæst. prima verbo. *Petierit*, & Archidiacon. in dicto capite, *Filijs*. Ratio autem est, quia iudex sæcularis nullam habet iurisdictionem in clericum reum, nec Imperator illam dare potest, aut Rex; nec propter negligentiam iudicis Ecclesiastici ipso facto illam acquirit ex vi iuris naturalis, diuini, aut canonici; ergo non potest sine iurisdictione talem causam suscipere. Deinde iudex laicus est inferior Ecclesiastico; inferior autem non potest supplere defectum superioris. Ergo.

Resoluitur dubium.

Et hinc facile colligitur differentia inter iudices sæcularem, & Ecclesiasticum; nam sæcularis est inferior, & ideò negligentia eius potest suppleri per Ecclesiasticum, vtiq; in virtute iuris canonici, quod est supra ciuile, & ita statuit per potestatem, quam Pontifex habet ad corrigendos defectus iudicum sæcularium. Iudex autem Ecclesiasticus est superior, & ideò sæcularis non potest per se, & (vt ita dicam) virtute sua eius defectum supplere, neque etiam virtute iuris ciuilis, quod etiam potestatem in clericum non habet, nec directam, nec indirectam. Neque ius canonicum talem potestatem ei dare voluit, neque id permittere propter decentiam clericorum, & Prælatorum Ecclesiæ. In illo ergo casu remedium postulandum est à superiori Prælato. Quod autem in dicto cap. *Filijs*, dicitur; si Prælatus sit negligens implorari posse Regem, vel intelligitur tantùm in speciali casu, quando bona Ecclesiæ per clericos dila-

21 *Cur negligentia iudicis sæcularis possit suppleri per ecclesiasticum, non verò è conuerso.*

Exponuntur iura in contrarium adducta.

dilapidantur, in quo loquitur ille textus: vel intelligitur, adiri posse Regem nó vt iudicem, sed vt Protectorem, & defensorem, vt authoritate sua moneat Prælatum, & sua potentia res Ecclesiæ interim tueatur, ac defendat, donec Summus Pontifex consuli possit. Quomodo intelligenda, & concilianda sunt multa iura, quæ à Gratiano referuntur 11.q.1.cap. *Si quis clericus*, cap. *Placuit*, cap. *Christianis*, & 23. q. 3. cap. *Ab Imperatoribus*, & 9. q. 5. cap. *Regum*, & cap. *Administratores*. De quibus infrà cap. vlt. aliquid addemus.

CAPVT XV.

QVALIS SIT EXEMPTIO CLERICORUM in causis criminalibus.

1 *Assertio.* REgula generalis est, personas Ecclesiasticas gaudere immunitate, seu priuilegio fori in causis criminalibus, *non solum in criminibus Ecclesiasticis, sed etiam in ciuilibus*, vt verbis vtamur Iustiniani ita distinguentis loco statim citando. Assertio hæc certissima est, & ab omnibus scriptoribus Catholicis recepta; & negari non potest, nisi negãdo aliquod principium fidei. Tam euidenter enim traditur in iure canonico, vt nemo, qui magna ignorantia nó laboret, negare possit assertionem, nisi qui negauerit, esse in Ecclesia potestatem ad huiusmodi exemptionem vel tuendam, vel concedendam; quod repugnat principijs fidei, vt ostendimus. Decreta autem Canonica de hac re antiqua habentur. 11. quæ. 1. Ex quibus aliqua indefinitè prohibent, ne clerici ad iudicium sæculare deferantur, vt cap. 1. cap. *Placuit*, cum similibus; quę vt suprà dixi, omnem causam tam ciuilem, quàm criminalem comprehẽdunt; alia prohibent laicis accusare, distringere, comprehendere, vel punire clericum, vt ca. 2. cap. *Nullus clericus* cap. *Si quis clericos* cum alijs. Illa autem verba propria sunt criminalium causarum. Alia loquuntur expresse & in specie de criminali causa cap. *Nullus Episcopus*, cap. *Clericus nullus*, cap. *Placuit*. 2. ex Concilio Carthaginensi cap. 9. & cap. *Clericum* 3 ex Concilio Agathensi cap. 3.

Iura canonica exẽptionẽ à foro seculari absolute cõcedentia.

2. *Lectiones diuersæ cap. Clericum 3.* In quo canone aduertendum est, aliter legi in ipso Concilio, quàm à Gratiano citetur, Gratianus enim in casu accusandi ait, *Clericum nullus præsumat apud sæcularem iudicem pulsare, &c.* In Concilio verò legitur in casu nominandi, *clericus non præsumat apud sæcularem iudicem quenquam pulsare*. Et eodem modo legitur simile decretum in epist. 2. Marcellini Papæ, vnde videtur Concilium illud sumpsisse. Illæ autem lectiones sensus multum diuersos reddunt, vt constat. Vnde verisimile est, vel Gratianos codices fuisse corruptos, vel ipsum Gratianum vsum fuisse aliquo Concilio male conscripto, quia nec præsumi potest, Gratianum ex industria verba Concilij mutasse, neque ita probabile est in epistola Pontificis, & in Concilio mendum accidisse. Sed hoc nihil obstat, tum quia alia decreta sufficiunt ad confirmandam veritatem, tum etiam, quia ibidem adduntur alia verba, quæ eandem exemptionem significant. Nam Marcellinus, postquam dixit, *clericus nullum præsumat ad sæculare iudicium attrahere*, addit, *nec laico quemlibet clericum liceat accusare*; quod si absolutè, vt sonat, intelligatur, maius certè priuilegium clericorum est: si verò referatur ad iudicium sæculare tantùm, vt est probabile iuxta verba proximè præcedentia, ibi continetur exemptio clerici in criminali causa à iudicio sæculari. Nam ideò accusari non potest, quia iudicari non potest. Quòd si à laico accusari non debet, multò minùs à clerico, quod ibi tanquã notum supponitur.

3. Concilium etiam postquam prohibuit clericum, ne alium pulset, addit, *Sed si pulsatus fuerit* (vtique clericus, de illo enim sermonem prosequitur) *non respondeat, nec proponat, neque audeat criminale negotiũ in iudicio sæculari præponere*, vel potiùs *proponere*, vt legit Gratianus. Iuxta quem sensum vtrumq; in illo canone continetur, scilicet, vt clericus non accuset laicum coram iudice sæculari præsertim criminaliter, inconsulto suo Episcopo, & vt accusatus, seu pulsatus non respondeat. In quo priuilegium fori quoad criminalia continetur; ideò enim clericus respondere non debet, quia non in suo foro pulsatur. Et ita quoad sensum in idem redit Gratiani lectio, ordine commutato. Nam priori loco, cùm ait, *Clericum, &c.* declarat priuilegium clerici; in fine verò cũ dicit: *Nec criminale negotium audeat in sæculari iudicio proponere*; alteram prohibitionem factam clerico accusandi laicum criminaliter sine licentia Episcopi insinuat. Quàm priùs tradiderat Fabianus Papa epist. 2. & habetur in ca. *Si quis sacerdotes*, 2. q. 7. Et simili canon habetur in Conc. Aurelianensi 3. c. 31.

4 Decreta etiam posteriora eandem immunitatem in criminalibus decernunt cap. *Clerici*, & cap. *Qualiter, & quando*, de Iudicijs, & cap. 2. & cap. *Si diligẽti*, cum similibus de Foro competenti. Et in dicto cap. *Clerici* dicit Alexander. III. in hoc ius ciuile cum canonico concordare, quia leges tradunt generaliter, vt de omni crimine clericus debeat coram Ecclesiastico iudice conueniri. Quod est verum de moderno iure ciuili; nam Fridericus in sua constitutione id specialiter expressit, & habetur in Authent. *Statuimus*, de Episcop. & Cleric. & Honorius III. illud acceptauit, & per omnia posteriora iura regnorum catholicorum confirmatum est.

5. *Quid de criminibus clericorũ Gratian. statuerit* Iure verò antiquiori ciuili contrarium statuerat Iustinianus dicta nouell. 83. Vbi distinguit duplicia crimina, quædam Ecclesiastica, vt error in fide, sacrilegium, delicta in administratione ordinum, aut beneficiorum; & de his concedit, vt clericus ad solum Ecclesiasticum forum deferatur, quæ non est concessio (quidquid ipse existimasse videatur) sed recognitio, & confessio diuini iuris. Alia vocat delicta ciuilia, & de his voluit, iudicium etiam in personis clericorum ad sæculares iudices pertinere. Addit verò limitationem his verbis: *Illud palam est, si reum esse putauerit eum, qui conuenitur, prouinciæ Præses, & pœna iudicauerit dignum, prius hunc spoliari ab Episcopo sacerdotali dignitate, & ita sub legum fieri manu.* Quod videtur intellexisse quantum ad executionem pœnæ; nam ad inchoandam, & prosequendam causã, & ad cognitionem illius sumendam, nulla requirebatur facultas, vel diligentia Episcopi. Et ita sentit Glossa ibi.

6. Addit tamen eadem Glossa, ad sententiam condemnatoriam ferendam, præmittendam fuisse spoliationem illam, seu priuationem sacerdotij, quamuis sententiam absolutoriam posset iudex sæcularis proferre sine cooperatione Episcopi. Sed non video, quomodo possit Episcopus aliquem degradare (hoc enim est, spoliare sacerdotio) ante latam sententiam de crimine, & de pœna propter illud inferenda. Vnde verba ipsa hoc indicant, ibi, *Si reum esse putauerit, & pœna iudicauerit dignum.* Oportebat ergo antecedere hoc iudicium, vtique forense, & authenticum, quod per sententiam condemnatoriam profertur. Cum ergo subiungitur, *prius hunc spoliari*, subintelligendum est, prius quàm pœna infligatur, non priùs quàm sententia feratur. Et ita declaratur in Authent. *Clericus*. C. de Episcop. & cleri. ibi. *Nec tamen puniatur etiam si reus fuerit inuentus.* Ac præterea non videtur id posse intelligi generaliter de omni sententia condemnatoria, nec de omni pœna; sed de pœna sanguinis, vel corporali adeò graui, aut contumeliosa, vt priuationem sacerdotij prærequirat; hanc enim non omnis pœna præexigit, vt patet in exilio, perpetuo carcere, pecuniaria, & similibus. Igitur ex vi illius legis omnino priuabantur clerici priuilegio fori in criminibus nõ ca-

nonicis quoad totum negotium, & causam, præter quam in executione quarundam pœnarum, quæ postulant degradationem per Episcopum faciendam. Postea verò idem Iustinianus in Authentico de Sanctissimis Episcopis cap. 21. hoc limitauit, fecitque hæc crimina clericorum misti fori, & quando ad sæculare priùs deferuntur, alium ordinem constituit, qui ibi videri potest. Et ante Iustinianum prius hoc fuerat statutum à Valente, & socijs in lib. 23. de Episcop. & Cleric. in Codice Theodosiano.

7. *Prædictæ leges Iustiniani nullæ fuerunt.*

Veruntamen hæ leges non solùm reuocatæ sunt per constitutionem Friderici (vt notauit Glossa in dicta Authentica *Statuimus*) sed etiam per iura canonica, imò à principio fuerunt inualidæ, & nullius effectus, quia & erant contra ius diuinum, & contra iura canonica, & contra priorum Imperatorum concessiones, præsertim Constantini l. 7. C. de Episcop. & cleric. quam cum alijs similibus innouarunt Theodosius, & Valentinianus in l. 46. & 47. eiusdem tituli. Vbi priùs generaliter omnia priuilegia à pijs Imperatoribus antea clericis concessa innouantur; postea verò additur, *Clericos etiam, quos indiscretim ad sæculares iudices debere deduci infaustus præsumptor* (vtique Iustinianus apostata) *edixerat, Episcopali audientiæ reseruamus. Fas enim non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.*

8.

Solum vnus supereſt scrupulus in iure canonico ex Concilio Matisconensi 1. cap. 7. vbi priùs regula generalis his verbis traditur. *Nullus clericus de qualibet causa extra discussionem Episcopi sui à sæculari iudice iniuriam patiatur, aut custodiæ deputetur.* Posteà verò additur exceptio, in qua est difficultas: *Quod si quicunque iudex cuiuscunque clericum absque causa criminali id est, homicidio, furto, aut maleficio hoc facere fortasse præsumpserit, quamdiu Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.* Vbi dicens, *absque causa criminali*, videtur exceptionem constituere regulæ à nobis positæ contrariam. Vnde videtur illud Concilium, quod paulò post tempora Iustiniani celebratum est, ius ciuile illius temporis fuisse imitatum, vel fortasse in Gallia fuisse tunc illâ consuetudinem. Aduerto tamen ibi non excipere Concilium omne iudicium criminale, aliàs esset exceptio regulæ contraria; sed excipere quædam peccata, quæ per antonomasiam crimina vocat, qualia sunt, quæ ibi numerat. Et hoc modo potuit esse exceptio tolerabilis eo tempore, & solùm pro illa prouincia, in qua fortè tunc Episcopi poterant similem facultatem laicis dare, vt infrà videbimus. Nunc autem neque Episcopis hoc licet, vt infrà etiam ostendam, nec similis exceptio admittenda est, vt mox dicam.

9 *An assertio tradita exceptionem patiatur. Conclusio.*

Dubitari ergo potest, an regula posita aliquam admittat exceptionem. Quæ interrogatio, vt capite præcedenti dixi, intelligi potest, vel ex parte personarum, vel ex parte materiæ, seu criminum. De personis dicam infrà, nunc autem suppono, nullas personas excipi, nisi quæ vel per legem canonicam, vel per iustam sententiam Ecclesiasticam, vel per Pontificis delegationem iudici laico factam, hoc priuilegio priuantur. De criminibus autem dico, nullum omninò à prædicta regula excipi ex vi iuris communis. Probatur, quia ita est in iure expressum in cap. *Cùm non ab homine*, de Iudicijs, ibi: *Siue in furto, siue in homicidio, siue in periurio, siue in alio crimine, &c.* Et in cap. *At si clerici*, eodem tit. priùs absolutè dicitur, clericos non solùm non posse pro crimine à iudice sæculari condemnari, verùm etiam acta coram tali iudice, etiam si in eis clericus conuictus sit, vel confessus, nihil ei nocere. Et ex illo textu cum §. sequenti constat, tam maiora, quàm minora crimina clericorum ad Ecclesiasticum iudicem pertinere. Et in cap. *Clerici* dicitur, sacros canones imitari leges generaliter statuentes, vt de omni crimine clericus debeat coram Ecclesiastico iudice conueniri. Denique in communi iure nulla talis exceptio inuenitur, neque etiam consuetudine introduci potest, quæ legis vim habeat, vt expressè dicitur in dicto cap. *Clerici*; ergo non potest talis exceptio cum fundamento affirmari.

10 *Ratione confirmatur 4. pars.*

Addi etiã potest ratio satis congrua, quia si exceptio admittẽda esset; vel id foret propter grauitatem criminis, vel propter leuitatẽ hoc posteri⁹ nullus dicet, quia leuiora peccata faciliùs possũt per propriũ Ecclesiasticũ iudicem cognosci, & puniri. Crimina verò grauiora clericorum, magis necessarium est, nõ tractari à laicis; imò neque cognosci, aut sciri, si fieri posset: & præterea per Ecclesiasticum iudicem possunt sufficienter vel curari, vel vindicari. Quòd si ad hoc fuerit necessaria potentia sæcularis, non propterea debuit iudicium talium criminum sæcularibus committi; multò enim conuenientius est, vt ipsi non se intromittant, donec vocentur, & vt requisiti ab Ecclesiastico iudice, auxilium suum impendere teneantur, iuxta cap. *Vt famæ*, de Sentent. excommunicatio. Dixi nihilominus, hoc intelligendum esse *de iure communi*; nam ex priuilegio solent in aliquibus regnis excipi aliqua crimina clericorum, de quibus Magistratus ciuiles cognoscere possunt, vt crimen læsæ maiestatis, fabricationis falsæ monetæ, & cæt. oportet tamen vt priuilegium illud Pontificiũ sit, quia nullus Rex, vel Princeps sæcularis potest hoc priuilegium dare, vt infrà dicetur.

Secundò quæri potest, an regula hæc aliquam ampliationem admittat. Ad quod breuiter respondeo ex parte materiæ, seu criminum non posse ampliari, qui extenditur ad omnia crimina, quibus nullum addi potest. Ex parte verò iudicij, seu iudicis notari potest duplex ampliatio. Vna est, vt neque directe, neque per modum reconuentionis possit laicus iudex de crimine clerici cognoscere, vt notauit Ioannes Lup. tract. de Libert. Eccles. p. 2. q. 1. num. 2. ex cap. *Qualiter, & quando* de Iudicijs, in quo expendo particulam illam *omnino prohibemus*, nam perinde fuit dicere *omnino*, quòd quocunque modo. Item ampliatur ab eodem authore, vt etiam in casu negligentiæ iudicis Ecclesiastici non possit sæcularis de quocunque crimine clerici cognoscere, hoc enim à fortiori probant suprà dicta in fine capitis præcedentis. Quid verò possit interdum agere sæcularis potestas circa clericum malefactorem per modum defensionis, vel auxilij infrà videbimus. 11. *An regula posita amplietur.*

Tertiò quæri potest, an in materia criminali locum habeat declaratio de actore, & reo capite præcedenti data in materia ciuili. Respondeo, sine dubio esse eandem, vel maiorem rationem de criminibus, quàm de causis ciuilibus. Ita docent authores allegati præcedenti capite. Et eisdem iuribus probari potest, nam præter ea, quæ generaliter loquuntur, in cap. *Si quisquam*, 11. quæst. 1. dicitur, canones imitari leges in dicta regula, quod actor sequi debet forum rei, hæc autem regula expressè traditur pro causis criminalibus in l. *In criminali*. Cod. de Iurisdiction. omni. iudic. in l. vlt. Cod. *vbi in rem actio*. Rationes etiam suprà factæ non minus de criminalibus causis procedunt, quàm de ciuilibus. Inò maior quædam ratio in rebus criminalibus intercedit; quia minus decet, magisque periculosum est, clericum contra laicum actionem criminalem intentare, quàm ciuilem quia in criminali intercedit quædam vindicta, & periculum odij, & ita potest faciliùs scandalum generare. Quod adeò verum est, vt ob hanc causam antiqui canones prohibuerint, clericum, inconsulto Episcopo, laicum accusare. 12 *Respondeo. Vide latius Clar. prag. final. q. 36. & Stephan. Aufreri in Clementin. vt clerici de Offic. ordina. limitat. 15. etiã in criminalibus actor debet sequi forum rei.*

Nihilominus tamen in hac materia additur quædam exceptio in cap. *Cùm sit generale*, de Foro compet. his verbis. *In fauorem Ecclesiæ est introductum, vt malefactores suos, qui sacrilegi sunt censendi, venerabilium* 13.

bilium locorum rectores possint sub quo maluerint iudice conuenire, vbi solùm aduerto, non excipere omnes malefactores clericorum, aliàs exceptio destrueret regulam; excipit ergo malefactores Ecclesiarum, quales sunt raptores, & similes, vt ibi Glossa notat. Verum est tamen, etiam percussores clericorum posse ad Ecclesiasticum iudicium deferri, non ratione personæ accusantis, si sit clericus, quasi ipsa trahat reum ad suum forum, sed ratione sacrilegij, quod est Ecclesiastici, vel saltem misti fori. Reliqua de hac declaratione videri possunt in Glossa, & Doctoribus ibi. Et quæ de alia moderatione fundata in negligentia iudicis laici suprà diximus, hic applicanda sunt, vt constat.

Malefactores Ecclesiarũ, & clericorũ percussores in iudicio Ecclesiastico conueniri possunt.

14 Tandem inquiri hic potest, an hoc priuilegium, seu exemptio extendatur ad præterita, id est, ad crimina ante clericatum commissa, seu eo tempore, quo aliquis non gaudebat priuilegio fori quacunque ex causa, etiamsi aliàs clericus esset. Ratio dubitandi est, quia qui deliquit in statu clericali, licèt postea relinquat statum clericalem (vt contingere potest in clericis non ordinatis in sacris, & in religiosis non professis, vel professis, qui per dispensationem statum mutarunt) ille (inquam) semper gaudet priuilegio quoad illud delictum, durante statu, commissum, vt docent Couarru. in Pract. cap. 31. numero 8. Iulian. Clar. §. final. quæst. 36. numero 11. Barbosa in l. *Titia* ff. solut. matrimon. qui alios referunt. Et fundamentum est, quia ad gaudendum priuilegio attenditur status temporis, in quo delictum committitur, iuxta l. 1. ff. de Pœnis. Item quia quando commissum est delictum; fuit immune à iurisdictione sæculari; ergo etiam si relinquatur status, non subijcitur illi. Quia nullum est ius cononicum, quod talem pœnam imponat, vel quod declaret amissionem priuilegij per dimissionem status retro trahi ad tempus præteritum, in quo durabat status, seu ad delictum tunc commissum; non est autem sine iure, vel euidenti ratione imitandum priuilegium, neque asserendum aliquid, quod pœnale est, & odiosum. Ergo simili modo qui in statu laici deliquit, & postea accipit ordinem, vel statum Ecclesiasticum, non gaudebit priuilegio pro his delictis, quæ antea commisit, cum esset in statu laici. Probatur consequentia, tum quia sequitur ex eodem principio, quod ad gaudendum priuilegio attenditur tempus delicti; ergo qui non erat clericus, vel si erat non viuebat in statu clericali, & tunc commisit delictum, licèt postea ordinetur, vel accipiat insignia clericalia, erit subiectus sæculari iudicio quoad illud delictum. Tum etiam quia illud delictum à principio pertinuit ad forum sæculare, & nullum est ius, quod extrahat illud, vel quod retro trahat priuilegium ad illum effectum; ergo. Et ita videntur sentire Couarru. & Barbosa in locis allegatis.

An priuilegium fori ad crimina ante illud cõmissa extendatur. Ratio dubitãdi pro parte negatiua.

15 In contrarium verò facere videtur primò, quia priuilegia amplianda sunt, quantum proprietas verborum patitur, maximè in fauorem religionis; sed iura concedentia hoc priuilegium, simpliciter eximunt personas ipsas insignitas charactere; vel dicatas Deo tali modo, & non limitant ad delicta commissa post clericatum, vel ante, ergo non est limitandum, sed extendendum priuilegium. Secundo, quia etiamsi delictum præcesserit, non potest non cedere in ignominiam clericatus, quòd ille, qui iam est clericus, puniatur à laico, vel iudicetur; ergo cùm priuilegium magis respiciat decentiam clericatus, quàm commodum personæ, habere debet locum etiam quoad delictum præcedens. Sicut is, qui antea erat seruus, si ordinetur, per ius eximitur à seruitute propter honorem clericatus, licèt non semper eodem modo, vt ex materia de Irregularitate constat. Ergo etiam in præsenti licet quis ratione delicti sit obnoxius foro sæculari, per ordinationem liberabitur, saltem à foro; licèt non à debito alicuius pœnæ. Tertiò qui post delictum confugit ad Ecclesiam materialem, gaudet immunitate, quid ergo mirum, quòd illa gaudeat, qui confugit ad spiritualem gradum Ecclesiasticum?

Ratio pro parte affirmante.

De hoc puncto disputat Panormitanus latè in cap. vnic. de Obligatis ad ratiocinia, & plures alij ibi, & in locis, quos refert copiosè Felin. in cap. vltimo Constitut. numero 14. circa finem, & ex modernioribus Auendan. in tractat. de Mandat. Reg. exequend. cap. 22. & Couarr. in Pract. cap. 31. numero 4. Qui varias referunt sententias, & multis distinctionibus vtuntur, quas hic referre, & discutere prolixum esset, & alienum à nostro instituto. Maximè quia non afferunt iura canonica, quæ in hoc aliquid clarè disponant. Quo circa loquendo in generali, & coniectura vtendo, mihi placet sententia dicens, ordinem subsequutum post delictum eximere personam clerici à iurisdictione sæculari, etiam pro illo delicto. Primò propter rationes factas. Deinde à simili, vel à fortiori ex l. *Hos accusare*, ff. de Accusat. quatenus ait, legatum prouinciæ accusandum non esse de illo crimine, quod ante legationem commisit. Ergo eadem, vel maiori ratione clericus, qui in statu laici deliquit, non est de illo crimine in iudicio sæculari accusandus.

16 *Vera resolutio.*

17 Solent autem Iuristæ adhibere limitationem, *nisi mala fide assumpserit clericatum*, per malam autem fidem intelligunt, assumere clericatum ad fugiendum sæculare forum, vnde ipsi clerico imponunt onus probandi, non habuisse malam fidem. Sed certè non videtur pertinere ad dolum, vel malam fidem, quòd quis ex intentione se eximendi ab illo foro, & custodiendi suam personam, illum statum assumat; sicut non est mala fides confugere ad Ecclesiam post delictum, ad se tuendum: illa enim intentio non est mala, vnde si in cæteris bona fides seruetur, non videtur obstare. Malam ergo fidem ego intelligerem, si quis fictè, vel simulatè, & ad tempus assumpsisset illum statum ad euitandum forum. Quapropter quoad hoc censeo aliter esse iudicandum, si quis ordinatur in sacris, vel tantum in minoribus. Nam ille prior assumit statum perpetuum, & immutabilem, & ideò non potest de illo præsumi fictio, nisi euidenter appareat: ideoque censeo illum manere immunem, etiam si constet, occasione delicti, & ad mutandum forum id fecisse, quia id nec est malum, nec graue incommodum reipublicæ affert.

Quædam limitatio rejicitur.

Alia limitatio assignatur.

18 At ille, qui tantum minores ordines assumit, potest facilè mala fide id facere, id est, non quia velit, se verè cultui Dei dicare, sed solùm ad tempus, vt faciliùs liberetur, & postea mutet statum, & tunc censeo procedere priorem limitationem. Multoque magis in clerico iam ordinato in minoribus, qui tempore delicti habitum, & tonsuram non gestabat, & postea assumit, & vult gaudere priuilegio. Meritò enim timeri potest, dolosè incedere, tunc ergo non gaudebit priuilegio, nisi contrarium animum probet, quod difficillimum est. Addunt verò ijdem Doctores aliam limitationem, nimirum, *posse clericum bona fide ordinatum gaudere priuilegio, si causa esset integra*: nam si esset iam inchoata coram iudice sæculari, alia esset ratio, iuxta cap. *Proposuisti*, de Foro compet. Item addunt, in illis casibus, in quibus hic clericus iudicatur à sæculari iudice de priori crimine, non posse ab illo corporaliter puniri, sed alijs modis. De quibus, & alijs punctis similibus ad prædictos authores lectorem remittimus.

CA-

CAPVT XVI.

AN PRIVILEGIVM FORI EXEMptionem à legibus ciuilibus includat, & qualis illa sit.

1 *Laici suis legibus nullatenus Ecclesiasticas personas ligant.*

SVPPONIMVS, Ecclesiasticam immunitatem includere exemptionem ab obligatione, & vinculo ciuilium legum quatenus à potestate, & iurisdictione humana vim aliquam habent. Hoc certissimum est in iure canonico, licèt fortasse in ciuili expresse & in particulari non inueniatur. Quod nihil obstat, quia ius canonicum sufficit, vt suprà dixi. Hoc autem canonicum ius habetur in cap. *Ecclesiæ Sanctæ Mariæ*, de Constitut. & dist. 96. per multa capita, in quibus locis etiam dicitur, laicos nullam habere potestatem, seu iurisdictionem in Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas. Quod etiam multa Concilia testantur, vt in superioribus probatum est. Cõstat autem neminem posse sua lege obligare eum, in quem iurisdictionem non habet; ergo neque legislatores laici possunt suis legibus clericos ligare, quia vt dictum est, nullam iurisdictionem in eos habent; iurisdictio autem legislatiua magna est, cum ergo Concilia *nullam* dicant, etiam hanc negant. Iuuatque Authent. *Cassa*, Cod. de Episcop. & cleric. vbi cassa, & irrita dicuntur esse omnia statuta laicorum Ecclesiasticæ libertati contraria, nam eo ipso, quòd leges ciuiles fiant ad ligandos clericos, libertati Ecclesiasticæ repugnant. Hoc igitur in genere certum est, quomodo autem sit intelligendum, ampliandum, vel limitandum, explicandum superest.

2 *An priuilegiũ fori cleri corũ exemptionẽ à legibus ciuilibus includat.*

Priùs autem aduerto aliquos dubitare, an sicut immunitas Ecclesiastica, ita etiam priuilegium fori clericorum hanc exemptionem à vinculo ciuilium legum includat. Dico tamen, quęstionem hanc esse de solo nomine. Nam si nomen fori strictè sumatur solùm comprehendere videbitur exemptionem à iudicijs fori sæcularis tam in causis ciuilibus, quã criminalibus, quia forum propriè significat locum, vbi iudicia exercentur, & consequenter etiam ipsum iudicium, vel iurisdictionem, per quam exercetur. Vnde si priuilegium fori ita strictè sumatur non cõprehendet totam clericorum libertatem. Nam immunitas, seu exemptio clericorum, de qua tractamus, plura comprehendit, vt in principio huius libri dixi, scilicet, immunitatem ab aliquibus oneribus, muneribus, tributis, & legibus sæcularibus, quæ omnia libertas Ecclesiastica comprehendit. Potest tamen priuilegium fori in tota hac amplitudine accipi. Sic enim duo solent distingui priuilegia clericorum, scilicet, canonis, & fori, ex quibus prius solùm significat specialem immunitatem à violenta manus impositione, & ideò sub priuilegio fori, vt adæquata sit numeratio, reliqua libertas tota personarum Ecclesiasticarum comprehendenda est. Et ita loquitur expresse Syluest. verb. *Ecclesia*. 1. quæstio. 5. vers. *Primùm*. Nec sine fundamento, nam priuilegium fori, vt diximus, non solùm eximit clericum à iurisdictione temporali inferiorum Magistratuum, sed etiam à suprema Regum, & Imperatorum iurisdictione, quia ergo ab illa eadem iurisdictione manant omnes leges ciuiles, & omnia onera, quæ per huiusmodi leges possunt imponi, ideò priuilegium fori extensum est ad exemptionem ab his omnibus significandam. Quapropter explicata exemptione à iudicijs, vt hoc priuilegium integrè declaremus, superest, vt exemptionem à legibus exponamus: nam sub hac omnes aliæ immunitates includuntur.

3 *Vis legis ciuilis duplex directiua, & coactiua, & quid.*

Ad hoc autem explicandum, oportet supponere, multiplicem esse vim legis humanæ, id est, ciuilis, de qua specialiter loquimur. Duo tamen sunt præcipua capita, ad quæ alia reduci possunt, scilicet, vis directiua, & coactiua. Et ne sit in verbis æquiuocatio (vt esse solet) per vim directiuam intelligimus potestatem præcipiendi sub obligatione non solùm pœnæ, sed etiam conscientiæ. Vis autem coactiua est vis cogendi per pœnam, nam licèt hæc coactio ordinariè fiat in executione per homines, scilicet per iudicem, & ministros eius, tamen etiam fit suo modo per legem, idque dupliciter, scilicet, vel imponendo tantum debitum, seu reatum certæ pœnæ transgressoribus legis, vel infligendo etiam ipsam pœnam, quando talis est, vt executione hominis non indigeat, sed per legem ipsam fieri possit, si sufficiẽter in ea exprimatur.

4 *Plures alij effectus legis coactiuam ad directiuam reducti. & coactiua nõ reducuntur.*

Præter has duas potestates legis numerari possunt aliæ, vt taxare pretia rerum, quod optimè potest ad vim directiuam reduci, quia ratio iustitiæ obligans in conscientia inde resultat. Item irritare contractus vel illos cum eo rigore prohibendo, vel instituendo formam, sine qua validi non sint, quod aliquibus visum est pœnale, & ideò ex virtute coactiua proficisci. Sed hoc non semper ita est, nam interdum fit propter solam directionem morum, & boni regimen reipublicæ; & tum magis pertinet ad vim directiuam. Item habet lex vim imponendi tributum reale, vel personale, & huc etiam spectat impositio cuiuscunque oneris, vel sæcularis muneris præsertim sordidi, & vilis, seu onerosi magis, quàm honorifici. Et ex hac parte reputatur hæc virtus legis quasi coactiua, quamuis revera propriè talis nõ sit, quia per se hæc non imponuntur per modum pœnæ propter culpam, vel legis transgressionem, sed directè, & per se, quia in humana republica necessaria sunt. Declarandum est ergo, quomodo per priuilegium fori clerici ab his omnibus eximantur, in hoc verò capite solùm dicemus de legibus vt præcipientibus, vel prohibentibus, siue purè, siue adiecta pœna, in capitibus verò sequentibus de alijs legibus præsertim onerosis dicemus.

5 *Obiectio ex parte personarum, & ex parte materiæ.*

Priùs verò iterum distinguendæ sunt leges ciuiles ex parte personarum, & ex parte materiæ. Nam communiter hæ leges generaliter feruntur pro omnibus legi ciuilibus, abstrahendo à laicis, & clericis; vtrique enim ciues sunt, & ciuitatem componunt. Aliquando verò feruntur pro solis laicis, possent etiam aliquando ferri pro solis clericis, possent (inquam) facto quid verò de iure dicendum sit, videbimus. Deinde materia legis aliquando esse potest propria clericorum, quæ potius erit Ecclesiastica, quàm ciuilis; aliquando est propria laicorum: sæpius verò est communis vtrisque. Item aliquando materia, vel dispositio legis, siue in specie, siue generatim sactæ, est onerosa clericis, vel eorum statui minùs decens, aliquando verò est fauorabilis: interdum verò est indifferens. Quia licèt respectu communitatis vtilis sit, nihilominus respectu singularum personarum interdum affert incommodum, licèt frequentiùs omnium commodis prospiciat iuxta hanc ergo legum varietatem, variè etiam de hac exemptione iudicandum est.

ex parte personarum, & ex parte materiæ.

6 *Leges ciuiles pro solis laicis latæ clericos non obligant.*

Nonnulla verò ex dictis colligere possumus quæ clara, & extra controuersiam sunt. Primum est, leges ciuiles latas pro solis laicis, clericos non obligare. Hoc enim verum est, non solùm ratione exemptionis, sed etiam propter formam talis legis, nulla enim lex obligat, nisi personas, ad quas loquitur, seu dirigitur. Secundum est, leges etiam ciuiles, quæ disponunt in materia merè laica, & sæculari, licèt cum laicis personis in particulari non loquantur, sed indefinitè ferantur, clericos non obligare, vt leges ciuiles ordinantes iudicia sæcularia, non obligant in foro Ecclesiastico, & sic de alijs. Ratio est clara, tum propter exemptionem, tum etiam quia materia legis restringit eius obligationem ad eas personas quarum propria est talis materia, vt est per se clarum.

Ter-

7. Leges ciuiles in materia Ecclesiastica statuentes nullæ sunt

Tertiò dicendum est, leges ciuiles si in materia Ecclesiastica disponant, nullam obligationem inducere, propter exemptionem talis materiæ. Hæc assertio constat ex dictis suprà cap. 2. vbi ostendimus, res omnes, & causas Ecclesiasticas à iurisdictione laicorum exemptas esse; ergo leges latæ à laicis circa huiusmodi materias sunt ipso iure nullæ ex defectu iurisdictionis. De qua re plenè dixi in tomo de Legib. libro 4. capite 11. Vnde quartò addendum est, leges ciuiles disponentes circa personas clericorum in particulari, etiam si in materia ciuili disponere videantur, non obligare clericos ratione exemptionis illorum. Hæc assertio simul cum præcedenti expressè traditur in capite *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, de Constitut. & cap. *Quæ in Ecclesiarum*, eodem titulo, & cap. vltimo de Rebus Eccles. non alien. & in cap. *Bene quidem*, cum multis sequentibus 96. dist. quibus locis latè hanc materiam tractant authores, præsertim Panormitanus, & Felinus, & Barthol. in leg. *Cunctos populos*, Cod. de Summ. Trinitat. Ratio autem ibidem redditur, quia super Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis nulla est laicis attributa potestas, *quos obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi*. Hinc enim fit, vt huiusmodi leges non obligent clericos, non quia sint validæ, & ad illos non extendantur; sed potiùs, quia nullæ sunt ex defectu iurisdictionis in personas, ad quas dirigun-
A
B
C
tur.

8. Obiectio.

Dices, hoc ad summum proced-re, quando tales leges ciuiles detrimentum, vel onus aliquod afferũt clericis; secus verò esse debere, si sint fauorabiles clericis, quia priuilegium, quod in fauorem datum est, non debet ita extendi, vt priuilegiato noceat, sed quòd huiusmodi leges sint nullæ, etiam si sint fauorabiles clericis, in nocumentum eorum caderet; ergo non est verisimile, priuilegium exemptionis ad

Confirmatio.

hunc effectum extendi. Et confirmatur, nam Princeps laicus potest clerico priuilegium validum conferre, vt sumitur ex cap. *Nouit*, de Iudicijs, & ex
D
multis alijs canonibus, & legibus in superioribus allegatis, in quibus Imperatores Ecclesijs, & Prælatis, vel ministris earum priuilegia conferunt; priuilegium autem quædam lex fauorabilis est; ergo.

9 Responsio.

Nihilominus dicendum est quartò, tales leges, etiamsi fauorabiles videantur non posse obligare, de his enim etiam loquitur dict. cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, vt benè ibi Panormitanus exponit in principio, & in fine. Et ratio textus ibi conuincit, quia talis lex re vera non est lex, etiam si videatur fauorabilis, quia à iurisdictione non procedit; ergo non
E
potest obligare. Item est optima ratio, quia eo ipso, quòd lex prohibet, vel præcipit clericis in particulari, supponit, & exercet potestatem superiorem in illos; ergo supponit potestatẽ quæ nõ est, ac proinde nulla est. Imò eo ipso non potest censeri fauorabilis, quia magis nocet vsurpando iurisdictionem, quàm profit, aliquid commodi afferendo. Et ita responsum est ad contrariam coniecturam. Ad cõ

Ad confirmationem.

firmationem respondetur, aliud esse de priuilegio, nam priuilegij concessio non est actus iurisdictionis; sed dici potest actus liberalitatis, & dominij illius rei, vel iuris, quod per priuilegium datur, & ideò potest quispiam dare priuilegium non subdito, imò & superiori, & sic etiam potest laicus
F
concedere priuilegium clerico. Nec priuilegium habet propriam rationem legis respectu priuilegiati, quia per se non imponit illi obligationem, & ita non datur prohibendo, vel iubẽdo priuilegiato, sed concedendo, alijs verò solet præcipere obseruãtiam priuilegij, & sic habet priuilegium propriam rationem legis, vt in materia de Legibus latiùs declarauj. Atque ita leges ciuiles concedentes priuilegia clericis, fauent quidem clericis, non tamen ligant, obligant autem laicos, vt clericis talia priuilegia obseruent.

Quintò addere possumus ampliando superiorem assertionem, leges etiam ciuiles in particulari disponentes circa bona Ecclesiarum, vel clericorũ, non esse validas, nec posse Ecclesias, aut clericos obligare. Ita docent Glos. & Doctores, præsertim Abbas in d. cap. *Ecclesia*, num. 20. & 21. Et quod attinet ad Ecclesiastica bona habetur expressè in illo textu, & in d.c. *Bene quidem*, cuius decisionem Innoc. 3. in priori c. allegat. Nam ibi statutum cuiusdã Basilij laici, quia in particulari statuebat circa bona Ecclesiæ etiam in eorum fauorem, irritum censetur, quia non fuit authoritate Apostolica confirmatum, Idem sumitur ex cap. *Quæ in Ecclesiarum*, eodem tit. & cap. vltim. de Reb. Eccles. non alien. & ex cap. *Decernimus*, de Iudic. vbi negotia omnia Ecclesiastica exempta dicuntur à sæculari foro. Ratio autem est, quia bona Ecclesiastica inter res sacras computantur, & ideo prorsus sunt exempta à iurisdictione laicorum, non solùm humano, sed etiam diuino iure, iuxta ea, quæ in decretis traduntur tota dist. 96. & quæ suprà cap. 2. tractata sunt.

10. Leges ciuiles circa Ecclesiarũ, vel clericorũ bona disponentes nullæ sũt

Ratio prioris partis.

In bonis autem proprijs, seu patrimonialibus clericorum non militat ratio dicta, quia bona propria clericorum non sunt sacra sicut bona Ecclesiarum, & ideo necesse non est, vt eadem, vel tanta exemptione gaudeant, quanta bona Ecclesiastica, seu Ecclesiarum. Ratio autem differentiæ reddi potest, quia Ecclesiastica bona videntur esse sub immediato dominio Dei, & ideo nemo potest circa illa disponere, nisi vel Deus ipse, vel dispensatores suorum mysteriorum, & bonorum ab ipso constituti. Bona autem clericorum immediatè sunt sub dominio talium hominum, quod illis conuenit, non vt clericis, sed vt ciues, vel homines sunt, & ideo circa talia bona videntur posse disponere leges ciuiles.

11

12 Ratio posterioris partis.

Sed nihilominus etiam in his bonis clericorum, veram esse censeo sententiam Panormitani, quam iura, quæ allegat, non directè hoc disponant, sed per argumentum à simili, vel à paritate rationis afferantur. Ratio verò illam conuincit, quia non potest lex ciuilis aliquid in particulari disponere circa bona clericorum, nisi obligando clericos ad talis legis obseruationem, quia bona adhærent personæ, & lex disponens circa bona, non potest nisi per aliquam personam obseruari. Sed lex ciuilis non potest in particulari obligare personas clericorum; ergo nec circa illorum bona in particulari disponere. Item lex non fertur sine iurisdictione; nemo autem habet iurisdictionem, seu potestatem iuridice disponendi circa bona alicuius, nisi habeat iurisdictioncm supra personam. Cùm ergo Rex temporalis iurisdictionem non habeat circa personam clerici, neque habere post circa bona, quæ adhærent personæ tanquam accessorium principali; ergo lex facta à potestate ciuili circa bona clericorum in particulari est nulla tanquam sine iurisdictione facta. Ratio autem in contrarium solum probat, non ita certum esse, bona clericorum esse ità diuino exempta à potestate ciuili, sicut est certum de Ecclesiasticis bonis, quia non sunt ita immediatè, & quasi per se exempta. Nam res sacræ, & bona Ecclesiæ exempta sunt propter sanctitatem quandam, quam participant per immediatam habitudinem ad Deum; bona autem clericorum exempta sunt propter habitudinem ad tales personas exemptas; hoc autem non obstat, quominus illarum exemptionem participent.

13

Sexto addendum est, leges ciuiles, quæ generaliter loquuntur ad ciues, abstrahendo à clericis, vel laicis, & disponentes in materia temporali omnibus communi, ad eorumq; mutuam societatem, & vniformitatem pertinẽte, obligare clericos quoad vim directiuam. In hac assertione conueniunt omnes catholici, quos in superioribus retuli, & latè tractaui in lib.

lib. 3. de legibus cap. 34. Et ratio ex parte causæ finalis est, quia vniformis obseruantia talium legum est necessaria ad reipublicæ pacem, & ad seruandam inter ciues æquitatem; ergo & obligatio directiua debet esse generalis omnibus. Ex parte autem principij efficientis, seu potestatis talis obligationem imponentis, non omnes eandem reddunt rationem. Multi enim putant, id prouenire ex vi potestatis, & iurisdictionis Principis temporalis: quoad has leges ferendas, dicunt retinuisse iurisdictionem in omnes, etiam clericos: quia ita erat necessarium ad

1. Opinio. conuenientem totius reipublicæ gubernationem, & ideo non oportuit clericos eximi quoad hanc partem, cùm vsus talis exemptionis non esset futurus vtilis reipublicæ Christianæ, ac proinde non esset in illa obseruandus. Vnde, sicut supra diximus clericum vt actorem contra laicum esse obnoxium iudicio sæculari in causa temporali, ac subinde quoad hunc actum non esse exemptum, ita non est inconueniens, clericum vt ciuem communicantem cum laicis in huiusmodi actionibus communibus non esse exemptum à virtute, & iurisdictione legis ciuilis, quoad vim directiuam. Atque hunc modum dicendi aliqui arripiunt hæretici, & schismatici, illumque approbant multi catholici Doctores, quos in loco citato retuli, & non est improbabilis, secluso schismaticorum spiritu, & errore circa totam exemptionem clericorum.

14

2. Opinio. Aliorum tamen sententia est, clericos non obligari ad obseruandas huiusmodi leges ex vi ipsarum legum, id est, ex vi iurisdictionis, quam legislatores ciuiles habeant in clericos, sed ex vi rationis, id est, quia posita tali lege iusta de re ad omnes pertinente, & quæ à clericis decenter, & sine speciali grauamine seruari potest; ratio naturalis dictat, esse seruandam etiam à clericis, vel quia sunt partes talis communitatis, & turpis est pars, quæ non concordat toti in his, quæ commodè potest: vel quia non seruabitur æquitas debita inter clericos, & laicos, si laici huiusmodi leges seruent, & non clerici. Quæ posterior ratio maximè locum habet in legibus definientibus medium iustitiæ, quales sunt illæ, quæ valorem, & pretium rerum taxant; de quibus propterea nemo dubitat, seruandas esse à clericis ex vi iustitiæ naturalis, siue obligentur vi talium legum, siue non. Eademque ratio procedit de legibus disponentibus circa quasdam actiones humanas, quasi reciprocas, & quandam mutuam habitudinem inter ipsos ciues includentes, quia tales leges non possunt, vel cum securitate, vel cum æquitate seruari à laicis, quin seruentur à clericis, vt sunt leges prohibentes talia arma, vel ne tali tempore, aut loco ferantur; vel prohibentes, ne tales res, aut merces extra regnum trahantur, & similes. Prior verò ratio habere poterit locum circa leges disponentes de alijs actionibus ciuium, in quibus non inuenitur hic mutuus respectus æquitatis aut securitatis, conseruationis, aut rerum abundantiæ ad omnes pertinentis; sed solùm pertinent ad conuenientem viuendi modum vniuscuiusque secundum politicum statum, vt sunt verbi gratia leges prohibentes ludum alearum, & similes, quibus regulariter adiungitur ratio scandali, si à clericis non seruentur.

15 Atque hanc sententiam, quòd leges huiusmodi non obligent clericos ex vi iurisdictionis laicæ, sed ex vi rationis, defendit Bellarminus in suis controuersijs, præsertim in vltima editione, & sæpiùs illâ inculcat in his posterioribus opusculis, scilicet, in libro recognitionum, & in libro contra Barclaium, & in Apologijs contra Regem Angliæ. Et ideò Rex ipse sæpiùs circa hunc articulum ipsum mordet, vt in Præfatione pagina .5. & in catalogo mendaciorū sub titulo. *Noua dogmata*, vt in fine Apologiæ. Veruntamen neque sententia hæc noua est, nec peculiaris Bellarmini, sed antiqua, & multorum grauium authorum, vt in citato de Legib. ostendi, & ideò immeritò Rex vel illam nouitatis accusat, vel de Bellarmino specialiter conqueritur. Neque etiam rationem aliquam, vel testimonium alicuius momenti affert, sed solùm Bellarminum, vel odij, vel affectus in Reges temporales minus propensi insimulat, quod valde friuolum est, nisi fortè apud illos, qui veritatem suis inordinatis affectibus repugnantem odium reputant.

Aliunde verò illa sententia optimè fundatur in diuino iure concedente simpliciter hoc priuilegium. Additis testimonijs Conciliorum, & canonum 16 dicentium, laicis supra clericos nullam esse attributam potestatem, vel iurisdictionem, sine qua non possunt directè, & ex vi legis illos obligare. Item hac ratione non possunt Reges obligare clericos legibus illis peculiariter impositis; ergo eadem non possunt eos obligare ex vi sui præcepti per leges cõmunes, quia lex quoad vim suam non transcendit potestatem ferentis illam. Et ita sententia hæc quo- *Auctoris sententia.* ad hanc partem negatiuam probabilior est, & vera, quoad aliam verò partem, explicandi obligationem ex sola vi rationis, est quidem probabilis, tamen si nudè, & præcisè intelligatur, sæpe inuenietur insufficiens ad grauem obligationem connincendam. Et ideò libenter addere soleo, obligationem illam etiam niti in virtute canonum disponentium, vt huiusmodi leges à clericis seruentur, quos in citato loco retuli cum authoribus, qui obligationem talium legum hoc modo declarant, & rationibus, quæ hunc modum dicendi confirmant. Quæ non repugnat sententiæ dicenti, has leges obligare ex vi rationis, quia illa non excludit acceptationem canonum, aut virtutem eorum, nec prohibet recursum ad illam, quãdo solâ vis rationis grauem obligationem in clericis ad huiusmodi leges ciuiles seruandas, non ostenderit.

Sed quæres, suppositâ hac sententia, quòd clerici 17 non obligentur ad obseruationem harum legum *An clerici fiat à vi dict. rectitudo legũ ciuilium ex-* ex vi illarum, sed aliunde, an clerici simpliciter dicendi sint exempti, vel potius non exempti à vi directiua talium legum. Et ratio dubitandi est, *empti.* quia si non obligantur in virtute illarum, non potest esse nisi ratione exemptionis à iurisdictione, qua feruntur tales leges, vt declaratum est; ergo simpliciter dicendi sunt exempti à talibus legibus. Item qui non tenetur ex obedientia legi parere, profectò exemptus est ab illa; clerici autem, si non obligantur talibus legibus ex vi illarum, non tenentur illas seruare ex vi obedientiæ authoribus earum debitæ; ergo sunt exempti à talibus legibus. In contrarium verò est, quia clerici absolutè tenentur obseruare tales leges; ergo absolutè non sunt ab illis exempti, quia exemptio absolutè dicit libertatem, & carentiam obligationis; quomodo ergo obligatus manens potest dici exemptus? 18

Propter quas rationes variè solent loqui authõres. Aliqui enim, licèt dicant, clericos non obligari *Varia sententia.* his legibus virtute illarum, negant nihilominus esse exemptos ab illis. Alij verò consequenter putant dicendum, illos esse exemptos etiam à vi directiua talium legum, quandoquidem non vi illarum obligantur, sed rationis, vel canonici iuris. Mihi ta- *Auctoris iudicium.* men videtur controuersia solum de modo loquendi, existimoque propriè dici posse, illos non esse exemptos ab obseruantia talium legum, neque ab obligatione faciendi id, quod per ipsas præcipitur, & vitandi quod prohibetur. Et nihilominus posse etiam dici, esse exemptos à virtute, seu proprio vinculo earundem legum. nam hæc duo non repugnant & vtrumque probant rationes pro vtraque parte factæ. Et ita potest de clericis dici, obseruare has leges vt liberos à iugo illarum, quia non sunt liberi à iugo rationis naturalis, & iuris canonici, quod ad perfectã exemptionem pertinet, & ipsorum statui consentaneum est. Vl-

19 Leges ciuiles etiã non noxiæ nõ obligãt clericos quoad vim coactiuam.

Vltimò dicendum est, leges ciuiles etiam communes omnibus ciuibus, & clericis non noxias, neque indecentes, non obligare clericos quoad vim coactiuam, ac subinde exemptionem ab huiusmodi vi talium legum ad plenam Ecclesiasticorum libertatem maximè pertinere. Assertio est certa, in qua conueniunt omnes doctores Catholici, quos loco suprà citato allegaui. Sequiturque manifestè ex præcedenti; nam si verum est, has leges non obligare clericos virtute sua etiam obligatione directiua, multò minus poterunt cogere illos vi coactiua. Declaratur autem simpliciter in hunc modum, quia lex in tantum ligat vi coactiua, in quantum pœnam imponit, quod duobus modis potest efficere, scilicet, vel ipso facto inferendo pœnam, vel præscribendo per iudicem inferendam. Priori modo non potest lex ciuilis per se ipsam punire clericum, quia exemptus est in criminalibus à foro sæculari, vt suprà probauimus, quod verum est nõ solùm de foro inferioris iudicis, sed etiam supremi Regis, vt etiam ostendi; ergo lex ciuilis, seu Regia non procedit à potestate coactiua clerici: ergo non potest per se ipsam illum punire, quia virtus eius commẽsuratur potestati, à qua procedit. Et confirmatur, quia non potest Princeps temporalis in actuali, seu personali iudicio sententiam (quam ab homine vocãt) contra clericum proferre: ergo nec potest per legẽ sententiam latã in clericum dicere, seu sub tali sententia clericum comprehendere, quia extra forum suum ius diceret.

20 Neque etiam leges imponentes pœnam posteriori modo, possunt exercere vim suam in clericos, quia non exercét illam, nisi mediante iudice; aut ergo iudex ille erit laicus, aut clericus. Si sit iudex laicus nõ solum non potest exequi talem pœnam in clericum, verùm etiam nec condemnare illum, nec cognoscere de causa, vel de peccato eius, etiamsi legem ciuilẽ fuerit transgressus, quia non est iudex competẽs eius in aliqua causa siue ciuili, siue criminali, ad quam clericus vt reus trahatur, sicut ostensum est: ergo per iudicem sæcularem non potest lex ciuilis suam vim coactiuam in clericum exercere. Si autem iudex sit Ecclesiasticus non tenetur pœnam legis ciuilis clerico imponere; tum quia sæpè non erit, vel decens, vel accommodata statui clericali; tum maximè, quia iudex Ecclesiasticus non tenetur secundum leges ciuiles iudicare, aut pœnas imponere, sed secundum ius canonicum, quod si in illo nulla lex sit designans pœnam pro tali delicto inferendam, iudex Ecclesiasticus arbitrio suo illam imponet. Et poterit quidem si opportunum, & absque inconuenienti fieri posse iudicauerit, leges ciuiles imitari (nam canones ipsi hoc non dedignantur, vt ipsimet dicunt) non tamen tenetur. Nam lex ciuilis designando pœnam per iudicem imponendam, instruit, obligando, iudicem sæcularem, non Ecclesiasticum, super quem iurisdictionem non habet. Et quamuis lex illa vt imponens pœnam in communi loquatur, abstrahendo à iudice sæculari, vel Ecclesiastico, nihilominus sub ea ratione non est ex illis legibus communibus, quas clerici obseruare tenentur. Quia vniformitas in supplicijs, & pœnis in omnibus membris reipublicæ non pertinet ad bonum regimen eius, ideoque nec canones illam præcipiunt, nec ratio naturalis illam dictat, sed potiùs postulat vt pro diuersitate statuum diuersis modis transgressores puniantur. Definire autem pœnas clericis accommodatas pro quocunque delicto, non pertinet ad leges ciuiles, sed ad Ecclesiasticas, & vbi illæ defuerint, arbitrio Ecclesiastici iudicis meritò relinquũtur, quia ipse etiam melius iudicabit de qualitate pœnæ clerico imponendæ, quàm ciuilis potestas, siue per sententiam, siue per legẽ loquatur; ergo nullo modo lex ciuilis sub vi sua coacti ua clericum comprehendit.

21 obiectio.

Dices. Ergo clericus puniri non poterit propter transgressionem legis ciuilis, vel saltem iudex Ecclesiasticus non tenebitur illum propter tale delictum punire; consequens est valde absurdum, quia ineffi cax valde esset vis directiua sine vlla coactiua, & delicta publica cõtra commune bonum manerent impunita. Prior sequela probatur, quia clericus exemptus est à vi coactiua legis ciuilis; ergo exemptus est non solùm à tali specie pœnæ, sed etiam simpliciter à pœna, quia aliàs lex illa aliquam vim coactiuam exerceret in clericum, ligando illum ad pœnam, seu debitum pœnæ inferendo. Et à fortiori non tenebitur iudex Ecclesiasticus tale delictum punire, quia vel reus ex vi talis legis simpliciter non subijcitur pœnæ, vel certè iudex ipse non tenetur secundum talem legem iudicare, & ideò sicut non tenetur reum punire tali modo, ita nec simpliciter punire.

22 Solutio.

Respondetur negando sequelam quo ad vtramque partem; nam transgressor talis legis quamuis sit clericus, eo ipso quòd transgreditur legem, quam quocunque titulo seruare tenetur, fit reus pœnæ, nõ ex vi legis ciuilis, sed ex vi iuris naturalis, & gentium, quo peccator fit reus pœnæ non solùm apud Deum, sed etiam apud homines, quando crimen rempublicam offendit. Et ita cessat ratio in contrarium, quia, hic reatus pœnæ non oritur propriè ex vi coactiua legis ciuilis tanquam ex causa, sed ex lege naturali; lex autem ciuilis solùm fuit quasi remota occasio, quia non posita illa lege, actio illa non fuisset mala, & consequenter nec pœna digna. Similiter ad alteram partem dico, teneri iudicem Ecclesiasticum punire simile delictum clerici, si ad iudiciũ suum deferatur, non ex vi legis ciuilis, vt probat argumentum, sed ex vi legis iustitiæ, & officij sui, quo tenetur vindicare, & emendare delicta subditorum suorum, contra quamcunque legem commissa. Eo vel maximè, quòd illud crimen magis est contra legem canonicam, vel naturalem, quam contra legem ciuilem, etiam si existentiam talis legis prærequirat.

23 An leges ciuiles clericorũ cõtractus irritare valeant.

Quæri tandem hic potest, an hæc exemptio clericorum respectu ciuilium legum extendatur ad vim irritandi aliquos actus, seu contractus humanos, quam hæ leges interdum exercent: quod est quærere, an lex ciuilis irritans contractus, qui tam à clericis, quàm à laicis fieri solent, irritet etiam illos factos à clericis, vt verbi gratia, an testamentum factum à clerico sine solennitate requisita iure ciuili, sit validum, &c. Respondeo breuiter, distinguendum esse de irritatione, quædam enim est pœnalis, vt quæ in pœnam imponitur, vel quæ resultat ex inhabilitate aliqua ipso iure imposita per legem in pœnam alicuius criminis; alia verò est irritatio, quę per se sit propter bonum commune, etiam si culpa operantis non intercedat. Dico ergo, legem ciuilem irritantem, si propriè pœnalis sit, non comprehendere clericos quoad vim, seu actum irritandi. Probatur, quia lex ciuilis non ligat clericum quoad vim coactiuam, nec quoad pœnam ipso facto impositam, quæcumque illa sit, vt probatum est, sed talis irritatio fit per vim coactiuam legis, & per modum cuiusdam pœnæ imponitur; ergo non ligat clericum irritando actum eius, sicut etiam si imponat aliquam inhabilitatem ad similem actum, non inducit illam in clericum, quia omnes rationes factæ de cæteris pœnis, etiam in his procedunt.

24

At verò si lex ciuilis per se directè irritet actum propter bonum commune, dicendum est, comprehendere clericos quoad vim irritandi, quia tunc non pertinet ad vim coactiuam, sed ad directiuam. Essetque hoc manifestum, si verum esset, leges huiusmodi obligare clericos ex vi legis, & iurisdictionis, quia tunc nihil est, quod eximat clericum à tali effectu legis cum ab eadem iurisdictione directiua morum procedat. Verumtamen etiam tenendo has leges solũ obligare clericos vi rationis, id asseruit Vasquez

1.2. disp.167.cap.4.quia talis(inquit) irritatio necessaria est, vt pax, & bona reipublicæ gubernatio constet. Quod non caret difficultate, quia irritatio hæc positiua, seu per hominem inducta non fit sine iurisdictione, & potestate supra personam, vel voluntatē cuius actus irritatur. Et ideò merito addere possum°, leges ciuiles habere hunc effectum, quia per ius canonicum simpliciter quoad vim directiuam acceptātur, atque ita irritatio illa fundatur in iurisdictione potius Ecclesiastica, quam ciuili. Vnde etiam prædicta assertio limitanda est, vt non procedat, quando ius canonicum alia via sustinet actum, vel in fauorē clerici, vel (vt sic dicam) in fauorem ipsius actus, tunc enim prævalet ius canonicum respectu clericorum. Vt verbi gratia testamentum clerici valet sine solennitate ciuili, quia ius canonicum minori contentum est in fauorem vltimæ voluntatis, cap. *Cum esses*, de Testament. & idem est in similibus.

CAPVT XVII.

QVALE SIT ECCLESIARVM PRIuilegium quoad suam, suorumque bonorum exemptionem ab oneribus, & à potestate seculari.

1. SVpereſt dicendum de alia virtute legis humanę, quæ est ad imponendum onera, vel tributa subditis: & quoniam hęc interdum personis, interdum rebus ipsis solent imponi, ideò de illis sigillatim dicendum est. Quia verò non solum clerici, sed etiam Ecclesiæ ipsæ hac gaudent immunitate, dicemus priùs de Ecclesijs ipsis, & Ecclesiasticis bonis, posteà verò de clericis, & eorum bonis. Distinguimus ergo in primis bona Ecclesiastica à bonis clericorum: nam priora, vt suprà dixi, sunt magis sacra, & religiosa, quia ad diuinum cultum, & ad opera pietatis per se ordinantur, bona autem clericorum de se mere temporalia sunt, quamuis personis Ecclesiasticis quasi adhæreant, & ideò de his postea dicemus.

2. Nunc circa bona Ecclesiastica est vlteriùs aduertendum, multa sub illis comprehendi posse, inter quæ primum locum tenent ipsæmet Ecclesiæ, à quibus reliqua bona sacra Ecclesiastica denominari videntur. Quæri autem potest, quid nomine Ecclesiarum, vel Ecclesiæ hic intelligamus. Potest enim intelligi vel templum ipsum, quod ad vsum sacrificij, sacramentorum, & vt in eo fideles ad orandum, & verbum Dei audiendum conueniant, dedicatum, & consecratum est: vel potest nomine Ecclesiæ particularis intelligi collegium clericorum, qui vnicuiq; Ecclesiæ seu templo ad seruitium eius, & diuini cultus, & fidelium curam, cæterarumq; rerum sacrarū, & bonorum custodiā & administrationem deputati sunt. Vel tertiò nomine Ecclesię particularis intelligi potest tota congregatio fidelium ad eandem Ecclesiam, seu templum pertinentium, quatenus in illa recipiunt sacramenta, & illius Pastori in his, quæ ad animam pertinent, proximè subsunt, & secundum eam rationem peculiarem vnionem spiritualem habent.

Aliquæ Ecclesiæ acceptiones præmittuntur.

3. Et quamuis verum sit, vocem illam in omnibus his significationibus esse vsitatam, præsertim in prima, & tertia, nihilominus hæc vltima præsenti instituto non inseruit. Quia Ecclesia illo modo sumpta non habet peculiarem exemptionem, seu libertatem Ecclesiasticam præter eam, quæ ad spirituale regimē spectat, de qua diximus in cap.1. Neque illa congregatio habet alia Ecclesiastica bona, præter ea, quæ ad clerum, vel templum spectant. Ecclesia etiam secundo modo accepta, quæ frequētiùs dicitur clerus, vel capitulum, si consideretur vt persona quædam ficta, eandem rationem exemptionis habet, quam clerici, & ideo sub illis comprehenditur: si verò spectatur quoad bona ad vsum sacrum, & templi deputata, eiusque curæ commissa, sic non habet exemptionem aliam, præter illam, quam de bonis Ecclesiasticis explicaturi sumus. Superest ergo vt de Ecclesia loquamur, vt est locus sacer, ad cuius seruitium, vel ornatum, & ad ministeria sacra, quæ in illa fiunt, cęteraque opera pietatis alia bona Ecclesiastica ordinantur.

Quæ ex dictis acceptionib. præsenti inseruiat instituto declaratur.

4. Potest item Ecclesia hoc modo sumpta considerari, vel sub generali ratione rei sacræ, & sic habet exemptiones, seu immunitates cæteris rebus sacris, cum quibus in illa generali ratione conuenit, communes, de quibus statim dicemus. Vel etiam considerari potest Ecclesia sub ratione propria loci, seu domus, quæ ad custodiendas, vel protegendas personas, quæ in ea existunt, vel ad eam confugiunt, vel ad custodiam rerum, quæ in ea collocantur, ordinatur. Et sub hac ratione habēt ecclesiæ, & loca sacra, quatenus talia sunt, priuilegia quædam propria, & sibi specialiter accommodata. Quæ priuilegia in generali sumpta ex ratione naturali resultant, in particulari verò aliqua sunt per leges canonicas determinata, vel declarata. Suppositā enim institutione, & benedictione, vel dedicatione sacra talis loci, ratio ipsa naturalis dictat, vt ab omni actione indecente, vel quæ sit contra reuerētiam tali loco debitam, seruetur immunis. Quæ autem actiones cedant in iniuriam, vel irreuerentiam loci sacri, si per legem Ecclesiasticam non definiatur, prudenti arbitrio relinquendum erit.

Varię Ecclę. fiarū immunitates.

5. Magna autem ex parte hoc determinauit Ecclesiastica lex, priuilegia aliquarum immunitatum Ecclesijs conferendo. Primò definiēdo, per quas actiones Ecclesia polluitur iuxta Ecclesiasticam institutionem easque vetando. Secundò prohibendo, ne Ecclesiæ vt laicæ domus tractentur, in eis communia supellectilia sine magna necessitate recipiendo, seu admittendo, c.2. de Custodia Eucharistiæ. Tertiò prębendo Ecclesijs immunitatem, & exemptionem ab actionibus forensibus, quæ ad sæcularia iudicia, vel ad tractanda negotia politica, aut bellica, vel ad mercaturam pertinent. Quartò tribuendo Ecclesiæ peculiarem vim custodiēdi bona in eis deposita, vel quouis modo collocata, vt sine speciali sacrilegio per iniuriam inde subtrahi non possint. Deniq;, vt alia omittam, datum est templis priuilegium tuendi reos ad ea confugientes, ita vt à ministris sæcularis iustitiæ sine iniuria, & graui sacrilegio inde non possint per violentiam extrahi. De quibus immunitatib° dixi latè in tract.2. de Relig. toto lib.3. & præsertim de hac vltima à c.8. vsq; ad finē, & ideo illa nūc prætermittimus. Solùm enim ea tetigimus, vt constet, quomodo Ecclesię prout est locus sacer, ab oneribus, seu actionibus, & (vt ita dicam) passionibus prophanis, & ab Ecclesia prohibitis exempta sit. De exemptione autem à tributis respectu Ecclesiæ sic acceptę nihil dicere necesse est, quia licèt sit res immobilis, non est res (vt ita dicam) fructifera temporalium bonorum, seu fructuum, & ideo non est capax tributi, præterquam quod quatenus Ecclesia est res sacra, habet, vt dixi, omnem exemptionem communem alijs bonis, & rebus sacris, de quibus iam dicendum est.

Bona Ecclesiastica duplicia sunt, quædam eis, quædam specialiter consecrata, alia nō ita.

6. Præter Ecclesias ergo cætera Ecclesiastica bona in duo membra distingui possunt, quædā sunt, quæ propriè dicūtur res sacræ, quia vel per specialē benedictionem consecratæ sunt, vel sunt instrumēta diuini cultus; alię verò sunt, quę generale nomen retinēt, & propriè dicūtur bona Ecclesiastica, siue mobilia, siue immobilia, quæ quatenus ad Dei cultum, sustentationem ministrorum, subsidium pauperū, & alias tēporū expēsas destinata sunt, inter res sacras cōputātur, teste D. Thom. 2.2. q.99. art.4. & q.185. ar.7. De rebus sacris prioris ordinis certum est gaudere multis immunitatibus à cōmunibus vsibus, vel ministeriis, & ab

& ab omni iniuria, & iniqua alienatione. Nam hoc genus immunitatis ratione naturali fundatũ est, quia Sancta debent sanctè tractari; ea verò, quæ Deo dicata sunt quandam sanctitatem participant; ergo ipsa ratio dictat, non esse ad vsus prophanos transferenda. Et ita in lege veteri vasa templi in magna erant veneratione, & ideò specialiter consecrabantur, vt ait D. Thomas 1.2.q.102.art.4.ad 9. & propterea non poterant ad alios vsus prophanos, vel communes applicari. Vnde Daniel. 5. Balthasar Rex Babyloniæ, qui vasa templi in quodam suo cõuiuio prophanare ausus est, statim diuinam sensit vindictam, vt ibi Hieronymus, & Theodor. notant, & Stephanus Papa. 1. epist. 1. ad Hilar. c. 3. & habetur in cap. *Vestimẽta*, de Consecrat. dist. 1. Quin etiam inter gentiles suo modo fuit hoc ius rebus sacris conseruatum, vt colligimus ex l. *Interstipulantem*, §. *Sacra*. ff. de Verborum obligat. nunc autem maximè iure canonico confirmatum est, vt constat ex cap. *Ligna* cum multis sequentibus, de Consecrat. dist. 1. & cap. *Quæ semel* cum sequent. 19. quæ. 3. & ex regula *Semel* de Regulis iuris in 6. & nouo etiam iure ciuili declaratum hoc est in l. *Sancimus*. Cod. de Sacrõsanct. Eccles.

7 Pertinet autem hæc immunitas ad quandam venerationem, seu honorarium cultum huiusmodi rerum sacrarum, & ideo in materia de Adoratione explicata est. Et propter eandem causam non ita conuenit hæc immunitas alijs bonis Ecclesiasticis secundi ordinis, quia illa non sunt proxima instrumenta diuini cultus. Ideoque priora bona dici solent exempta ab humano commercio, & vsu; hæc verò posteriora esse possunt in humano commercio, & ad ordinarios vsus applicari, dummodo debito modo, & cum pietate fiat. Vt sumitur ex ca. *Sine exceptione*; capit. *Aurum*, & capit. *Gloria*, cum alijs multis. 12. quæst. 2. Nam quia hæc etiam posteriora bona aliquo modo sacra sunt, hoc saltem ex vi suæ institutionis requirunt, vt solum in religiosos, vel pios vsus proximè consumantur, quia ad hunc finem Ecclesiæ data sunt, vt multi canones tradunt in dicta 12. quæ. 2. Quod si bona sint immobilia, vel pretiosa, peculiare habent priuilegium, vt alienari non possint, nisi modo, & ratione iure canonico præscriptis, cap. *Nulli* cum alijs de Rebus Ecclesiæ non alienandis.

Res diuino cultui dicatæ ab humanis vsibus eximuntur. Vide Sarmien. de Reddit. Eccles.

8 Præterea omnia ista bona Ecclesiastica dici possunt gaudere priuilegio fori, seu, quod idem est, esse exempta ab omni iurisdictione, seu potestate sæcularium Principum, seu Magistratuum. Primò quoad administrationem, nam per Ecclesiæ ministros custodiri, conseruari, transferri, aut permutari, distribui, vel quando oportuerit, alienari debent, non per laicos, quibus nulla super hæc bona est attributa potestas iuxta suprà dicta in cap. 2. & 15. & ex dictis ibi constat, immunitatem harum rerum quoad hanc partẽ ex iure diuino descẽdere, supposita institutione Ecclesiæ, & potestate data Petro, & successoribus eius ad vniuersas res Ecclesiasticas per se, vel per ministros suos administrandas. Vnde in Concilio Lateran. sub Leone X. in Bulla de Reformatione curiæ §. *Et cum fructuum*, dicitur, prohibitum esse iure diuino ne laici ius administrandi bona Ecclesiastica vsurpent.

Omnia Eccles. bona gaudẽt priuilegio fori.

9 Ratio verò est, quia hæc bona si considerentur vt sacra, per se ordinantur ad spiritualem, & supernaturalem finem, & ideo ex vi iuris diuini administratio eorum ad spiritualem potestatem pertinet. Si verò considerentur ratione materiæ, sic eo ipso, quòd tradita sunt Ecclesiæ, facta sunt extra dominium, & potestatem laicorum, & diuino cultui dicata sunt, & sub speciali ratione sub Dominio Dei constituta, vt significauit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 1. de Reformat. prohibens Episcopis, ne res Ecclesiasticas, *quæ Dei sunt*, consanguineis donent, qui modus loquendi est frequens in sacris canonibus, vt videre licet in multis decretis. 12. quæst. 1. & 2. 16. q. 1. & 7. & in cap. *Cum secundum Apostolum* de Præbend. vbi hæc bona vocantur patrimonium Christi, quod etiam habetur in cap. cum ex eo de Elect. in 6. Et in cap. *Tua nobis*, de Præbend. decimæ peculiari titulo & modo dicuntur esse bona Dei. Ergo administratio talium bonorum ad eos pertinet, quos Deus dispensatores suorum bonorum constituit; huiusmodi autem dispensatores sunt præcipuè Romanus Pontifex, & sub illo episcopi in suis diœcesibus, iuxta mensuram potestatis sibi concessæ, vt Pontifices, & varia Concilia docuerunt, quæ apud Gratianum videri possunt dist. 96. præsertim cap. 1. & vltimo, & dicta 12. q. 1. & 2. & 17. q. 1. & 7. Et optimè Ambros. in cap. *Conuenior*. 23. q. 8. ex epist. 33. ad Sororem. Et propterea sacrilegi appellantur, qui per potestates sæculares huiusmodi bona Ecclesiastica vsurpãt, tanquam rerum sacrarum violatores.

Ratio diffe exẽptionis.

Secundò dici possunt hæc bona gaudere priuilegio fori, quia exempta sunt à legibus ciuilibus, ita vt nihil circa illa in particulari disponere possint, vt ex dictis in capite præcedenti satis notum est, & sumitur ex cap. *Ecclesia*, & cap. *Quæ in Ecclesiarum*, de Constitut. & cap. vlt. de Rebus Ecclesiæ non alienãdis. Et traditur apertissimè in Concilio Romano sub Symmacho, quod allegauit Innocentius 3. in dicto cap. *Ecclesia*, & refertur in cap. *Bene quidem*, 96. dist. vbi lex quædam super Ecclesiastica bona lata à quodam Basilio homine laico, & vrbis Romæ Præfecto, licèt esset fauorabilis Ecclesiæ, nulla declaratur ex defectu potestatis. Ne in exemplum remaneret præsumendi, quibuslibet laicis, quamuis religiosis, vel potentibus in qua cunque ciuitate quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis sacerdotibus disponendi indiscusse à Deo cura commissa docetur. Ratio ergo est, quia tales leges sunt nullæ, vt pote sine iurisdictione factæ; nam sicut ciuilis Magistratus, aut Princeps non habet potestatem administrandi Ecclesiastica bona, ita nec iurisdictionem habet ad ferendas leges, per quas circa eadem bona aliquid disponat. Tum quia eadem ratio versatur, videlicet, quòd hæc bona eo ipso, quòd speciali titulo facta sunt diuina, & spiritualia per specialem habitudinem ad supernaturalem finem, constituta sunt extra obiectum, & materiam iurisdictionis temporalis. Tum etiam, quia dispositiones legum circa aliqua bona continent (vt sic dicam) principalem dispositionem, & administrationem talium bonorum quasi eminẽter, seu virtute; quia huiusmodi leges sunt regulæ, per quas dirigi debet talium bonorum administratio; ergo qui talia bona administrare non possunt, multò minus poterunt leges circa illa condere. Quapropter non minùs iuris diuini est hæc exemptio à lege ciuili, quàm ab administratione laicorum. Est tamen varijs modis determinata hæc exemptio per Ecclesiasticos canones præscribentes modum circa alienationes, translationes, & alios modos dispensandi, vel administrandi hæc bona, vt videre licet in decretis antiquis allegatis præsertim 12. quę. 1. & toto titulo de Rebus Eccles. non alien. & in cap. *Pastoralis*, de His, quæ fiunt à Prælatis sine consensu capituli. Vnde per easdem leges canonicas aucta est hæc exẽptio per varia priuilegia Ecclesijs concessa circa bona sua, vt circa alienationes, præscriptiones, & similia, de quibus hic non est dicendi locus, sed videri possunt Doctores Canonistæ in cap. *Nulli*, de Rebus Ecclesiæ non alienandis, & summistæ præsertim Syluest. verb. *Alienatio*. & verb. *Ecclesia*, 2. & 3.

10 *Bona Ecclesiastica etiã à legibus ciuilib. sunt exempta.*

Tertiò eadem ratione gaudent hæc bona exemptione ab onere iudicij sæcularis. In quo breuiter aduertendum est, duobus modis posse hæc bona considerari, primo præcisè quatenus res sacræ sunt, & vt sic manifestum est, non posse circa illa versari sæcularia

11 *Bona Ecclesiastica exẽpta sunt à iudiciis sæcularibus.*

culária iudicia, nam si dubitatio aliqua, vel lis circa illa vt sacra sunt, moueatur, ex ipsa rei natura, & diuino iure, ad Ecclesiasticum iudicium pertinet, quia est materia sacra, & spiritualis, vt si tractetur; an Ecclesia sit polluta, nec ne, vel an calix sit rectè cõsecratus, & similia. Alio modo possunt hæc bona considerari ratione materiæ, secundũ quam temporalia bona sunt, & de illarũ dominio, vel iure vtẽdi, aut fruendi illis litigari potest, & hoc modo etiam constat, hæc bona esse exempta à iudicio sæculari, vt notant Glossa, Panormit. & Doctores in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, de Constitut. per illum textum, & per cap. *Si clericus*, cum similibus de Foro comp. & cap. *Decernimus*, de Iudicijs cum alijs quæ cap. 13. adduximus. Hæc enim pars ferè coincidit cũ his, quæ ibi diximus de exemptione clericorum in causis ciuilibus. Nam si clerici eximũtur quoad propria bona à sęculari iudicio, multò magis quoad bona Ecclesiastica. Vnde hoc intelligendum est cum declaratione ibi addita, nimirum, vt procedat, quando ipsa Ecclesia est rea, seu in iudiciũ vocatur à laico, vel (quod perinde est) quando laicus prætendit, talia bona esse sua, vel aliquod in eis ius habere. At verò si è cõuerso Ecclesia, seu Pastor eius pro huiusmodi bonis, quæ Ecclesiastica esse prætendit laicũ conueniat, tunc nõ habet locum exemptio à sæculari iudicio, quia reus in foro suo conueniri debet, nisi fortasse sacrilegium intercesserit, ratione cuius potest reus immediatè trahi ad iudicium Ecclesiasticum, vt in prædicto capite satis explicatum est.

CAPVT XVIII.

AN EXEMPTIO A TRIBVTIS SAEcularibus conueniat Ecclesiis, earumque bonis, quatenus Christi patrimonium sunt.

1 ECclesiarum nomine, vt præcedenti capite explicaui ipsa materialia temporalia, vel loca sacra intelligimus; per Ecclesiastica autem bona res omnes sacras, & quæ ad vsus Ecclesiarum, Deo, seu ipsis Ecclesijs donatæ sunt, & sub administratione eiusdem Ecclesiæ, seu ministrorum eius perseuerant. Nam de bonis proprijs clericorum postea dicemus. Distingui autem possunt hæc bona in immobilia & mobilia. Sub immobilibus non solùm fundos, prędia, domos, & similia corporalia bona, quæ fixam radicem habent, sed etiam iura fructifera, vt census, quibus annui redditus respondent, & seruitutes, & similia bona perpetua, quæ incorporalia dicuntur, comprehendimus, iuxta iuris consuetudinem in Clementin. *Exiui.* §. *Cum annui redditus*, de Verbor. signific. & quæ notantur à Doctoribus in cap. *Nulli*, de Reb. Eccles. non alienand. & Glossa in cap. 2. de Reb. Eccles. non alienand. verb. *Iura*. Sub mobilibus autem cæteras res omnes Ecclesiæ vsibus deputatas, cuiuscunque æstimationis, vel valoris sint, complectimur. Nam licèt, in ordine ad perpetuam conseruationem, prohibendamque alienationem soleant res pretiosæ Ecclesiæ sub immobilibus comprehendi, quia eodem iure censentur, vt notat Panormitan. in cap. *Tua* de his, quæ fiunt à Prælatis, &c. tamen in ordine ad tributa non habent peculiarem rationem, & ideò inter mobilia censentur sicut re vera talia sunt, iuxta l. *Lex quæ mancipia*, Cod. de Administrat. tutorum. Ea verò, quæ se mouentia vocantur, licèt immobilia propriè dici non possint, vt per se constat: quatenus fructifera esse solent, & per quandam successionem possunt esse perpetua, ad illa nunc reuocantur.

Bona Ecclesiastica quædã mobilia, alia immobilia, vtraque quid.

2 Per tributa verò sæcularia, illa intelligimus, quæ à Regibus, seu temporalibus Monarchis, vel alijs Magistratibus iure possunt, vel solent imponi. Nam de tributis, quæ à Summo Pontifice possunt exigi, & Ecclesiastica possunt vocari, non est in præsenti consideratio, illa enim non sunt contra exemptionem Ecclesiasticam, nam hæc est à potestate ciuili non à Pontificia. Imò quia hæc bona subsunt plene potestati Pontificis, eximuntur à potestate sæculari, eoque ista exemptio refertur, vt illa subiectio plenè possit impleri: Ideoque dubium non est, quin Ecclesiastica bona possint aliquibus tributis Ecclesiasticis subijci, saltem per Summum Pontificem, qui est supremus eorum dispensator. Qualia vero, & ob quas causas futura sint, & an ab inferioribus Prælatis introduci possint, non est, vt dixi, præsentis considerationis, sed in materia de Præbendis, & beneficijs Ecclesiasticis tractandum est.

Sæcularia tributa quæ.

Tributa sæcularia duplicia.

Deinde tributa sæcularia, quamuis multiplicia sint, vt in libro 5. de Legib. dixi, in præsenti in duo capita distingui possunt, iuxta diuisionem positam rerum mobilium, & immobilium: quædam ergo tributa de rebus immobilibus postulantur, & solet vocari tributa realia, seu pensiones, aut vectigalia, quãuis hæc nomina interdum communiora sint. Alia verò sunt tributa, quæ de rebus mobilibus petuntur, vt gabella, quæ etiam vectigal à vectando appellatur. Est enim differentia notãda inter res mobiles, & immobiles, quòd mobiles, quia non sunt fructiferæ, de se non sunt capaces tributorum, nisi quatenus subsunt negotiationi, vel transportationi ab vno loco in alium, & ideò talia tributa inde accipiunt nomina vectigalium, &c. Res autem immobiles quatenus fructiferæ sunt, per se sunt capaces alicuius pensionis, & ideo hac voce circa illas vtemur.

Conclusio. Omnia bona Ecclesiastica sunt à tributis exempta.

Dico ergo. Bona Ecclesiastica tam mobilia quam immobilia à tributorum solutione esse exempta. Conclusio est certa, & communis Doctorum locis infrà citandis, & sumitur ex cap. *Non minus*, & cap. *Aduersus*, de Immunit. Ecclesiar. & cap. *Quanquam*, de Censib. in 6. & cap. 2. de Immunit. Ecclesiast. in 6. & Clementin. 1. eodem titul. Et in Extrauag. *Quod olim*, eodem. Item in iure ciuili confirmata est hæc immunitas præsertim in constitutione Friderici post libros Feudorum, & habetur etiam in l. 1. §. *Item nulla*, C. de Episcop. & Cleric. Denique optimum argumentum sumitur ex capit. 2. de Censib. quatenus dicit, tributum esse signum subiectionis; cum ergo neque Ecclesiæ, neque earum bona sint subiecta potestati sæculari, neque etiam tributis sæcularibus subijci possunt. Quæ ratio generalis est de omnibus Ecclesiasticis bonis, & ita etiam loquuntur alia iura.

Ratione probatur conclusio.

Vt autem fundamentum huius immunitatis in his bonis specialiter declaremus, aduertere oportet duos respectus in eis considerari posse, vt in eis hæc immunitas fundetur, vnus est, quòd huiusmodi res sunt sub speciali dominio Dei, vt dixi: alius est, quia tales res sunt specialiter consecratæ, aut benedictæ. Prior respectus generalis est omnibus his bonis, quæ Ecclesiastica nuncupantur, & ideo de illo in hoc capite dicemus, de altero verò, qui minus vniuersalis est, dicemus capite sequenti. Dico ergo, habitudinem illam ad Deum tãquam ad peculiarem dominum sufficere ad fundandam dictam exemptionem, non solùm in humano, sed etiam in diuino, & naturali iure. Nam si Dominus bonorum non potest esse subiectus tributis, neque etiam ipsa bona possunt tributis onerari, vt infrà etiam de clericis dicemus, tum quia bona adhærent personæ, & sequuntur conditionem eius tanquam accessorium principale; tum etiam, quia solutio talis tributi per se non potest ab alio, nisi à Domino bonorum postulari, & ita necesse est, vt in ipsum redundet, & virtute illi tributum imponatur. At verò dominus horum bonorum Ecclesiasticorum nõ potest esse subiectus tributis, cũ sit ipsemet Christus; ergo neque ipsa Ecclesiastica bona. Atque hic optime accommodantur verba Chri-

ba Christi: *Ergo liberi sunt filij*, nam filius naturalis Regis sicut in persona sua exemptus est à tributo, ita & in suis proprijs bonis; ergo multò magis bona Ecclesiastica, quæ propria sunt Christi & veluti proprium patrimonium eius, vt Concilia loquuntur, libera sunt à vectigalibus, & tributis.

6. Obiectio. Dices proprium, & quasi proximum dominium horum bonorum re vera non esse immediatè apud Deum, vel Christum solum, sed apud aliquos homines, vel hominum congregationem habentem ius vtendi, & fruendi talibus bonis, & de illis disponêdi in omnem vsum lege non prohibitum. Vt v.g. bona alicuius monasterij Ecclesiastica sunt; & tamen dominium illorum est apud conuentum talis monasterij, & bona alicuius Ecclesiæ matricis sunt subdominio totius cleri talis Ecclesiæ, vt est quędam particularis, & spiritualis congregatio ex clericis coalescés. Ergo ille titulus diuini dominij non est sufficiens ad fundandam hanc exemptionem à tributis: quia tributum magis cõsideratur respectu proximi domini: nam ab illo soluendum est. Alioqui etiam *Domini est terra, & plenitudo eius*, omnia enim altiùs, & perfectiùs sunt sub dominio diuino, quàm humano, tamẽ quia illud dominium diuinum non excludit humanum, sub hoc posteriori respectu bona humana capacia sunt tributorum; ergo idem erit cum proportione in bonis Ecclesiasticis. Nam licèt peculiari modo dicantur esse Dei, quia ad eius cultum peculiari modo ordinata sunt; nihilominus quatenus sunt bona temporalia, quibus homines vti debent, non possunt non esse sub aliquo humano dominio.

7. Responsio. Duobus modis respondemus, primo negando assumptum: est enim valde probabilis sententia Nauarri asserẽtis, bona Ecclesiastica proximè, & immediatè esse sub dominio Dei, & Christi Domini, non per metaphoram, sed per omnimodam proprietatẽ, ita vt nullus homo, vel hominũ congregatio habeat proprium dominium, sed tantùm dispensationem cum maiori, vel minori plenitudine potestatis. Quã sententiam dicit Nauarr. esse communem consensum omnium catholicorum Doctorum. Et eam latè probat decretis Pontificum, & Conciliorum, ac rationibus, vt videre licet in Apologia de Redditibus Ecclesiasticis, q. 1. monito. 18. & 24. & in nouiori editione tract. de Redditib. q. 1. monit. 16. 21. & 40. & qu. 3. monit. 31. nu. 7.

8. Bona Ecclesiastica esse immediatè sub dominio Dei probatur. Estque hæc opinio satis pia, & probabilis, quæ hac ratione præter alias suaderi potest, quia si aliquis homo esset Dominus horum bonorum, maximè Sũmus Pontifex, nam apud illum est suprema potestas dispensandi omnia Ecclesiastica bona, vt suprà visum est, & passim in canonibus traditur dist. 96. 12. q. 2. & in titulis de Reb. Eccles. non alienand. & de Immunit. Ecclesiar. At Pontifex ipse non habet proprium dominium rerum Ecclesiasticarum etiam illarum, quæ specialiter sunt Ecclesiæ Romanę, vt sumitur ex Concilio Roman. 3. sub Symmacho, cap. *Non licet*, 12. qu. 2. Non enim potest suo arbitrio hæc bona expendere, vel alienare, sed tantùm vt fidelis dispensator & prudens; ergo nec tota Ecclesia vniuersalis habet tale dominium in talia bona, quia ipsi videantur in suo capite donata: sicut neque aliqua Ecclesia particularis habet propriũ dominiũ suorum bonorũ Ecclesiasticorum, quia quælibet Ecclesia pendet à Põtifice in suorum bonorum administratione, & vniuersalis Ecclesia etiam in hoc est illo inferior; ergo omnes isti sunt tantùm dispensatores horum bonorum, & non veri domini. Neq; est inconueniens, quòd aliqua bona humana, & temporalia fiant extra dominium mortalium hominum, quia fideles altiori mẽte, quàm humana, scilicet, per fidem operando, illa Christo donare potuerunt, & voluerunt, & ipse quãuis per ministros suos illa acceptet, fieri potest, & fit proprius illorum dominus.

Quia verò non desunt graues authores, qui dominium harum rerum apud homines esse dicunt, saltem apud Ecclesiam, vel vniuersalẽ, vel particularem respectiuè, iuxta intentionem eorum, qui talia bona Ecclesijs donarunt, vt videre licet in Turrecrem. cap. *Videntes*, 12. q. 1. in art. 2. & Caietan. 2. 2. q. 43. art. 8. ideò respondendum est aliter, abstrahendo ab opinionibus, inter quas fortasse, quod ad hoc punctum attinet, magis est quæstio de nomine, quam de re. Dico ergo, esto talia bona sint sub aliquo humano dominio, hoc non obstare, quominus à tributis exempta esse debeant diuino iure. Tum quia non obstante illo dominio Ecclesię, negari nõ potest, quin ad ius Christi Domini peculiari modo pertineant, cum ad eius cultum & honorem peculiariter donata sint, propter quod patrimonium Christi dicuntur, vt vidimus; & in canon. 39. Apostolor. aliàs 40. vocantur hæc bona *Dominica*, seu *res Dominicæ*; hoc ergo satis est, vt neque ad alios vsus applicari, nec tributaria fieri debeant. Tum etiam, quia illæmet personæ, vel communitates, quibus talium rerum dominium attribuitur, non sunt subiectæ sæcularium Principum iurisdictioni; ergo nec talia bona debent ab eisdem Principibus tributis subijci, iuxta regulam paulò anteà posítam. Assumptum declaratur, quia Ecclesia, sub cuius dominio dicuntur esse hæc bona nõ habet hoc dominium, vt est communitas ciuilis, sed vt Ecclesiastica, & vt est corpus Christi mysticum, sed Ecclesia vt talis est, non subest sęculari Principi, sed Pontifici; ergo nec Ecclesiastica bona.

9. a. Solmis.

CAPVT XIX.

AN EXEMPTIO A TRIBVTIS SAEcularibus conueniat Ecclesiæ, & rebus sacris ob earum specialem sanctitatem, seu consecrationem.

ALIVD fundamentum huius exemptionis esse potest peculiaris consecratio, aut benedictio, vel deputatio talium rerum, vt sint quasi proxima instrumenta diuini cultus. Quæ ratio non est ita vniuersalis sicut præcedens, in his tamen rebus, in quibus reperitur, sufficiẽtem causam huic exemptioni à tributis præbet. Et in primis inter bona immobilia tantum Ecclesiæ ipsæ, seu templa, & similia loca diuino cultui proximè dicata hunc peculiarem modum sanctitatis participant. Nam cætera bona immobilia, vt sunt prædia Ecclesiarum, & similia non habent huiusmodi respectum, sed solùm illum, ratione cuius remotè pertinẽt ad diuinum cultũ, quatenus ad sustentationem ministrorum ordinantur. Et ideo D. Thom. 1. 2. q. 99. art. 1. hæc bona collocat in vltimo gradu tertię speciei rerum sacrarum, cum tamen templis, & locis sacris secundam speciem tribuat.

2. 1. Conclusio. Locis sacris etiã ratione cõsecrationis debetur immunitas. Inter bona ergo immobilia, Ecclesiastica templa, & loca sacra merentur (vt ita dicam) huiusmodi exemptionem à tributis ob peculiarem titulum sanctitatis. Ita sumitur ex cap. *Secundum canonica*; & cap. *Sancitum est*, 23. q. 8. & cap. 1. *De censib.* in quibus iuribus area Ecclesiæ seu fundus vbi ædificata est, imò & horti iuxta Ecclesiam positi, & prædia in dotẽ Ecclesiæ peculiariter collata (quæ solent mansus appellari) à tributis eximuntur; ergo multò magis domus ipsæ, seu fabricę templorum, aut Ecclesiarum eadem gaudent exemptione. Nam reliqua, quæ adiacent Ecclesię, sunt & quasi partes eius, eximũtur propter sanctitatem ipsarum Ecclesiarum; ergo multò magis ipsæ Ecclesiæ, iuxta Dialecticorum regulam, *Propter quod vnumquodq. tale, &c.* Quamuis possit etiam alia ratio in Ecclesijs considerari, quia non sũt res fructiferę aliquorum temporalium prouentuum, neque habent vsum ciuilem, seu sæcularem pretio æstimabilem, sed tantum vsum sacrum, ad quem

sanctificatæ sunt, vel peculiariter dicatæ; & ideo A intrinsecè sunt incapaces temporalis tributi. Et eadem ratio exemptionis inuenitur in area Ecclesiæ, & in atrijs, & in alijs partibus, vel locis adiacentibus Ecclesiæ, quæ alium fructum non habent præter eiusdem Ecclesiæ vsum, seu seruitium. Dos autem, seu mansus Ecclesiæ licèt temporales prouentus ferre possit, quia verò omnes illi fructus ad Ecclesiæ sustentationem censentur necessarij, ideò cum ipsa Ecclesia dos eius eximitur.

3 *Bona Ecclesiastica ad sustentationē ministrorum ordinata nō eximūtur ratione alicuius consecrationis.*

In alijs autem Ecclesiasticis bonis tam immobilibus, quàm mobilibus, quæ tantum ad sustentationem ministrorum, vel expensas Ecclesiç ordinantur, vt sunt pecunia, triticum, vinum, & aliæ res vsu consumptibiles, non habet locum ratio specialis consecrationis, vt constat, sed solum eximuntur in prædictis iuribus, vel ex ratione generali diuini dominij, vel quia integrè, & sine diminutione ad sustentationem Ecclesiæ necessariæ sunt. Hæc tamen posterior ratio minus vniuersalis videri potest, quia interdum possunt esse abundantiores alicuius Ecclesiæ fructus, ita vt sumptus computentur, sicut re vera fieri debet, atque ita illa ratio moraliter loquendo erit etiam adæquata, & vniuersalis. Alia verò sunt mobilia bona Ecclesiæ, quæ peculiari, & altiori modo res sacræ dicuntur, quas Diuus Thomas suprà in tertia specie, & in secundo gradu eius numerat. In primo enim gradu ponit sacramenta, quæ ad præsens non C referunt; in secūdo verò ponit vasa consecrata, imagines sacras, & reliquias Sanctorum, sub quibus comprehendit etiam vestimenta sacra; imò & generaliter addit omnia, quæ ad ornatum Ecclesiæ, & ministrorum pertinent; eademque ratio, vel maior est de Chrismate, & Oleo benedicto, quæ ad sacramenta reduci possunt: itemque de Agnus Dei, granis benedictis, & similibus.

4 *Res sacræ si ratione materiæ vēdantur, tributis subijciantur.*

De hoc ergo posteriori genere rerum sacrarum dubitari potest, an secluso respectu ad peculiare dominium Dei, vel Ecclesiæ, ex vi solius consecra- D tionis, seu quasi sanctificationis, quam habent, exemptæ sint à tributis, quorum, res mobiles sunt capaces, vt gabellarum, si ratione materiæ vendantur, aut vectigalium, si ab vno in alium locum transferantur. In quo dubio nihil inuenio specialiter dictum ab authoribus. Solùm enim de bonis Ecclesiasticis in generali tractant, & de illis tam mobilibus, quam immobilibus indefinitè, ac proinde vniuersaliter definiunt, à tributis esse exempta. Sub bonis autem Ecclesiasticis omnes res sacras, quas enumerauimus plane comprehendunt, & consequenter sentiunt, omnes illas eadem exemptione gaudere. E Potest autem hæc sententia fundari in alio principio nimirum, quod illi duo respectu suprà positi, scilicet, rei existentis sub peculiari dominio Dei; & rei specialiter sacratæ, & diuino cultui proximè dicatæ, ita distinguantur, vt prior respectus possit separari à posteriori, tanquam vniuersalior illo; nihilominus posterior nunquam separetur à priori, quia eo ipso, quod res aliqua est aliquo modo sacra definit esse sub humano dominio, & ad solum diuinum proximè pertinet, & inde consequenter fit, vt à tributo humano sit exempta, remotè quidem ratione consecrationis, proximè verò ratione personç Christi, sub cuius dominio existit. F

5 *Res sacræ ex vi solius cōsecrationis ab humano dominio eximantur.*

Illud autem fundamentum, nimirum rem sacram eo ipso, quod talis est, extra humanum dominium fieri, valde commune est inter iurisperitos, ita enim sentit Glossa de rebus inanimatis in cap. *Frequens*, dist. 54. verb. *Reddi*, & in capite. *Comperimus*. 14. quæ. sexta, & in capite, *Episcopus in Diœcesim*, 7. quæstione prima, verb. *Altaria*, quas Glossas ibi Doctores probant. Verum est, illas expresse non dicere, rem inanimem consecratam non posse esse sub humano dominio, sed non posse ad vulgares, & communes vsus iterum conuerti, & ideo si res antè cōsecrationem erat sub alicuius dominio, & inuito dominio consecrata sit, non esse illi restituendam. Quod videtur apertè docere Gregorius in dicto cap. *Comperimus*, aliàs lib. 7. epi. 18. indict. 2. Clarius Nauarr. in dicta Apolog. de Redditib. monito. 24. nume. 5. Vniuersaliter ait bona sacra nullius puri hominis, vel hominum esse, sed Dei tantùm, & Domini nostri Iesu Christi. Quod probat ex §. *Nullus*, Instit. de Rerum diuis. vbi res sacræ nullius esse dicuntur, vbi ratio redditur his verbis: *Quod enim diuini iuris est, id nullius in bonis est*. Non dicitur autem esse nullius, quia ita careat Domino, vt possit fieri primo occupantis; ergo dicitur nullius, quia non est sub dominio alicuius puri hominis, sed sub speciali dominio Dei, vt notauit Glossa in dicto §. *Nullius*, & in l. 2. ff. de Rerum diuis. quæ Glossæ ibi communiter approbantur, vt Nauarr. refert. Et pro hac sententia allegari possunt Iurisperiti dicentes, si quis furetur calicem ex priuata domo, non competere actionem furti contra illum domino domus, nisi fortasse nomine Dei, quia res sacra nullius hominis est, sed solius Dei, vt videre licet apud Syluestr. verb. *Sacrilegium*. §. 2. Denique confirmari potest hæc sententia, quia laicis non licet sacra vasa, aut vestimenta contrectare, cap. *In sancta*, & cap. *Vestimenta*, de Consecrat. dist. 1. cum similibus; ergo multò minus capaces sunt dominij talium rerum.

Hoc autem fundamentum ita indistinctè sumptum, non videtur verum, saltem in eo rigore, in quo Nauarr. loquitur. Primò, quia nullum est ius Ecclesiasticum, quo omnes priuatæ personæ, vel communitates humanæ incapaces fiant dominij talium rerum eo ipso, quòd consecratæ sunt, neque etiam ex natura rei sunt incapaces, nam possunt habere verum titulum dominij circa rem ipsam, seu circa materiam rei consecratæ, nulla enim ratio est, cur consecratio sola dominium auferat. Multi enim Theologi dicunt, hominem habere dominium, etiam ipsius gratiæ, quæ multò magis supernaturalis est, quam vas consecratum. Deinde si persona priuata sit Ecclesiastica, præsertim sacerdos, non est cur non possit esse propriè dominus calicis, vel aliarum rerum sacris ministerijs deseruientium, quia ex parte materiæ potest illas suis sumptibus facere, & ex parte consecrationis potest illis liberè, & suo iure vti legitimo vsu, quod satis est ad rationem dominij. Si verò sit laicus, potest etiam habere titulum dominij circa materiam. Et licèt post consecrationem non possit per se ipsum licitè illis rebus vti, propter incapacitatem personæ; potest tamen illis vti per alios conuenientes ministros, & similiter alijs potest facultatem concedere vtendi huiusmodi rebus, & ipso inuito nemo potest tales res, vel vsum earum vsurpare sine iniustitia; ergo signum est, priuatum hominem, etiam laicum posse habere talium rerum dominium. Denique vsus etiam, & experientia hoc persuadet, nam multæ priuatæ personæ possident tanquam proprias huiusmodi res consecratas, vt vestimenta sacra, & calices, & paramenta altarium, quæ sæpe habent in suis priuatis oratorijs, in quibus, vel etiam in proprijs cubiculis habent sacras imagines, reliquias sanctorum, & alias res benedictas, de quibus etiam disponunt tanquam proprij domini, donando, mutando, vel etiam vendendo, quantum ex parte materiæ fieri potest, quæ omnia non solùm Ecclesiasticis, sed etiam laicis licita esse, idem vsus persuadet, nam ab hominibus pijs, & prudentibus fiunt, & à Prælatis sine reprehensione, vel contradictione tolerantur.

6 *Res sacræ ex vi solius consecrationis non eximuntur ab humano dominio.*

Quapropter non videtur verum esse, quod prædictæ Glossæ absolutè dicunt, huiusmodi res semel consecratas non esse laicis reddendas, etiam si ante 7

con-

consecrationem ipsorum essent, & ipsis inuitis consecratæ sint. Nam in primis hoc non dicit Gregor. in dicto cap. *Comperimus*, in quo loquebatur de quibusdam synagogis Iudæorum, quæ ipsis inuitis in Ecclesias fuerant translatæ, & consecratæ, de quibus ait Gregor. licèt consecratæ fuissent sine causa, nihilominus non esse reddendas Iudæis, sed pretium domorum soluendum, & rationem reddit, *quia quod semel consecratum est, non valet Iudæis restitui.* Vbi non loquitur vniuersè de laicis fidelibus, sed de Iudæis infidelibus, qui ad vsus prophanos illas domos conuertere volebant, quod post consecrationem non licet. Vnde ex illa sententia pro laicis fidelibus ad summum colligere licet, non esse illis res sacras reddendas; imo nec permittendas, vt eis ad prophanos, seu communes actus vtantur: si autem solùm ad sacros vsus illas possidere, & retinere velint; non est cur illis non tradantur, si alioqui ius proprium in huiusmodi res habere supponantur. Atque ob similem rationem non videtur vera alia Iuristarum assertio, videlicet, non committere verum furtum, qui calicem v. g. aut aliam rem consecratam à priuata persona, qua eam tanquam propriam possidet, furripit. Nam licet illi furto addatur circumstantia sacrilegij, non ideo tollitur vera malitia furti, nam est iniusta acceptio rei alienæ inuito Domino. Neque illa iniustitia est contra alium, præter quàm contra illum, qui rem illam licèt sacram, tanquam propriam possidet, ergo contra illum furtum committitur, & non est, cur actio furti illi denegetur. Non videtur ergo illo modo satis expediri proposita difficultas.

Verum furtum committitur, qui rem consecratam alicuius priuatæ personæ furripit.

8 Nihilominus tamen probabiliùs mihi videtur, huiusmodi res ex vi suæ consecrationis exemptas esse à vectigalibus, & similibus tributis, quia iura, & Doctores indifferenter loquuntur de bonis Ecclesiasticis, sub quibus omnes res sacras comprehendunt. Item quia est hoc valde consentaneum diuino, & naturali iuri, quia his tribus tanquam sacris debetur honorarius, & religiosus cultus, vt in septima Synodo dicitur; ergo contra rationem est, vt per exactionem tributorum prophanentur. Præterea, quia licèt negare non possimus, huiusmodi res sacras interdum esse sub dominio priuatorum fidelium, nihilominus etiam verum est, ad Deum speciali iure, & titulo pertinere, quatenus ad illius cultum ita dicatæ sunt, vt iam non possint ad prophanos vsus conuerti, præsertim quamdiu consecrationem, & formam ad illam necessariam retinent; imò etiam si illam amittant, materia ipsa propter respectum ad priorem consecrationem à communibus vsibus abstrahitur, iuxta cap. *Ligna*, & cap. *Altares*, de Consecratio. dist. 1. Ex quo etiam fit, vt licèt manere possint sub hominis dominio, nihilominus dominium illud valde restringatur, & coarctetur ad solum vsum sacrum; ergo meritò huiusmodi res exemptæ esse debent à tributo, tum quia videretur peti propter habitudinem, quam habent ad vsum sacrum, cùm iam non habeant alium moralem vsum, tum etiam quia videtur exorbitans, & iniquum, temporale tributum exigere à domino talis rei, cùm iam illam non vt temporalem, sed vt sacram, & quodammodo spiritualem possideat.

Res consecratæ etiàm si ab humano dominio non eximantur, manent à tributis exemptæ.

Materia rei semel consecratæ iterum ad prophanos vsus applicari nequit.

CAPVT XX.

VTRVM QVAELIBET BONA CVM Ecclesiastica fiunt, eo ipso sint ab omni tributo, & onere ciuili illis inhærente exempta.

1 HAEC quæstio maximè locum habet in rebus immobilibus, quibus solent imponi onera realia, quæ ipsis moraliter inhærent, & cum illis incedunt, & ratione illarum soluuntur, quatenus fructiferæ sunt, vel vsum habent pretio æstimabilem distinctum à dominio. Rebus autem mobilibus non solent imponi ista onera, seu tributa realia propter contrariam rationem, quòd per se fructiferæ non sunt, ideoque solùm de illis exiguntur tributa, mediante aliqua actione, qualis est negotiatio, vectio &c. Non repugnat tamen super rem mobilem imponi onus per modum alicuius seruitutis, & ideo generalis proponitur quæstio, an quæcunque bona desinant esse cuicunque ciuili, aut sæculari oneri subiecta, eo ipso, quòd Ecclesiastica sunt.

2 B Ratio autem dubitandi est, nam pensio aliqua, seu tributum potest super hæc bona imponi, vel postquam facta sunt Ecclesiastica bona, vel antequam Ecclesiæ donata fuerunt. De prioribus tributis certissimum est, bona hæc postquam Ecclesiastica facta sunt, non posse fieri tributaria: quod in vniuersum sine exceptione procedit, vt iura allata probant, & omnes Scriptores catholici sine dissensione fateantur. De posterioribus autem oneribus est non parua controuersia, nam communis sententia tenet, bona Ecclesiastica non eximi à tributis realibus, quæ ipsis inerant, priùs quàm Ecclesiastica fierent. Ita tenet Barthol. in leg. *De ijs* Cod. de Episcop. & Cleric. & in leg. *Placet.* Cod. de Sacrosanct. Eccles. Innocent. in cap. *Non minus.* de Immunit. Ecclesia. nu. 4. Glossa in cap. *Secundum canonicam.* 23. quæst. 8. quam ibi sequitur Archidiaconus, item Glossa in cap. *Tributum*, verb. *De exterioribus*, & in cap. *Sanctum*, verb. *Annua*, & in cap. *Secundum*, eadem causa, & quæstione, & in cap. primo de Immunitat. Ecclesiarum in 6. verb. *Bonorum*, vbi idem Ioann. Monachus, & Ioannes Andreas docent, & Panormitan. in dicto capite primo de Censib. num. 6. & 7. & in cap. vltim. de Vita, & honestate Clericorum, num. 12. Vbi declarat opinionem hanc esse intelligendam, quando onus est perpetuum, & inuariabile, quia tunc intelligitur esse annexum possessionibus, non verò aliàs. Idem habet in cons. 26. volum. 1. & cons. 3. & sexto, volum. secundo. Et hanc opinionem sequitur Sylvest. verb. *Immunitas.* 1. quæstio. quinta, versicul. *Tertium*, quamuis fateatur, hoc iu Italia non seruari, & Angelus eodem verb. *Immunitas.* nu. 36. vbi distinctè explicat, hoc procedere, siue onus impositum fuerit ex dispositione publica, puta Principis, siue ex dispositione priuata. Et idem cum eadem declaratione latius tradit Gregor. Lopez partit. 1. titul. 6. l. 51. Gloss. 4. & tit. 15. l. 1. Glos. 4. in fine, vbi etiam leges Regni Castellæ in eandem sententiam allegat.

Prima sententia negat.

3 Fundatur hæc sententia primò in aliquibus iurib. ciuilibus præcipuè in l. vlt. Cod. de Exactionibus tributorum lib. 10. & Authent. *Idem prædium.* C. de Sacrosanct. Eccles. quæ refertur etiam à Gratiano in §. *Idem prædium.* 10. quæst. 2. quatenus ibi supponitur, prædium Ecclesiæ posse habere onus fiscale, id est, tributi soluendi Principi, vt notat etiam Glossa vltim. in Authentica, *Sicut alienatio.* Cod. eodem. Expressius hoc fundatur in leg. *Placet.* Cod. de Sacrosanct. Eccles. & leg. *De ijs.* Cod. de Episcop. & Cleric. & à simili in l. 1. Cod. de indictionibus, lib. 10. vbi dicitur, similia bona transire ad fiscum cum onere, etiam si fiscus iure ciuili soleat in priuilegijs Ecclesiæ æquiparari. Secundò fundatur in iuribus canonicis, cap. *Conuenior*, cum alijs proximè allegatis ex 23. q. 8. & cap. *Si tributum*, & cap. *Magnæ.* 11. q. 1. Tertiò additur vrgens ratio, quia res habens annexum onus transit cum onere suo, ergo si bona antequam essent Ecclesiæ habebant hoc onus annexum, cum illo trâseunt ad Ecclesiam, quando illi donantur, vel ab illa emuntur, & consequenter Ecclesia tenebitur ad soluendum onus, seu tributum ratione rei acceptæ. Cõsequentia videtur clara, & antecedens in primis est

Primum fundamentum.

Secundum.

Tertium.

vulgare in iure cap. *Ex clericis*, de Pignoribus & in cap. *Si quis laicus*, 16. q. 1. cum similibus. Et ratione videtur efficaciter probari, quia nemo potest plus iuris in alterum transferre, quam ipse habeat; ergo qui non habet dominium rei, nisi cum tali onere, non potest illam, nisi cum eodem onere in Ecclesiam transferre, quia sicut non erat in potestate sua rem illam habere, vel possidere sine tali onere, ita nec potest facere,

1. Confirmatio vt ab alio sine onere possideatur. Et confirmatur, ac declaratur hæc ratio, quia aliàs fieret iniuria Principi, vel alteri habenti ius ad illud onus, quia priuaretur iure suo sine suo consensu, quod est contra natu-

2. Confirmatio ralem iustitiam. Et confirmatur secundo, quia aliàs donationes immobilium bonorum Ecclesijs factæ cederent in magnum præiudicium Principum temporalium, quia priuarentur magna parte suorum prouentuum, quibus ad sustentanda onera, & honorem sui muneris, maximè indigent. Quod argumentum sæpiùs inculcat in suo libello Rex Angliæ, vt Christianos Principes contra immunitatem ecclesiasticam moueat.

4 Secunda sententia affirmans. Nihilominus non desunt authores, qui absolutè dicant, bona Ecclesiastica non solùm non posse oneris tributis onerari, verùm etiam eximi à tributis soluendis, quibus bona onerata erant, prius quam ipsi Ecclesiæ acquirerentur, seu (quod perinde est) bona ipsa liberari à talibus oneribus eo ipso, quod in Ecclesiam transferuntur. Pro hac sententia citat Panormitan. Glossam in dicta leg. *Placet*, Codice de Sacrosanct. Eccles. & in dict. leg. *De ijs*. Codice de Episcop. & Cleric. quia dicit, leges illas reuocatas esse per constitutionem Friderici, quod etiam asseruit Cynus in dict. leg. *Placet*, in fine, Verumtamen hinc non satis colligitur, illas glossas fuisse huius sententiæ, nisi supponatur, Fridericum in sua constitutione loquutum esse de oneribus etiam realibus adhærentibus ipsis bonis, priùs quàm ad Ecclesiam peruenirent, quod tamen dictæ Glossæ non declarant: in hoc autem fauent, quod indefinitè, & sine limitatione loquuntur. Hanc vero sententiam latè, & satis diligenter, & eruditè persuadere conatur Cardinalis Albanus in tract. de Immunit. Ecclesiast. cuius sententia valde pia, & ad veritatem accedere mihi videtur. Quia verò, nimis indistinctè, & absolutè loquitur, & rationes eius aliquid vltra id, quod verum est, suadere possunt, ideo distinctione adhibita videtur resolutio huius dubij clariùs proponenda.

5 Duo modi imponendi onera rebus immobilibus. Duobus itaque modis potest onus reale esse impositum rei immobili. Primo ex vi proprij dominij circa talem rem, & interueniente aliquo pacto inter eum, cui pensio soluenda est, & eum, qui est Dominus talis rei, vel è conuerso inter eum, qui priùs fuit dominus talis rei, & eum, in quem illam transtulit cum tali onere, siue in eum transtulerit dominium directum, siue tantùm vtile. Exemplum prioris membri est, quando quis emit censum super domum, vel vineam alterius, nam tunc res illa manet tali pensione onerata quam dominus rei censuario, seu pensionario soluere tenetur, obligatione reali ex vi talis contractus, nec potest rem illam vendere, aut alienare sine tali onere. Exempla verò alterius membri sunt, quando dominus dat alteri bona sua in feudum, vel in emphyteusim, vulgo *prazo*, & quàtum est ex natura rei potest etiam dari in censum, transferendo totum dominium rei in alium propter solam obligationem soluendi tale onus, vel cum illa coniũgendo aliquam partem pretij, pront æqualitas iustitiæ postulauerit. Alio modo potest onus esse impositum prædio, non ex vi dominij illius, sed ex vi supremæ iurisdictionis Regiæ super tale prædium, vel in tali territorio, hoc enim modo potest Princeps imponere tributa in terris sibi subiectis, sicut in personis, vel in rebus mobilibus. Et de hoc secundo genere realium onerum est propria controuersia, quia

A hæc sunt propriè tributa, & ita illa simpliciter appellauimus; alia verò vel generali nomine *pensiones*, aut *priuata onera*, vocabimus.

Dico ergo primo. Bona temporalia, quæ antequam fiant Ecclesiæ, habent annexum reale onus priuatum, seu pensionem soluendam alteri ex vi dominij, & pacti præcedentis, etiam si Ecclesiastica fiant, eidem subiacent oneri, quod Ecclesia soluere tenetur, nec priuilegium exemptionis ipsam a tali onere liberat. In hoc videtur mihi non solùm vera, sed etiam certa communis sententia. Neque dissentit Cardinalis Albanus, imò expressè id concedit in quarta ratione pro communi sententia, cum eius so-

B lutione. Et haberi potest hæc assertio, ex capite, *Verum*, de Conditionibus appos. vbi dicitur, quando bona dantur Ecclesiæ interposita conditione, seruandam esse, si autem non seruetur, non statim posse reuocari donationem, nisi fortè in ea sit additum, *Quòd ea cessante, debeat reuocari*, ergo etiam, si conditio sit onerosa, seruanda est; ergo pari modo si olim fuit imposita & ipsi rei quasi adhæret, seruanda est. Idem apertè colligitur ex cap. *Cum dilecti*, de Donat. Ratione item probatur ex illo principio, quòd res transit cum onere suo, item ex illo, quòd donatio pia, seu religionis ratio non inuertit iustitiæ ordinem, esset autem contra iustitiam, priuare alterum,

C ipso inuito, iure, quod habet in tali re ad talem pensionem, cum sit verus dominus illius iuris eo modo, quo tales res incorporeæ (vt à Iuristis vocantur) sub dominium cadere possunt.

Ex quibus principijs hæc potest ratio confici, quia quando Ecclesia acquirit huiusmodi bona, quocunq; modo, siue per legatum, siue per donationem, siue per emptionem, &cæt. vel liberatur res ab illo onere ex vi voluntatis eius, à quo illam recipit, vel vi alicuius legis positiuæ, vel ex natura rei. Nihil horum dici potest; ergo nullo modo liberatur. Supponimus enim, non concurrere voluntatem eius, cui pensio debetur; nam si ipse velit remittere non est

D quæstio: illud tamen est accidentarium, & extrinsecum, hic verò tractamus de hac præcisa ratione, quòd bona Ecclesiastica fiant. Primum autem membrum Antecedentis per se est euidens; quia nullus potest in alium plus iuris transferre, quàm ipse habeat, tum etiam, quia nullus potest disponere de iure alterius ipso inuito cùm vnusquisque sit rei suæ moderator, & arbiter. l. *In re Mandata*. C. Mandati. Secundum patet, quia nulla talis lex positiua ostendi potest, siue diuina, siue humana, nam quæ de hac materia loquuntur, de proprijs tributis tractant. De illis enim loquebatur Christus, cùm interrogauit

E Petrum; *Reges gentium à quibus accipiunt tributum &c.* Et de eisdem tantum loquuntur leges, & canones, vt statim videbimus. Et moraliter loquendo, non possunt ampliùs extendi, quia iustitiæ repugnarent. Nam etiam humanæ leges non possunt ita absolutè priuare homines suis rebus, & dominijs, nisi vbi euidens necessitas, vel magna vtilitas boni communis cogeret, quod in præsenti dici non potest, vt per se constat.

Tertium denique membrum de iure naturali, seu *ex natura rei*, probatur, quia non est contra rationem, vel decentiam religionis, vt Ecclesia sustineat, & soluat huiusmodi onera realia. Solùm enim inde

F sequitur, vt Ecclesia minùs ditetur, quòd per se non est indecens, neque aliud inconueniens affert, præsertim quando talia bona, vel liberaliter dantur Ecclesiæ, vel ipsa iusto pretio illa comparat. Nam si pertineant ad ipsum locum sacrum, vel ad dotem eius, tunc habent specialem rationem, propter quam aliquid est in iure de illis peculiariter statutum, quod seruandum est, vt capite sequenti dicemus. Denique seruare contractus iustos, & soluere debita, quæ ex illis proximè, vel remotè nascuntur, non solùm non repugnat Ecclesiæ, sed potiùs illam maximè decet,

6 Bona Ecclesiæ non eximuntur à tributis vi alicuius pacti antea contracti.

7 Ratione subditur confirmatio.

8

decet, quia nemo à contractibus reperitur immunis, neque ab obligatione, quæ ex illis nascitur, cùm Deus ipse obligetur ex pacto, vt dixit Bald. in l. 1. ff. de Pactis, magis vt Theologus, quàm vt iuris peritus, & ideò Magistrum Sententiar. allegat. Vnde si attentè res consideretur, Ecclesia non solùm non est incapax huius oneris, seu obligationis, quando in bonis præcessit, antequam Ecclesiæ fierent, verùm etiam illud posset imponere in bonis suis, nisi esset sibi prohibita alienatio Ecclesiasticorum bonorum: ideoque habita facultate alienandi, vel in casibus in prohibitione exceptis, etiam potest super bona sua hoc onus imponere, vt quotidie fieri videmus; ergo signum est, non repugnare hoc Ecclesiasticis bonis; ergo ex natura rei non cessat tale onus, quando in bonis ipsis præcessit.

9 *Assertionis ampliatio.*

Ex quibus colligo, assertionem hanc veram esse, ac procedere non solùm quando onus à priuata persona, sed etiam quando à Principe impositum fuit, si ex simili pacto, & peculiari dominio talis rei, & non ex mera potestate iurisdictionis processit. Quod ideò aduerto, quia fortasse ad intelligendos authores cõmunis sententiæ poterit deseruire. Ratio autem clara est, quia sicut persona priuata potest habere proprium dominium alicuius prædij, & ex vi eiusdem dominij onus aliquod prædio imponere, ita etiam Rex, vt per se manifestum est; hoc autem posito, rationes pro assertione factæ æquè procedunt in Principe, ac in quocunque priuato. Vnde in his tributis, seu pensionibus, quæ in certa mensura, seu inuariabili quantitate de aliquibus prædijs, aut agris soluuntur Principi, attentè considerandum est, an illa prædia olim fuerint sub proprio dominio Principis, & illa dederit in feudum, vel emphyteusim, vel simpliciter pro tali pensione. Nam si de hoc constare potuerit, profectò in eis procedet sententia communis, vt talia bona licèt Ecclesiastica fiant, cum onere suo ad Ecclesiam transeant, vt ex dictis satis apertè sequitur. Potest autem de huiusmodi origine constare, vel per Scripturas antiquas, vel per constantem traditionem. Et iuxta prædictos authores magnum signum erit, si talis pensio nunquam minuatur, vel augeatur, etiam si alia propria tributa regalia multipliciter varientur, & quod bona illa nunquam fuisse legantur, aut credantur extra ius Regiũ, vel sub alterius dominio, sine onere soluendi Regi talem pensionem. Quia hoc videtur esse sufficiens indicium illius originis, & quia cum contrarium constare non possit, meritò in fauorem Regis præsumitur.

10 *Obiectio.*

Obijci verò potest contra assertionem, quod de Ioseph legitur Genes. 47. quòd cùm totam terram Aegypti Pharaoni tributariam redderet, nihilominus terram sacerdotalem exemerit. Illud enim tributum non ex mera iurisdictione Regia, sed ex pacto proficiscebatur. Nam cùm Aegypti triticum à Rege vellent emere, & pecuniam non haberent, possessiones loco pretij dabant, quas sub tributario onere, soluendi quintam partem fructuum Regi, ab eodem, tanquam à proprio illarum domino acceperunt: ergo cùm terra sacerdotalis ab illo tributo exempta fuerit, satis significatum est, bona Ecclesiastica libera esse debere, etiam ab his pensionibus, quæ ex pacto imponuntur.

11 *Solutio.*

Respondeo in primis, ibi non esse sermonem de tributo priùs impositio, sed de imponendo possessionibus, quæ priùs liberæ sacerdotibus datæ fuerant, sic enim dicitur. *Præter terram Sacerdotum, quæ à Rege data fuerat eis*, non ergo fuit terra illa exempta à tributo antea impositio, sed ab imponendo. Deinde (quod præcipuum est) terra illa Sacerdotum non fuit tunc exempta ab illo tributo ex peculiari priuilegio, sed quia non fuit subiecta pacto, in quo tributum illud fundatum fuit. Laici enim, quia fame, & egestate premebantur, vendebant pro tritico A possessiones, & postea per onus tributarium illas redimebant, de Sacerdotibus autem subditur: *Quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & ideò non sunt compulsi vendere possessiones suas.* Sic ergo manserunt ab illo tributo liberæ, quia nulla venditio, vel redemptio illarum facta est, & ita non fuit in illis necessaria peculiaris exemptio ex priuilegio, cùm pactum, quod erat fundamentum tributi, in eis non interuenerit. Fauor ergo Sacerdotum tantummodò fuit, quòd ex publicis horreis cibaria illis necessaria præbebantur; quod nunc per decimarum solutionem in Ecclesia seruatur, quæ possunt integrè donari, etiamsi de aliquibus Ecclesiasticis B bonis pensiones aliquæ ex præcedente pacto soluantur.

12 *Bona Ecclesiæ eximuntur à tributis ex vi Regiæ potestatis impositis.*

Dico secundo. Bona Ecclesiastica exempta sunt à propr[illegible]s tributis, quæ ex vi Regiæ iurisdictionis imposita sunt, etiamsi talia bona priùs quàm ad Ecclesiam peruenirent, illi tributo, & oneri essent subiecta. Hæc videtur fuisse præcipua intentio Cardinalis Albani, & videtur etiam sumi ex mente Abbatis in consil. 26. volum. 1. vbi eadem ferè distinctione à nobis data vtitur. Et fortasse alij authores non contradicunt, nam Innocent. apertè loquitur, quando Ecclesia ex pacto obligata est, non verò dicit ex sola iurisdictione Principis posse obligari.

C Denique sententiam hanc eodem modo declaratam inuenio apud Gutierrez lib. 1. Practicar. quæst. 3. num. 15. vbi exponit verba legis cuiusdam Hispaniæ lib. 1. nouæ Recopilat. tit. 3. l. 11. quæ sic habent: *Los clerigos, que compraren heredades tributarias en que se a el tributo apropriado a la heredad, paguen el tal tributo*, id est, clerici ementes prædia, quibus tributa imposita sunt, & quasi inhærent, soluant huiusmodi tributa. Ait autem dictus author intelligendam esse dictam legem, *quando prædia antea erant affecta onere tributorum expresse, & specialiter ex conuentione partium, secus vero si tantum sint affecta, vel obnoxia tributis ex generali lege, quia si talia bona* D *peruenerint ad clericum, non transeunt cum onere.* Nec refert, quòd non de bonis Ecclesiarum, sed clericorum loquatur, à fortiori enim id sequitur, quia per se loquendo, maior, & excellentior est exemptio Ecclesiarum. Vnde paulò inferiùs generaliter loquitur de bonis Ecclesiæ, seu Ecclesiasticis, referens pro hac sententia Alphonsum Guerrero in Thesauro Christianæ religio. cap. 36. & Otaloram, Didacum Perez, & Quesada modernos Iurisperitos Hispanos. 13

Vt autem assertionem probemus, supponimus, quando talia bona traduntur Ecclesiæ, non liberari B ab his tributis ex efficacia voluntatis priuatæ personæ donantis, vel aliter contrahentis cum Ecclesia: nam rationes prioris sententiæ, & aliæ factæ in priori assertione manifestè conuincunt, nullum priuatum dominum aliquorum bonorum posse illa eximere à tributis debitis Principi sua authoritate, & voluntate. Necesse est ergo, vt hæc exemptio fiat per superiorem aliquam voluntatem, vel aliquo iure declaratam, vel ab ipso Principe per expressum, ac personalem consensum demonstratam. Vnde quia difficile est inuenire ius, quo talis voluntas ostenda- *Prima opinio.* tur, dixerunt aliqui, necessarium esse, vt quando huiusmodi bona tributis subiecta in Ecclesiam transferantur, Princeps, ad quem spectant tributa, actu, & specialiter consentiat, vel saltem vt donationi, seu translationi præbeat assensum, nam tunc virtualiter consentit remissioni, alioqui, aiunt, vel donatio non tenebit, vel bona cum suo onere transibunt. Sed *Reijcitur dicta opinio.* hæc limitatio destruit assertionem: nam illo modo non fiet exemptio illa ex vi priuilegij Ecclesiarum, sed per nouam Principis remissionem, cuius contrarium in assertione intendimus, & in eo sensu disputatur quæstio: nam quòd Princeps sua voluntate 14 *Quo iure Ecclesiastica bona eximantur.*

tate possit remittere tributa, nemo vnquam dubitauit. Item ex illa declaratione sequitur, Ecclesiam vel non posse acquirere huiusmodi bona sine consensu Principis, vel si absq; eius consensu illa acquirat, necessario fieri tributariam quoad talia bona, primum autem expressè repugnat iuri canonico in cap. 1. de Immunit. Eccleſiar. in 6. secundum verò falsum esse contendimus.

14 *Secunda opinio dictam exẽptionem iuri diuino & canonico tribuẽs. Fũdamẽta primæ partis. Gen. 47.*

Propter hoc ergo Albanus suprà conatur ostendere, hæc bona eximi ab huiusmodi tributis ex vi iuris diuini, canonici, & ciuilis. Vt autem probet esse iuris diuini solùm inducit locum Geneſis paulò antea tractatum, & locum Esdræ lib. 1. cap. 7. Vbi Artaxerxes Rex sacerdotes & Leuitas à tributis exemit. Sed in priori loco, vt dixi, & notat Abulensis non concessit Rex Pharao specialem exemptionem terris sacerdotum, sed quia egestas non compulit sacerdotes ad vendendas terras suas, consequenter factum est, vt tributariæ non manserint. In altero verò loco non est sermo de tributis realibus adhærentibus rebus immobilibus, sed de tributis personalibus, aut mistis, quæ ratione bonorum mobilium imponi solent: neque est sermo de antiquis tributis rebus ipsis priùs impositis, sed de noua impositione, quæ personis sacris tam in se, quàm in bonis suis fieri prohibetur. Verba enim Regis hæc fuere. *Vobis quoque notum facimus de vniuersis Sacerdotibus, & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus Nathinæis, & ministris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos*, nihil ergo inde colligi potest, de tributis priùs impositis, & quasi adhærentibus ipsis terris, si personis illis, vel templo denuo acquirerentur. Præterquàm quod ex illis locis non colligitur ius positiuum diuinum, vt per se constat, sed ad summum indicatur ius naturale, an vero tale illud sit, vt per se inducat necessitatem talis exemptionis, & illam conferat, vel tantum honestatem, vel ad summum obligationem, vt Princeps illam concedat, ex illis locis non satis definiri potest, sed alijs rationibus inquirendum est, vt in superioribus est generaliter disputatum, & in hoc particulari puncto statim attingetur.

15 *Matth. 17. Vnde possit colligi iure diuino eximi.*

Quocirca solùm video, posse probabiliter colligi hoc ius diuinum ex verbis Christi, *Ergo liberi sunt filij*, inducendo illa prout suprà insinuaui, quia naturalis filius Regis ita est exemptus à tributis, vt bona etiam eius immunia fiant; ergo hoc ius maximè seruandum est Christo, & bonis eius, qualia sunt Ecclesiastica bona, vt ostendimus. Filius autem naturalis Regis non solùm gaudet naturali priuilegio, vt super bona iam sua non imponantur noua tributa, sed etiam, vt si de nouo acquirat ea bona, quæ apud alios subditos erant tributaria, sub suo dominio fiant libera, & ingenua, sicut ipse est; ergo multò magis Christus, & bona eius Ecclesiastica cum hac amplitudine hoc gaudent priuilegio. Quòd si quis obijciat, locum illum isto modo inductum etiam contra priorem conclusionem probare posse. Respondetur, negando assumptum, nam etiam filius naturalis Regis non liberatur ab omni onere ex pacto antiquiori bonis inhærente, etiam respectu inferiorum, cùm nec Rex ipse sit liber ab omni obligatione ex pacto. Rationem autem differentiæ bene attigit Panormit. in dicto cons. 26 & ex illo Albanus circa finem, respondendo ad quartam rationem, quia propria tributa repugnant exemptioni ipsius personæ, cuius sunt bona, nam propter illam præstantur, vt significauit Paulus ad Rom. 13. aliud autem pensionis genus non est professio, vel indicium subiectionis, sed iustitiæ, & obligationis eius ex pacto ortæ, quæ nulli personæ quantumuis liberæ, & excellenti, seu supremæ repugnat.

Obiectio.

Responsum

Cur tributũ exemptioni repugnet, non verò pensio.

16 *Fundamẽta secundæ partis.*

Secundò vt prædictus author, hoc ius esse etiam canonicum ostendat, inducit cap. *Sancitum.* 22. q. 8. quod idem est cum cap. 1. de Censib. & dicit, esse textum expressum, quia in eo decernitur, tributa, quæ antea exhibebantur de aliquibus bonis, postquam illa facta sunt Ecclesiæ, soluenda non esse. Idemque confirmat ex cap. *Secundum canonicam.* 23. q. 8. Quòd si quis respondeat, ibi non esse sermonem de vniuersis bonis, seu prædijs Ecclesiæ, sed de manso, domibus, atrijs, & hortis iuxta Ecclesiam positis. Contra hoc obijcit, alienum esse ab omni ratione, & veritate discrimen inter hæc, & alia bona Ecclesiæ constituere, tum quia eadem ratio immunitatis, quæ est in horto, & manso, viget in alijs prædijs, quæ Ecclesiæ acquiruntur, scilicet, quia omnia sunt dicata Deo, seu sunt Dei, quæ ratio est fundamentum huius immunitatis: tum etiam quia vna & eadem substantia Ecclesiæ nõn debet diuerso iure censeri, cap. *Cognouimus*, cum Glossa. 12. q. 2. Vnde concludit, textus illos irrefragabiles esse.

17 *Ex additis iuribus non probatur dicta sententia.*

Sed nihilominus censeo, ex illis non probari assertionem; imo ex vltimis verbis posse sumi obiectionem non facilem in contrarium, vt capite sequenti videbimus. Quia mansus, & reliqua loca Ecclesiæ, quæ ibi specialiter numerantur, non solùm eximuntur à proprijs tributis regalibus, sed etiam à quacunque pensione, & priuato onere etiam præexistente, & in quocunque pacto fundato, eximuntur, vt Glossa ibi, & communiter doctores intelligunt. Et colligitur ex ipsis iuribus, quatenus solum Ecclesiasticum excipiunt, quæ exceptio firmat regulam in contrarium quoad cætera omnia tributa. Quod adeò verum est, vt neque ipse Patronus possit aliquam pensionem de illis bonis sibi reseruare, & si antea ipsi rei onus inerat, debeat necessariò remitti, aut redimi, vt Ecclesia in dictis bonis libera maneat. At verò hoc non ita est in cæteris prædijs Ecclesiæ, vt expressè notant Panormit. & alij cum Glossa in dicto cap. 1. de Censib. & in dicto cap. *Secundum canonicam.* 23. q. 8. Et ex ipso cap. *Sancitum*, in fine apertè colligitur. Ergo necessariò est constituenda differentia inter bona ibi specialiter nominata, & alia Ecclesiastica bona; cùm ius illud speciale non possit ad omnia extendi. Ergo inde non potest sumi argumentum efficax ad id, quod intendimus, alias æquè probaret de omni genere tributi, vel pensionis temporalis, quod apertè falsum est. Neque est inconueniens, vt aliqua pars bonorum Ecclesiæ maiori gaudeat exemptione ex speciali priuilegio. Rationem autem priuilegij, & discriminis inter hæc, & alia bona capite sequenti trademus.

18 *Alia iura ex quibus dicta exemptio colligi possit.*

Secundò colligi potest hoc ius ex alijs decretis, in quibus simpliciter præcipitur, vt bona Ecclesiarum non subijciantur tributis, aut exactionibus temporalibus à quibuſuis laicis potestatibus, vt constat ex cap. *Non minus*, & cap. *Aduersus* de Immunit. Ecclesiar. Et in cap. *Quanquam*, de Censib. in 6. Verumtamen respondeti potest, in his iuribus solùm prohiberi, quòd Ecclesijs, aut Ecclesiasticis bonis hæc tributa imponantur, non verò vetari, quòd tributa antiqua, quæ ipsis bonis inerant, priùs quàm Ecclesiastica fierent, in ipsis permaneant, & ab Ecclesijs soluantur, non quia ipsis imponatur tributum, sed quia cum illo onere bona acceperunt. Vnde cùm ibidem prohibetur, exactiones tributorum ab Ecclesijs propter talia bona fieri, recte intelligitur de exactionibus, quæ fiunt ob tributa imposita Ecclesiæ super bona iam sua, tum quia exactiones referuntur ad tributa, de quibus ibi erat sermo, tum etiam quia aliàs non possent omnes exactiones absolutè, & sine distinctione prohiberi, cùm aliquæ possint fieri ab Ecclesia iustè, & sine læsione immunitatis Ecclesiasticæ, vt si petantur, quæ iusto titulo debentur, & in iudicio Ecclesiastico, si coactio necessaria sit. Sed quamuis hæc interpretatio satis sit consentanea verbis, & menti illorum iurium, nihilominus ex identitate rationis credimus inde sumi efficax argumentum, vt decisio illorum iurium etiam ad tributa antiqua, & ad exactio-

actiones, quæ propter illa fiunt extendatur, quod paulò inferius afferendo rationes assertionis explicabimus, prius enim alia iura expendere necesse est.

19 Tertiò ergo colligi potest hoc canonicum ius ex cap. 1. de Immunit. Eccles. in 6. vbi priùs querela, & abusus sæcularium Potestatum refertur, *quæ nituntur, & student, vt illis collectas, & talias, & alia huiusmodi Ecclesiæ persoluant, prætextu bonorum, quæ acquisierunt, vel extra manum suam ponant huiusmodi acquisita.* Et postea talis abusus damnatur, declaraturque, *non licere quibuscunque iurisdictionem temporalem exercentibus exactiones quascunq; Ecclesiis imponere, vel exigere ab eisdem pro domibus, prædijs, vel quibuscunq; possessionibus ab eisdem Ecclesijs legitimè hactenus acquisitis, vel in posterum acquirendis.* In quibus verbis in primis expendo, non solùm reprobari exactiones de bonis, quæ iam possidebantur ab Ecclesia, quando fuit impositum tributum, sed etiam de bonis, quæ postea acquiruntur, etiam si talia bona, cùm antea essent sæcularia, tributis essent subiecta. Nam quòd de huiusmodi bonis sit sermo, manifestum est. Propterea enim laici volebant cogere Ecclesiam, vt vel tributum solueret, vel bona dimitteret, ne ipsi priuarentur tributo bonis annexo; ergo de his bonis tributarijs loquitur ius illud, & nihilominus statuit, vt talia bona eo ipso, quòd ad Ecclesiam transeunt, ab exactionibus talium tributorum sint exempta. Vnde etiam expendo, ibi distinctè, & vniuersaliter prohiberi, *quascunque collectas, vel exactiones imponere, vel exigere*, vtique circa Ecclesiastica bona; ergo non solùm est prohibitum, hæc imponere, sed etiam exigere quæ imposita iam erant, prius quàm Ecclesia illa bona acquireret. Atque hic textus adiunctus præcedentibus proximè allegatis videntur mihi satis probabiliter sententiam hanc ex iure canonico comprobare.

20 Supereſt dicendum de iure ciuili, ex quo nonnulla verba Iustiniani adduci solent, quibus hæc assertio videtur significari, & in primis afferuntur illa, quæ Gratianus refert in cap. 2. 10. q. 2. *Ea, quæ ad beatissimæ Ecclesiæ iura pertinent, vel posthac fortè peruenerint, tãquam ipsam sacrosanctam, & religiosam Ecclesiam intacta conuenit venerabiliter custodiri.* Quæ verba fuerunt Imperatoris Leonis, & referuntur à Iustiniano in l. *Iubemus.* C. de Sacrosanct. Eccles. In eis autem generaliter dicitur, omnia bona, quæ ad Ecclesiam perueniunt, esse intacta seruanda, sicut ipsam Ecclesiam; ergo iam non licet tributa pro illis exigere, sicut nec pro Ecclesia. Sed vt suprà in simili dicebam, si argumentum efficax esset, nimium probaret, videlicet, omnia Ecclesiæ bona debere ita intacta seruari, vt nulla pensio, vel onus etiam ex præcedenti pacto proueniens pro illis exigi possit, quia ipsa Ecclesia, seu fundus, & area eius hac immunitate gaudet, quod esse falsum ostendimus. Ergo illa æquiparatio non vniuersaliter, sed iuxta materiam subiectam accipienda est. Vnde attendendum est, in ea lege specialiter prohiberi alienationes bonorum Ecclesiasticorum, & in hoc sensu dici debere intacta custodiri, id est, sine diminutione, venditione, aut alia simili mutatione, sicut conseruantur Ecclesiæ. Et ita accepit illam decisionem Pontifex in cap. *Nulli*, de Rebus Eccles. non alien. cùm ita concludit. *Omnes Sacerdotes ab huiusmodi alienatione abstineant, pœnas timentes, quas Leonina constitutio comminatur.* Ergo vox illa *Intacta* sine fundamento in textu extenditur ad tributa, & præsertim ad ea, quæ inhærent bonis, prius quàm Ecclesiastica fiant. Nam si Ecclesia recipit bona sub tali onere, licèt postea illud soluat, nihil propterea proprium alienat, quia talia bona non fuerunt à principio integrè (vt sic dicam) translata in Ecclesiam, sed cum diminutione talis oneris, & ideò illud postea soluendo, non alienat proprium sed iustum debitum soluit.

Ex iure ciuili probatur assertio. Primò.

Hæc iura non probant sufficienter assertionem.

A Vnde etiam Gratianus non pro exemptione à tributis, sed ab alienationibus verba illius legis adduxit, & ad eundem finem alia multa ex decretis Pontificum adducit, tum ibi, tum etiam 12. q. 2. in quibus aliqua verba sunt generalia, quæ non rectè ab aliquibus ad tributa applicantur. Vt sunt illa Pij epist. 2. *Ad sedem Apostolicam perlatum est, quòd quidam prædia diuinis vsibus tradita humanis applicant vsibus, & Domino Deo, cui tradita sunt, ea subtrahunt, vt suis vsibus inseruiant; quapropter ab omnibus illius vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia vsibus secretorum cœlestium dicata, à quibusdam irruentibus vexentur.* Quibus verbis aliqui volunt, esse prohi- B bita omnia tributa ex Ecclesiasticis prædijs, quia solutio tributi humanus quidam vsus est, omnis autem applicatio talium bonorum ad humanum vsum ibi censetur prohibita. Sed licèt hoc possit per accommodationem quandam ad propria tributa Regia applicari, non tamen in vniuersum ad omnia temporalia onera, vel pensiones, quas interdum potest Ecclesia ex prædijs suis etiam laicis soluere ex iusto antecedente titulo iuxta priorem assertionem. Ibi ergo tantùm est sermo de vsu humano iniusto, & contra ius Ecclesiæ vsurpato, vt declarant illa verba. *Deo, cui tradita sunt, ea subtrahunt.* At verò solutio pensionis iusto titulo debitæ non est iniustus vsus, C nec per illum Deo subtrahitur, quod illi fuerat donatum: nam à principio fuerat donatum cum tali onere; ius ergo ad tale onus non fuerat donatum, & ita non subtrahitur Deo, quod traditum illi erat, sed quod in ipsa donatione fuerat reseruatum. Ideòque dici etiam potest, illum vsum non propriè esse Ecclesiasticorum bonorum, vt talia sunt, sed vt aliqua ex parte sæcularibus oneribus subiecta permanserunt. Quapropter nisi aliunde probetur, antiqua tributa non permanere in bonis postquam Ecclesiastica fiunt, ex illis verbis, & similibus non probatur, solutionem talis tributi ad alienationes, vel alios D vsus prohibitos Ecclesiasticorum bonorum pertinere.

21 *Cap. Prædia. 12. q. 2.*

Deinde potest confirmari assertio ex l. *Iubemus.* C. 22 de Sacrosanct. Eccles. vbi Valentianus, & Marcianus Ecclesiastica priuilegia confirmant, & subiungunt: *Quia humanitatis nostræ est, egenis prospicere, ac dare operam, vt pauperibus alimenta non desint: salaria etiam, quæ sacrosanctis Ecclesijs in diuersis speciebus de publico hactenus ministrata sunt, iubemus nunc quoq; inconcussa, & à nullo prorsus imminuta præstari, liberalitatiq; huic promptissimæ perpetuam tribuimus firmitatem.* Ex quibus verbis, & similitudine rationis non improbabile sumi quidem potest argumentum, E formaliter autem, seu dispositiuè non probant intentum, quia lex illa nihil disponit de exemptione à tributis, sed tantùm confirmat salaria, seu subuentiones, seu annuas præstationes, quas Imperatores de publicis bonis Ecclesijs fieri iusserant. Hinc verò rectè colligi potest, non fuisse Imperatorum voluntatem, vt ex bonis Ecclesiæ acquisitis Imperialia tributa exigerentur, cùm potiùs ipsi Imperatores multa ex alijs bonis ad subuentionem pauperum Ecclesijs dare præciperent. Vnde etiam ratio illa de subuentione egenorum non minus suadet, debuisse fructus Ecclesiasticorum prædiorum inconcussos, & F imminutos à publicis tributis seruari, quàm alia subsidia, quæ ad eundem finem ex publicis bonis Ecclesijs præstabantur.

Probatio ex ciuili iure.

Propriè igitur censetur dispositum, & latum hoc 23 ius ciuile à Friderico Imperatore in sua constitutione, in qua generaliter statuit, vt *nulla communitas, vel persona publica, vel priuata collectas, vel exactiones, &c. Ecclesijs, vel pijs locis imponere præsumat.* Quæ lex cum indefinitè loquatur, omnes exactiones priorum tributorum, quæ collectæ, vel alio simili nomine appellãtur, ab Ecclesijs, & earum bonis fieri prohibentur. Obstat tamen expositio Bartholi in l.

Fridericus proprie dicta Ecclesiarum bona à tributis exemit.

Bartholi expositio.

De ijs.

De ijs. C. de Episcop. & Cleric. vbi ait, constitutionem Friderici intelligendam esse solùm de tributis personalibus, seu mistis, quæ imponuntur personæ pro rebus; nam hæc tantùm vocantur propriè collectæ, & ideò non prohibere, quin prædia Ecclesiæ sint tributaria, prout in eadem lege. *De ijs*, & in leg. *Placet*. Cod. de Sacrosanct. Eccles. statuitur. Ideoque reprehendit Glossas ibi dicentes, illas leges *De ijs*, & l. *Placet*. derogatas esse per Authenticam, *Item nulla*. C. de Episcop. & Cleric. Quæ sententia placuit etiam Panormitano in dicto cap. 1. de Censib.

24 *Reijcitur expositio.*

Eam tamen meritò reprobat Bald. in dicta l. *Placet*, & viuersaliter sumpta videtur improbabilis. Nã ex illa sequitur, prædia Ecclesiæ ex vi illius Authenticæ; seu constitutionis Friderici, & consequenter ex vi iuris ciuilis non esse exempta à tributis realibus, etiam de nouò impositis, postquàm illa prædia Ecclesiastica facta sunt, si tributa tanquam ordinaria, & perpetuò duratura imponantur: consequens est omninò falsum, & ab omnibus reprobatum, vt in principio huius capitis ex dictis in præcedenti suppositi. Sequela probatur, quia prædicta tributa permittebantur per dictas leges *Placet*, & *De ijs*; ergo si non sunt derogatæ per Fridericum, adhuc in sua vi manent, & consequenter ex vi iuris ciuilis prædia Ecclesiæ erunt tributaria, etiam quoad tributa imposita postquàm Ecclesia talia bona acquisierat. Quapropter negari non potest, quin Authentica *Item nulla*, loquatur etiam de tributis realibus, nam absolutè, & vniuersaliter prohibet, exactiones vllas imponi Ecclesijs; nomine autem exactionum omnia tributa veniunt tam ordinaria, quàm extraordinaria, & tam realia, quàm personalia, præsertim quia in ipso textu expresse distinguuntur *exactiones Ecclesijs, & pijs locis, vel personis Ecclesiasticis imponendæ*, & omnes prohibentur; ergo etiam Ecclesia, & pia loca ab impositione cuiuscunque tributi eximuntur.

25 *Expositio Baldi.*

Aliter responderi posset, ibi quidem prohiberi, Ecclesijs, & pijs locis exactiones imponi, non tamen illas postulari, quæ antea erant impositæ super bona, quæ cum illo onere ad Ecclesiam transierunt. Et ita limitat illam constitutionem Baldus cum quodam Iacobo in dicta Authentica *Item nulla*. num. 4. addit verò, Imperatorem non permittere, vt prædia Italica sint tributaria, extra Italiam verò, vbi sunt prædia tributaria, transire ad Ecclesiam cum onere suo. Verumtamen hæc distinctio, & limitatio admittenda non est. Primò quia beneficium Principis amplè interpretandum est, maximè in causa religionis iuxta vulgarem legem *Sunt personæ*. ff. de Religiosis, & sumptib. funer. Secundo quia priuilegium vniuersale extenditur ad præsentia, & futura iuxta cap. *Quia circa*, de Priuileg. & notat Barthol. in dicta l. *Placet*. num. 8. ergo ex vi illius constitutionis fuerunt à tributis exempta omnia bona, quæ tunc erant Ecclesiastica, quando illud priuilegium concessum fuit, etiamsi antea essent onerata tributis; ergo multò magis idem seruandum est in omnibus bonis posteà Ecclesiæ acquisitis. Tertiò, quia verbum *Imponere*, in rigore non videtur ibi significare nouam tributi impositionem, quia hoc modo solus Princeps supremus potest tributum imponere, & tamen ibi prohibitio fit omnibus communitatibus, & personis non solùm publicis, sed etiam priuatis; ergo necesse est vt verbum *Imponere* ibi significet, vel comprehendat actionem, quæ ab omnibus exerceri possit; ergo prohibetur ibi omnis petitio, seu distributio, seu impositio solutionis tributi, quæ ab Ecclesia fiat, siue ex bonis acquisitis, siue ex acquirendis. Atq; hoc modo confirmatur etiam satis probabiliter hæc sententia ex iure ciuili.

Exploditur expositio.

26

Vltra hæc verò iura adducit prædictus Author varias rationes, quibus eandem assertionem confirmat, quæ in eo videri possunt; solùm cauendum est, ne aliquæ sint nimium generales, & de omnibus oneribus, seu pensionibus tam publicis, quam priuatis. Item aduerto, plures illarum si attentè considerentur, supponere, priuilegium exemptionis extendi ad antiqua tributa, potiùs quàm illud probent. Quapropter illæ rationes mihi videntur efficaces, quæ vel ex generali ratione tributi, vel ex æquiparatione inter antiqua, & noua tributa sumuntur. Talis est illa ratio, quòd tributa propria iure subiectionis imponuntur, vnde eodem iure exiguntur, & soluuntur, iuxta illud Pauli ad Rom. 13. *Necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideò enim & tributa præstatis*; ergo cessante subiectione, non potest iustè exigi tributum, quia cessante ratione debiti, cessat debitum, quando ratio est adæquata, vt est in præsenti. At verò bona quælibet eo ipso, quòd Ecclesiastica fiunt, definunt esse subiecta Principi laico, quia extra eius iurisdictionem fiunt, ipsa etiam Ecclesia, ad quam bona pertinent, est extra iurisdictionem eiusdem Principis, & multò magis ipse Princeps Christus, cuius sunt bona, ergo eo ipso, quòd talia bona fiunt Ecclesiastica fiunt exempta ab omnibus tributis, quæ in sola iurisdictione fundantur. Sicut si persona vni Regi subiecta à iurisdictione eiusdem Regis eximatur, eo ipso à tributis eius eximitur; imò non solùm persona, sed etiam bona eius ab his tributis eximuntur, qua ratione personæ imponuntur; ergo similiter quando bona immobilia in eum statum transferuntur, vt neque ipsa, neq; illi, qui habent dominium vtile eorum (vt sic dicam) neq; proprius, ac principalis dominus eorum sub iurisdictione Principis maneant, eo ipso à tributis eximuntur.

Eadem ratione conclusio confirmatur.

Et confirmatur hæc ratio ex alio principio iuris, quòd vbi dispositio aliqua ad eum casum venit, à quo incipere non potuisset, prior dispositio cessat, quando nimirum, eadem ratio militat in continuatione, quæ in inceptione. Ita verò est in præsenti; nam impositio, vel exactio tributi non potest incipere in Ecclesiasticis bonis; ergo nec potest in eisdem bonis, postquàm Ecclesiastica facta sunt, continuari. Ideoque in talis tributi impositione à principio hæc conditio intelligitur inclusa, vt tamdiu duret, quamdiu res illa non fuerit inhabilis, seu incapax talis tributi, tunc enim sicut inchoari non posset tributum, ita neq; conseruari, quia eadem est vtriusq; ratio, vt declaratum est, & magis ex responsione ad fundamenta prioris sententiæ constabit.

27 *Confirmatio.*

28 *Responsio ad iura ciuilia in principio adducta.*

Ad iura ergo ciuilia respondetur, leges omnes, quæ permittebant ordinaria tributa ab Ecclesijs exigi, reuocatas esse per constitutionem Friderici, vnde ad l. 1. de Indictionib. respondetur, non oportere, fiscum in omnibus Ecclesiæ æquiparari, nam, Ecclesiam maioribus priuilegijs gaudere, æquum est. Authentica verò illa, quæ supponit, esse posse in Ecclesiæ bonis onera fiscalia, verum habere poterit in oneribus prioris generis, si fortasse bona, quæ ad Ecclesiam transierunt, priùs erant ex contractu, vel quasi contractu fisco obligata, & in eo casu locum habere potest decisio illa, quam retulit Gratianus in cap. 2. §. *Item prædium*. 10. q. 2. Ad iura canonica respondebimus ex professo duobus capitibus sequentibus. Ad rationem, quòd res transit cum onere suo, respondetur, efficaciter probare priorem assertionem, non tamen vrgere contra secundam. Ratio autem discriminis est, quia illud axioma procedit, quãdo res non transfertur in statum, in quo talis oneris incapax fiat: nam si tanta sit mutatio, consequens necessariò est, vt res à tali onere eximatur. Sic enim seruus, si legitimè ordinetur, ab onere seruitutis eximitur, & res consecrata, licèt antea esset muneribus sordidis, aut prophanis subiecta, vi consecrationis ab eis eximitur. In præsenti ergo bona, cùm Ecclesiastica fiunt, in altiori quodam statu cõstituuntur, in quo

Ad rationem quòd res transit cum onere sũ.

quo tributorum sunt incapacia, non tamen aliorum realium onerum, quæ ex contractib. priuatis nascuntur; & ideò per talem mutationem propria tributa cessant, non verò aliæ pensiones, nisi in casibus specialib. in iure expressis. Et tunc necesse est, vt vel is, qui ius aliquod habebat in talia bona, talem eorum mutationem fieri consentiat, vel, vt ei recompensatio fiat, iuxta ea, quæ capite sequenti dicemus.

29 *Quæsitum.* Sed interrogabit aliquis, cur non idem postuletur respectu Principis, quando bona illi tributaria in Ecclesiam transferuntur. Cùm enim inde detrimentum, & diminutionem in bonis suis patiatur, iniuste cum illo fieri videtur, si absque illius consensu, vel compensatione talis mutatio fiat. *Expeditio.* Respondetur, neutrum hic esse necessarium. Et ratio diuersitatis est, quia Princeps antea non habebat proprium dominiũ, vel ius aliquod particulare dominio æquiualens, ratione cuius ei deberetur tributum, sed solum ratione iurisdictionis illud exigere poterat, quia sub eius superiori administratione erat res ipsa, vel Dominus eius. Nulla autem ratio iustitiæ obligat ad conseruandam rem illam sub iurisdictione temporalis Principis, quia dominus eius potest de ipsa liberè disponere. Maximè verò potest eam Deo dicare, seu donare, per quam donationem fiunt talia bona Ecclesiastica, non est autem necessarius consensus Principis, vt bona sæcularia Ecclesiastica fiant. Quod (vt dixi) & iure canonico cautum est, & iure diuino naturali, ratione dicta satis videtur fundari.

30 Neque refert, quòd prouentus Principis inde possint diminui, quia diminutio nõ fit in proprijs bonis, sed in stipendijs communibus, estque per accidens, consequitur enim ex subtractione materiæ, religiosè, & iustè facta, & ob hanc causam non debetur recompensatio. Præsertim quia etiam è contrario contingere potest, vt si bona Ecclesiastica vendantur, & sæcularia fiant, tributaria esse incipiant, & ita prouentus Principis augentur. Quæ omnia in priuatis oneribus ex peculari iure, seu dominio profectis locum non habent, vt ex dictis satis constat. Accedit, quòd cessatio tributi in eo casu non fit priuata voluntate, vel authoritate donantis, sed fit authoritate iuris, vel diuini, vel humani in diuino fundati. Et ideò ibi etiam non deest consensus Principis ipso iure datus virtute dictæ legis ciuilis, qui reuocari ampliùs non potuit, postquàm Ecclesia beneficium illud, & priuilegium acceptauit, quanquam etiam sine illo id fieri posset virtute iuris diuini, vel etiam canonici, sicut suprà de hac exemp[illegible]ne Ecclesiastica generaliter ostensum est.

31 *Ad vltimã confirmationem.* Vnde ad vltimam co[illegible]mationem respondetur, detrimentum illud ora[illegible]riè non esse magni momenti, neq; illius considerationem haberi, propter rationes factas. Si tamen aliquando contingeret, tot bona Ecclesię acquiri, vt in graue præiudicium, magnamque diminutionem Regalium prouentuum redundaret, summus Pontifex consulendus est: nam ad illum spectat, in huiusmodi casibus remedium adhibere. Non enim licèt Christianis Principibus *Ecclesiastica bona inuadere*, vt in dicta Authentica *Item nulla* expresè dicitur, nec etiam possunt de illis disponere, aut statuere, vt in superioribus probatum est.

CAPVT XXI.

ALIQVIBVS OBIECTIONIBVS OCcurritur, & quam sit antiqua hæc bonorum Ecclesiasticorum exemptio obiter explicatur.

1 *Prima obiectio ex iure canonico.* COntra ea, quæ in superioribus capitibus definita sunt, aliqua obijci possunt, quæ vel falsam esse doctrinam, vel saltem nimis nouam suadere possunt. Et primo ex iure canonico obijci-

A tur cap. *Si tributum*. 11. q. 1. sumptum ex Ambrosio orat. seu concion. 1. de Basilicis non tradend. in fine, vbi inquit: *Si tributum petit Imperator, non negamus, agri Ecclesiæ soluunt tributum.* Et similia ferè habet in cap. *Conuenior*. 23. q. 8. sumpto ex eadem oratione, & epist. 33. ad Sororem, quæ nunc est 13. lib. 2. Secundo objcitur c. *Tributum*. 23. q. 8. vbi Vrbanus Papa sic inquit: *Tributum in ore piscis, piscante Petro, inuentũ est, quia de exterioribus, quæ palam cunctis apparent Ecclesia tributum reddit.* Et infrà. *De exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est, pro pace, & quiete, qua nos tueri, ac defensare debent, Imperatoribus persoluendum est.* Tertiò objcitur ca. *Sancitum est*. 23. q.
B 8. vbi specialiter dicuntur exempta à tributis Ecclesia cum hortis, atrijs, & domibus ei coniunctis, & mansis eius, postea verò additur. *Et si amplius aliquid habuerint, inde senioribus suis debitum seruitium impendant*, per quæ verba tributum aliquod significatur, vt omnes intelligunt, & ipsa præ se ferunt. Hæc ergo est generalis regula, quòd bona Ecclesiæ soluũt tributum illis paucis exceptis, quæ in principio posita fuerant, quæ exceptio regulam in cæteris firmat. Et quamuis caput illud sit Concilij Vvormatiensis prouincialis cap. 50. pro vniuersa Ecclesia receptum est in c. 1. extra de Censib. per Greg. 9. qui solum ante
C quadringentos ferè annos præcessit.

Secundò principaliter ex iure ciuili objcitur l. 2 *Placet*. C. de Sacros. Eccles. quæ est Honorij, & Theo- *Secunda objectio ex iure ciuili.* dosij in l. 40. de Episcop. & Cleric. in C. Theodosia-no, vbi licèt Ecclesiæ eximantur à muneribus sordidis, & ab extraordinarijs tributis, non tamen ab ordinarijs, vt patet ex illis verbis apud Iustinianum: *Nihil præter canonicam illationem*, id est, præter ordinariam, & certa regula statutam impositionem. Imò etiam posse exigi aliquid, *si aduentitiæ necessitatis sarcina repentina poposcerit*, quam legem suo decreto inseruit Gratianus in c. *Generaliter*. §. *Placet*. 16. q. 1. significans, ius canonicum legem illam non repudia-
D re. Secundo objcitur lex *De ijs*. C. de Episcop. & Cleric. vbi prædia clericorum cogenda dicuntur *ad pensitanda fiscalia*, sub prædijs autem Clericorum etiam Ecclesiarum intelligi videtur. Tertiò objcitur l. vlt. C. de Exactor. tribut. lib. 10. quæ sic habet: *Si diuina domus, aut quæcunq; alia cuiuscũq; dignitatis, atq; fortunæ fundos quolibet titulo possederit, & non impositas reipublicæ functiones agnouerit, quemadmodum prior dominus dependebat, omnibus modis possessiones eorum publico vindicentur*, vbi Glossa per publicas functiones exponit *tributa*, & *annonas, onera*, (inquit) *rerũ, & ideo cum rebus ipsis ambulatoria.* Sic enim Imperato-
E res rescripserunt. *In vectigalibus ipsa prædia conueniri*. l. *Imperatoris*. ff. de Publicanis, & Vectigalib. ac subindè huiusmodi tributa onera esse realia, & ab Ecclesijs deberi (iuxta illam legem) quacunque ratione prædia ad eas deuenerint.

Ad has obiectiones possemus vnico verbo respon- 3 dere, illa iura procedere secundum antiquum mo- *Responsio vniuersalis ad omnes obiectiones factas.* rem, iam verò reuocata esse, maioraque priuilegia esse Ecclesijs concessa. Quæ responsio non grauatè acceptari posset pro legibus ciuilibus, prout illam tradiderunt Glossæ in dicta l. *Placet*, & in dicta l. *De ijs*. Quod tamen spectat ad ius canonicum, incredi-
F bile est, per illud fuisse aliquando approbata huiusmodi tributa, præsertim post tempora Christianorum Imperatorum, & ideo priùs, quam ad singula respondeamus, explicare oportet, quàm sit antiqua quoad hanc partem tributorum, Ecclesiarum exemptio: nam de illa ferè idem sentiendum censeo, quod de exemptione ipsa in genere in superioribus dixi, quia hæc pars quædam est Ecclesiasticę immunitatis, & non minùs necessaria, minus ve rationi consentanea, quàm alia. Distinctio igitur suprà tradita hic etiam præmittenda est: nam aliud est loqui de iure, aliud verò de facto.

4 *Prima conclusio. Quam sit antiquum priuilegium non soluendi tributa ex bonis Ecclesiæ.*

Primò ergò dicimus, priuilegium, seu ius non soluendi tributa ex Ecclesiasticis bonis, à principio inditum, & cum ipsa Ecclesia quasi concreatum fuisse. Hoc facilè patet ex suprà dictis in genere de origine Ecclesiasticæ immunitatis, & eodem modo declarandum est. Nam in primis censeo, hoc ius intrinsecè oriri ex ipsa Ecclesiæ institutione, prout à Christo facta est: nam ex vi talis institutionis Ecclesia capax est ad acquirendum bona tam immobilia, quàm mobilia, quæ ad solum Dei cultum, vel pietatis opera sint destinata. Non enim habet Ecclesia hanc capacitatem, seu potestatem ab Imperatoribus, aut ab hominibus, sed intrinsecè, & ex natura rei illam habet, eo ipso quòd est hominum mortalium congregatio habens specialem vnitatem, & vinculum ex Christi institutione. Siue talis capacitas consideretur in Ecclesia, ex eo quòd est congregatio hominum vtentium libertate, quæ est fundamentum dominij externarum rerum, siue consideretur, vt est vnum corpus, cuius principale caput est Christus, qui multò magis capax est talis dominij. Vnde à principio Ecclesiæ cœperunt fideles bona sua ipsi Ecclesiæ tradere, quæ eo ipso fiebant communia ipsius corporis Ecclesiæ, per quam distribuebantur singulis quoad eorum vsum, vt ex Actibus Apostolorum manifestum est. Et licèt tunc solum haberet Ecclesia bona mobilia, paulò post cæpit immobilia acquirere, non ex priuilegio extrinseco, sed ex intrinseca potestate, & prudenti voluntate, ac dispensatione Pastorum Ecclesiæ, vt ex Vrbano Papa in epistola sua cap. 1. intelligimus & habetur in cap. *Videntes*. 12. q. 1. Vixit autem Vrbanus anno. 227. & tamen commemorat, iam anteà ordinatum esse à summis sacerdotibus, vt prædia, quæ dabantur Ecclesiæ non venderentur, sed sub potestate eiusdem Ecclesiæ conseruarentur, vt ex redditibus eorum melius posset omnibus fidelium necessitatibus subuenire. Qui mos à tempore Constantini multum quidem auctus est, non quia Constantinus ipsi Ecclesiæ potestatem dederit talia bona acquirendi, sed quia sua fide facultatem dedit omnibus donandi Ecclesiæ quæcunque vellent, & suo exemplo illos præiuit, & excitauit, vt sumitur ex edicto de Primitiua Ecclesia, & munificentia Cõstantini, quod habetur tomo 1. Concilior. & in cap. *Futuram*. 12. q. 1.

5 Ex quo vlterius colligimus, ab eadem Ecclesiæ institutione prout à Christo facta est, intrinsecè oriri, vt hæc bona, quæ Ecclesiæ traduntur, vel acquiruntur, Christo tanquam principali Domino acquirantur, quia non acquiruntur Ecclesiæ, nisi vt corpori mystico, cuius principale caput est Christus. Et ideo licèt in Ecclesia sit potestas dispensandi hæc bona, illa tantum est ministerialis à Christo descendens, & in Pastoribus Ecclesiæ præcipuè residet, quia illi sunt dispensatores mysteriorum, & bonorum Christi in terris. Atque hinc sandem ius exemptionis talium bonorum ab humanis tributis videtur necessariò consequens ad talis Ecclesiæ institutionem, quia caput huius Ecclesiæ, quòd est præcipuus dominus talium bonorum, habet connaturalem non tantum exemptionem, sed etiam potestatem, & dominium super omnes Reges terræ. Vnde non est dubium, quin & Christus potuerit immediatè, & per se ipsum talia bona eximere à tributis eo ipso, quòd sua sunt, & quod hoc sit valde consentaneum diuinitati, & excellentiæ personæ suæ.

6 *Pontifex summus potuit se solo bona Ecclesiæ à tributis eximere.*

Addendum præterea est, etiam si talia bona iure ipso diuino non fuissent immediatè à tributis exempta, Pontificem sua potestate potuisse illa eximere, sicut suprà de personis diximus: est enim ferè eadem ratio seruata proportione. Vnde sicut Ecclesia semper habuit hanc potestatem, ita semper habuit ius ad gaudendum hac immunitate quoad Ecclesiastica bona. Probatur autem primo ex illo principio, quòd Christus habet ius; ergo prudentem illius executionem Pastoribus Ecclesiæ, & præsertim Vicario suo commisit, sicut illi etiam præcipuè commisit aliorum bonorum suorum dispensationem. Secundò hac ratione habet Vicarius Christi potestatem, & obligationem bene administrandi patrimonium Christi sed vnus ex præcipuis actibus huius administrationis est vindicare illa bona ab oneribus, & tributis, quantum pietas, & religionis ratio, seruata iustitia, postulauerit. Sicut ergo à principio Ecclesiæ administratio, & dispensatio talium bonorum in Christi Vicario, & Episcopis fuit, vt latè probatur in decretis. 96. d. & 12. q. 1. & 2. ita & ius exemptionis talium bonorum perpetuò in Ecclesia fuit. Tertiò, eadem est ratio de exemptione à iurisdictione, & à tributis; imò hæc posterior sequitur ex priori, vt probatum est; sed Ecclesia ex vi potestatis dispensandi, & administrandi talia bona, habuit semper potestatem, & ius ad eximendum hæc bona à iurisdictione sæculari, vt suprà probatum est; ergo idem ius habuit semper etiam circa tributa. *Secundò. Tertiò.*

Vltimò declaratur, & optima ratio huius potestatis redditur, quia potestas Ecclesiastica, vt est in capite, & Vicario Christi, est suprema in suo ordine, & quia ille ordo est diuinior cæteris, ideò illa etiam est suprema simpliciter respectu omnium potestatum terræ. Illa verò potestas licet spiritualis sit, indiget vsu temporalium bonorum ad conuenientem gubernationem, & executionem suæ potestatis; ergo etiam vt versatur circa bona temporalia sibi commissa, est potestas simpliciter suprema; ergo per se sufficit ad eximendum hæc bona ab impositionibus, quæ per quamcunque aliam terrenam potestatem fieri possent. Vnde ipse Pontifex potest talia bona tributis onerare independenter à consensu alterius, tanquam supremus gubernator, dummodò id faciat tanquam fidelis dispensator, & prudens, iuxta Clementin. 1. *vt lite non contestata* in fine, cum similibus; non posset autem Pontifex habere tam liberam, & supremam potestatem, si non posset bona illa à grauaminibus aliorum Principum eximere, alioqui sæpiùs talia bona nimium grauarentur, & bellum iustum ex vtraq; parte oriretur, si vna potestas alteri non cederet. Quod si altera recognoscenda, & præferenda est, illa profectò spiritualis potestas esse debet, vt sæpe dictum, & probatum est. *7 Quarò.*

Secundo dicendum est de facto, seu executione huius exemptionis à tributis realibus, bonis immobilibus impositis; nec semper fuisse in Ecclesia necessariam, nec semper possibilem, nec certò constare quando inceperit, verisimile tamen esse, à principio Christianorum Imperatorum introductam esse, & quantum per Pastores Ecclesiæ fieri potuit, fuisse seruatam. Prima pars manifesta est de illo primitiuo tempore, in quo Ecclesia hæc immobilia bona non habebat, sed agros, & prædia sibi à fidelibus oblata ad sustentanda communia onera vendebat, vt in dicto cap. *Videntes* dicitur. Tunc enim non erat in Ecclesia materia, seu fundamentum talium tributorum, & ideò dicimus, non fuisse illi necessariam huiusmodi exemptionem. Secunda pars procedit de secundo tempore, ex quo cœpit Ecclesia talia immobilia bona possidere, & retinere (iuxta idem cap. *Videntes*) vsque ad tempora Christianorum Principum, seu Constantini. Nam eo tempore Imperatores, & Reges, quibus hæc tributa soluebantur, non erant Ecclesiæ filij, ac subditi, neque fide carentes intelligere valebant, quale esset Ecclesiæ ius ad liberum vsum talium bonorum, ideòque non potuit eo tempore Ecclesia aut efficaciter, aut cum fructu, imò neque sine scandalo illo iure vti. Tertia pars de incertitudine in primis sumi potest ex obiectionibus factis. Ac deinde, quia non inuenimus iura, ex quibus initium huius executionis, seu obseruatæ exemptionis clarè, & cum certitudine colligamus. *8 Secunda conclus. Priuilegium exemptionis bonorũ Ecclesiæ non semper obseruatum fuit Probatur conclusio.*

Dico

9 Dico autem, esse incertum hoc initium quoad negationem prioris temporis: nam quoad affirmationem alicuius temporis, in quo stabilita est exemptio, semper in posterum duratura, satis certò assignari potest, saltem à tempore Friderici. 2. & Honorij. 3. vt ex hactenus dictis satis constat. Quòd verò ante illud tempus saltem iurè canonico fuerit stabilitus vsus huius exemptionis manifestum est ex Concilio Lateran. sub Alexandro. 3. quod ferè centum annis præcessit, & ex alio Lateranensi sub Innoc. 3. posteà celebrato c. *Non minus*, & cap. *Aduersus*, de Immunit. Eccles. Atq; ex eisdem decretis colligitur, hoc ius non fuisse in illis inchoatum, sed antiquius esse, & in illis Cócilijs sub grauioribus censuris, & declarationibus fuisse confirmatum. Vnde licèt fortè non inueniatur antiquius decretum expresse, & in specie hanc exemptionem bonorum Ecclesiasticorum stabiliens, ex hoc ipso probabiliter coniectamus, non tam iure Pontificio scripto, quàm non scripto, traditione, & præceptis Prælatorum fuisse obseruatam in Ecclesia hanc immunitatem, ex quo inceperunt Pontifices expeditam, & liberam habere suam potestatem Ecclesiastica bona administrandi, id est, postquam impedimentum ethnicorum Imperatorum sublatum fuit.

10 Vide edictũ Constantini apud Eusebiũ lib. 10 Hist. cap. 5. & in vit. de Laudibus Constantini.

Vnde etiam mihi verisimile est, Constantinum statim exemptionem hanc Ecclesiasticis bonis concessisse, vel in eam potiùs consensisse. Nam omnes historiæ tradunt, eum statim omnia bona Ecclesijs restituisse præcepisse, & non solùm maxima liberalitate Ecclesijs prædia donasse, sed etiam magnis priuilegijs illas muniuisse. Eumq; successores pij, & catholici imitati sunt. Imò notat Baronius an. 387. n. 13. post Imperatores gentiles non nisi apostatas, vel hæreticos Imperatores de bonis Ecclesiæ tributum exegisse, primumque eorum Iulianum Apostatam fuisse. Quamuis ergo in Codice Iustiniano, vel Theodosiano non inueniatur lex ciuilis expresè concedens hoc priuilegium ante constitutionem Friderici, nihilominus credendum est, longè antea, imò à principio Christianorum Imperatorum fuisse ab eis concessum, vel admissum. Et licèt interdum fuerit intermissum, patienter ferente Ecclesia, non consentiente, non iure, sed per tyrannidem est factum, tum quia contra ius diuinum, & canonicum, tum etiam quia tale priuilegium semel concessum reuocari non poterat; ideòque quoties Imperatores generaliter renouant priuilegia à suis prædecessoribus Ecclesijs concessa, sub illis hoc etiam comprehendi existimandum est.

Exemptio bonorũ Ecclesiæ ante Fridericum per leges ciuiles statuta fuit.

Vide Codicem Theodosianũ tit. de Episcop. & cleric. in multis legibus præsertim in vltimis.

11 Prima responsio ad Ambrosiũ.

Ad Ambrosium ergo in cap. *Si tributum*. 11. q. 1. Glossa ibi videtur simpliciter concedere, prædia Ecclesiæ subiecta esse tributis, solumque in hoc gaudere priuilegio, quòd licèt illud non soluat Ecclesia, non poterunt eius bona vindicari. Sed hoc si intelligatur de hoc tempore omnino falsum est; si verò intelligatur de tempore Ambrosij, magis est tolerabile, sed non verum. Alia igitur Glossa in cap. *Secundum canonicam*. 23. q. 8. textum illum intelligit de oneribus realibus, cum quibus bona ad Ecclesiam transierunt, sentitque ex sententia Ambrosij teneri Ecclesiam ad illa soluenda. Videtur autem intelligere de proprijs tributis, nam de his certè loquitur Ambrosius, vt patet ex illis verbis: *Si tributum petat Imperator, &c.* In hoc autem sensu falsa esset sententia, ideòque illam non admittimus.

Secunda.

12 Tertia, & vera responsio.

Verus ergo intellectus verborum Ambrosij est, quem latè tradit Cardinalis Albanus suprà, & vno verbo complexus est Cardinalis Baronius suprà dicens, verba illa dicta esse ab Ambrosio, permittendo potiùs, quàm probando, & factum asserendo, non ius confitendo. Verisimile enim est, illo tempore, quod erat Valentiniani iunioris, & pueri, Iustinam eius matrem, & pro illo gubernantem, & Arianam, tributum aliquod ab Ecclesijs exegisse, prudenter-

A que censuisse Ambrosium, non fuisse tunc illi resistendum, vel propter vitanda scandala, vel quia maiora pericula tunc imminebant Ecclesiæ, quibus magis occurrere oportebat, nec poterat simul omnibus resisti. Vnde eodem tenore verborum subiungit Ambrosius, *Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum, nemo nostrum interuenit, potest pauperibus collatio populi redundare, non faciant de agris inuidiam, tollant eos, si libitum est*, explicans autem quo sensu hoc dicat, subiungit, *Imperatori non dono, se non nego*, quasi dicat, permitto non approbo. Multò verò facilius poterat tributum, quàm vsurpatio prædiorum permitti: nam hæc posterior

B ita continet iniustitiam, & sacrilegium, vt excusari per ignorantiam non possit, tributorum autem exactio non ita præ se fert intrinsecam malitiam, quin ignoratione occultari, vel aliquo apparenti titulo colorari valeat. Et ideò potuit hoc facilius dissimulare Ambrosius, existimans etiam, tributum illud tũc non fuisse omnino iniustum, nam inferius in eadem oratione subiungit: *Soluimus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, tributum Cæsaris est, non negatur, Ecclesia Dei est, Cæsari vtiq; non debet addici, quia ius Cæsaris esse non potest.* Et ita etiam responsum est ad cap. *Conuenior*.

C Ad cap. *Tributum*. Albanus suprà eandem accommodat responsionem, videlicet, Vrbanum de facto fuisse loquutum, non de iure, dicens, persoluendum esse tributum ab Ecclesia sponte, & ad vitandum scandalum, non ex obligatione, aut debito. Et ad hoc suadendum inducit verba illa, *Pro pace, & quiete, &c.* Sed violenta videtur interpretatio, nam verba Pontificis sunt, *Quod constitutum antiquitus est, pro pace, & quiete, qua nos tueri, & defensare debent, Imperatoribus persoluendum est.* Quorum verborum sensus non est, soluendum esse tributum gratia vitandi scandalum, & seruandi pacem, sed soluendum esse Imperatoribus propter officium, & obligationem,

D quam habent, nos tuendi, & in pace conseruandi. Vnde verba illa magis indicant ius, quàm factum; nam de facto in principio dixerat, *De exterioribus suis Ecclesia tributum reddit*, posteà verò reddit rationem, propter quam persoluendum est. Et ita ibi Turrecrem. & alij textum illum intellexerunt, non solùm de facto, sed etiam de debito. Vnde aliter respondent, interpretando textum illum de solis bonis, quæ ad Ecclesiam cum onere tributi peruenerunt.

13 Ad cap. Tributum. Prima responsio.

Alia responsio.

Mihi verò etiam hoc non satisfacit, quia textus indifferenter loquitur de tributo. Gratis enim limitaretur ad tributum improprium, seu priuatum o-

E nus in pacto aliquo fundatum; nam potiùs verba declarant, sermonem esse de tributo, quod Imperatori soluitur ratione publici muneris, quod Ecclesia non debet, siue antiquum, siue nouum sit, quia eiusdem sunt rationis, vt dixi. Aduerto igitur, caput illud referri à Gratiano ex Vrbano Papa, non designat autem, quis ille Vrbanus fuerit, licèt autem nulla habeamus decreta in tomis Conciliorum, aut Epistolarum decretalium, Vrbani. 2. vel posteriorum illo nomine nuncupatorum, neque inter acta Vrbani primi decretum illud in tomo. 1. Conciliorum reperiatur, coniectamus nihilominus potiùs esse Vr-

F bani primi, quàm aliorum, quia modus loquendi illius textus magis redolet antiquitatem Vrbani primi, quàm nouiora tempora aliorum Vrbanorum. Hoc ergo dicimus, Vrbanum fuisse loquutum iuxta morem sui temporis, quando Imperatores erant ethnici, & Ecclesia nondum sibi libertatem ab huiusmodi tributis vindicauerat, iam verò ius illud cessasse.

14 Impugnatur.

Vera responsio.

15 Ad ca. Sancimus.

Ad cap. *Sancimus*, & cap. 1. de Censibus Glossæ ibi intelligunt illa vltima verba de antiquioribus oneribus realib. Quæ responsio pro textu illo mihi placet, dummodo intelligatur de oneribus priuatis, de

quibus præcedenti capite in conclusione prima loquuti sumus. Et ad hunc sensum confirmandum ponderari potest, ibi non fieri mentionem tributi, neque Principis, sed *maioribus*, vel potiùs vt habet originale, *Senioribus suis* (inquit Concilium) *debitum seruitium impendant*. Quæ verba (quidquid Gratianus in 6. sequenti, & Glossa ibi dicant) ampliora sunt, nam *debitum seruitium*, rectè de quocumque onere dicitur, per *seniores* autem intelligunt Glossa, & Ioan. Andr. in dict. c. 1. de Censib. antiquos Dominos, à quibus res transierunt ad Ecclesiam cum onere suo, & ideo illis persoluendum est ab Ecclesia de eisdé bonis, quando non pertinent ad mansum Ecclesiæ, nec ad alia loca illi coniuncta, de quib. ex speciali illius iuris dispositione nihil præter Ecclesiasticum solui permittitur. Quæ exceptio *Ecclesiastici* firmat regulam in contrarium respectu aliorum onerum realiũ, cuiuscumq; generis sint. Si autem Ecclesia præter hęc bona aliquid amplius habuerit, vt in textu dicitur, obligata erit ad onera realia, quæ ad antiquiores dominos virtute alicuius pacti pertinuerint. Ratio autem specialis exemptionis priorum bonorum esse potest, quia vel censentur quasi partes accessoriæ ipsius Ecclesiæ, quæ totam illam immunitatem meretur, & accessorium sequitur naturam principalis, vel ad Ecclesiæ sustentationem iudicantur necessaria, vt ibi notat Abbas, & ideo alia onera in eis non permittuntur. Vnde si priùs illa habebant, eo ipso, quòd bona vniuntur Ecclesiæ cessant onera, vt in præcedenti capite declaratum est.

Bona ad mãsum Ecclesiæ spectantia ab omni tributo manent exempta.

16 Tandem ad leges ciuiles vnico verbo respondetur cum Glossis supra citatis derogatas esse illas leges per constitutionem Friderici. Aut fortasse melius diceretur, leges illas semper fuisse nullas, vt in simili significauit Glossa in capite. *Generaliter* 16. q. 1. verb. *Collationibus*. Ratio autem est, quia tales leges erant contra priuilegia priùs Ecclesijs concessa, quæ reuocari non poterant, vel certè, quia disponebant in materia Ecclesiastica, & in Ecclesiæ præiudicium, quod leges ciuiles facere non possunt, vt sæpe dictum est. Quibus addimus, inter ordinationes Lusitaniæ lib. 2. tit. 22. inueniri optimam legem, quæ doctrinam datam confirmat.

Ad leges ciuiles in contrarium inductas.

CAPVT XXII.

QVALIS SIT EXEMPTIO ECCLESIASTICA quoad personalia onera clericorum.

1 NON intendimus in hoc capite declarare, quæ personæ, vel quomodo hac exemptione gaudeant, hoc enim ad alteram partem materiæ quasi remotam pertinet, de qua in capite vigesimo tertio, dicere incipiemus, sed generatim supponimus, id, quòd per se notum in hac materia est, clericos priuilegio exemptionis gaudere, & quia in superioribus ostensum est, materiam illius exemptionis esse iudicia sæcularia tam criminalia, quàm ciuilia, & leges ciuiles tam coactiuas, seu pœnales, quàm directiuas, seu obligationem directe inducentes, ideo dicendum superest, an respectu earundem personarum tributa etiam sint materia huius exemptionis. Hæc autem tributa, quædam imponi solent ipsis personis sine respectu ad bona, quæ dicuntur purè personalia, & appellari solent nomine *census*, vt Matth. 17. iuxta multorum expositionem, & in iure Cod. de Capitatione ciuium censibus eximenda lib. 11. vbi idem tributum *census*, & *capitatio*, appellatur, quia per capita iuxta numerum sine respectu ad bona cõponebatur. Aliquando vero imponitur tributum ratione bonorum, quod vel reale, vel mistum appellatur, vt dicemus capite sequenti, vbi de bouis tractabimus, nunc enim de puris personalibus oneribus agimus.

A Primo ergo dicendum est, personas Ecclesiasticas gaudere personali immunitate quoad census, seu capitationis tributum. Hæc assertio certissima est inter catholicos, nam expresè habetur multis decretis iuris Canonici supra ad probandam exemptionem in generali inductis, vt cap. *Aduersus*, cap. *Non minus*, de Immunitat. Eccleſiar. & in cap. *Quanquam* de Censib. in 6. & in alijs, in quibus specialis fit mentio personarum. Et ita ibi notant omnes expositores, idemque docent Theologi in 2. d. 34. Estque hæc exemptio antiquissima non solum iure canonico, sed etiam ciuili, vt colligi potest ex Codice Theodosiano tit. de Episcop. & Cleric. leg. 8. quam tribuit Con-
B stantino Gratianus in cap. *Generaliter*, 16. q. 1. & his verbis eam refert, *Iuxta Sanctionem quam dudum mersisse perhibemini fundos, & mancipia vestra, &c.* tamen in Codice Theodosiano tribuitur Constantino, & hoc modo legitur: *Vos, & mancipia vestra nullus nouis collationibus obligabit, sed vacatione gaudebitis*. Et eodem modo legitur in l. 1. Cod. de Episcop. & Clericis, vbi Constantino tribuitur. Idem Priuilegium confirmauit Gratianus in l. 26. eodem tit. vbi habet hæc verba notanda. *Quis eos capite censos patiatur deuinctos, quos necessario intelligat supra memorato obsequio* (scilicet Ecclesiæ) *mancipatos*. Idemque priuilegium magis declaratum, & confirmatum est à Friderico.

2 *Clerici à tributis exempti.*

C Et quidem si aliqua clericorum exemptio est de iure diuino naturali, & conformis Euangelico, maximè hæc, quæ est à tributis mere personalibus. Probatur. quia personæ non imponitur iusta ratione tributum, nisi vel ratione bonorum, vel ratione priarium actionum, quatenus per eas aliquid lucrari potest, vnde tale tributum soluat. At verò quando priori modo tributum imponitur, non est pure personale, sed mistum, & ideo non pertinet ad præsentem quæstionem, sed ad aliam tractandam capite sequenti. Posteriori autem modo non sunt capaces clerici tributi personalis secundum rectam rationem,
D quia ratione sui status sunt omnino dicati cultui diuino, & ex vi talis status actiones suas non ad lucra temporalia, sed ad spiritualia ministeria ordinare debẽt; ergo ex vi sui status iure naturali exempti sunt à tributis personalibus, & temporalibus. Nec refert, quòd stipendium aliquod temporale propter talia ministeria possint recipere: nam illud non est per modum temporalis lucri, sed est per modum iustæ, & congruæ sustentationis, quæ non debet subtrahi, vel diminui per impositionem tributi. Eo vel maximè quod illud stipendium est quasi annexum, & accessorium ministerio spirituali, & ideo participat
E eius naturam, & conditionem, ac proinde libertatem, & exemptionem, quam spiritualia ministeria habent ab omni sæculari potestate.

3 *Dicta Clericorum à tributis exemptio est de iure diuino.* *Probatur primo* *Tertio* *sectioni confirmat.*

Vnde etiam est euidens alia ratio, quia nemo potest personale tributum imponere, nisi in personam suæ iurisdictioni subiectam, sed personæ clericorum non sunt subiectæ iurisdictioni sæcularium Principum, ergo nec tributis personalibus ab eis possunt onerari. Atque iuxta hæc principia colligitur hæc exemptio clericorum ex verbis Christi Matth. 17. *Ergo liberi sunt filij*, ibi enim de exemptione à tributis, & præsertim personalibus sermo erat. Nam tributum illud, quod Cæsari soluebatur, & census appellabatur, & idem esse videtur, quod per capita impo-
F situm fuit à Cæsare, quando iussit, *vt describeretur vniuersus orbis*, vt dicitur Luc. 2. Ab hoc autem tributo principaliter liberi sunt filij, consequenter verò liberi etiam esse debent familiares eorum, qui & omnino circa personas, & obsequia filiorum occupati sunt, & eorum bonis aluntur. Sic ergo per quandam consecutionem clerici sub illis verbis continentur. Ad quem sensum trahi recte possunt verba Hieron. ibi: *Nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filij Regis à vectigalibus immunes sumus.*

4 *Idẽ probatur secundo.*

Oportet

Oportet autem, vt sub illo pronomine: *Nos*: non omnes Christianos, sed Ecclesiasticos tantùm comprehenderet.

5 Hincque D. Thomas in 2. d. 44. q. 2. art. 2. ad 1. tractans eundem locum, ait: *Quod Christus loquitur de se, & suis discipulis, qui nec seruilis conditionis erant, nec res temporales habebant, quibus suis dominis obligarentur ad tributa soluenda.* Vnde vlteriùs subinfert, ex vi eorundem Christi verborum eximi omnes, *qui Apostolicam vitam profitentur, nihil in hoc mundo possidentes, & à conditione seruili immunes*. Videtur autem conditionem seruilem appellare, vel temporalem subiectionem ad iurisdictionem sæcularem, vel curam, & solicitudinem, quæ lucris temporalibus acquirendis incumbit. Et eandem doctrinam habet Bonauent. art. 3. quæst. 1. ad 1. & Richard. ar. 3. q. 1. ad 1. ex argumentis secundo loco positis, & Thomas de Argentina ibidem ar. 4. in quadam solutione ad 3. Et eodem modo exposuit Lyra eadem verba Matt. 10. & Glossa ordinaria vsurpans verba Augustini lib. 1. Quæstion. Euangelicar. quæst. 23. dicit, liberos esse filios regni illius, sub quo sunt omnia regna terrena. Exponunt autem scholastici suprà citati, per filios regni intelligendos esse, non omnes Christianos, sed eos, qui propter Christum omnia reliquerunt. De quo sensu, quòd fuerit intentus ab Augustino, non asserto, probabile autem censeo, omnes has personas per quandam consecutionem, saltem quantum ad hæc tributa personalia, sub verbis Christi comprehendi.

6 Dico secundo. Clerici exempti sunt non solum à tributis pecuniarijs, sed etiam ab omnibus, quæ in actione aliqua sordida, aut sæculari, vel in obligatione subeundi talia munera consistere possunt. Hæc assertio frequens est in iure ciuili, præsertim in Codice Theodosiano in tit. de Episcop. & Clericis, nam in l. 1. præcipit Constantinus, *ne clerici nominationibus, seu susceptionibus aliquibus, quas publicus mos exposcit, contra indulta sibi priuilegia prægrauentur.* Et l. 2. dicit, *ab omnibus omnino muneribus excusentur, ne à diuinis obsequijs auocentur.* Et in l. 9. ait Constantius: *Curialibus muneribus, atque omni inquietudine ciuilium functionum exortes clericos esse oportet*, & in l. 10. *Repellatur ab his exactio munerum sordidorum.* Idem in l. 11. & l. 14. Idem Valentinianus in l. 21. & 22. & 24. & Arcadius, & Honorius in l. 36. inquiunt: *Ab his, quos à publici laboris actu, & gradus clericatus, & (quod non minus est) sanctior vita defendit, præcipimus temperari.*

Clerici sunt exempti à muneribus sordidis.

7 Præterea in l. 1. C. de Episcop. & Clericis notanda sunt illa verba: *Nullus nouis collationibus vos obligabit, sed vacatione gaudebitis.* Vbi Glossa addit, *sordidorum munerum.* Item aliud exemplum huius exemptionis ibi additur, cum dicitur: *Neque hospites suscipietis*, quod continet speciale priuilegium, vt ibi late Glossa notat, & in l. 1. eadem immunitas generaliter traditur, & distinctius in l. *Placet* 17. eodem tit. *Placet, vt nihil commune clerici cum publicis actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cuius corpori non sunt annexi, habeant.* Et in l. *Generaliter*, eodem tit. specialiter eximuntur à tutelis, & curis pupillorum, & additur, tale beneficium illis fieri, qui non sunt diuagantes, neque circa diuina ministeria desides, *Cùm propter hoc* (inquit) *ipsum beneficium eis indulgeamus, vt alijs omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministerijs inhæreant.* Et idem priuilegium habetur l. *Placet.* C. de Sacrosanct. Eccles. & sumitur à simili ex l. *Sanctimus* eodem tit. vbi notanda sunt illa verba: *Cur non facimus discrimen inter res diuinas, & humanas, & quare non competens prærogatiua cœlesti fauore conseruetur.*

8 In iure autem Canonico non solum is modus exemptionis approbatur, & recipitur, toto tit. de Immunit. Eccles. sed etiam obseruari mandatur in toto tit. *Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotijs se immisceant.* Et per locum ab speciali sumi potest ex cap. *Peruenit* de Immunit. Eccles. vbi dicitur in tempore necessitatis nullum clericum esse excusandum à murorum vigilijs, sed ad hoc generaliter posse compelli, *vt cunctis vigilantibus, melius valeat ciuitatis custodia procurari.* Imò tunc etiam requiritur, vt id fiat, Episcopo approbante, & vt, si necessaria sit coactio, per eundem fiat iuxta ea, quæ capite sequenti notabimus. Duo ergo sunt in hoc genere exemptionis distinguenda, vnum est, vt non possint clerici cogi, aut obligari adhæc munera subeunda; aliud est, prohibere, & cum necessitate obligare, ne illa exerceant. Primum fieri potest non tantum per leges canonicas, sed etiam per ciuiles, quia in hoc non exercent iurisdictionem circa clericos, neque vtuntur vi coactiua, aut directiua propria, sed concedunt priuilegium, quod non semper spectat ad iurisdictionem, sed ad liberalitatem, vt suprà dixi. Quanquam si res attentè consideretur, supposito priuilegio fori, prædictæ leges magis loquuntur cum ministris sæcularibus, quàm cum clericis, magisque declarant, quid illi agere teneantur, quàm aliquid de nouo clericis concedant. Nam cùm clerici à iurisdictione laicorum exempti sint, non possunt leges, vel Magistratus sæculares clericos cogere, vt hæc onera subeant, vel vt ab his, vel illis muneribus abstineant. At verò lex Canonica vtrumque facere potest, & facit: nam efficaciter eximit clericos à muneribus prophanis, vel sæcularib. prohibendo, & cogendo, si opus sit, laicos, ne ad illa subeunda clericos compellant, & ipsos etiam clericos obligando, vt ab illis abstineant, vtrisque enim præcipere potest in ordine ad spiritualem finem, vt sæpe dictum est.

Ex iure canonico confirmatur assertio.

Ex quibus etiam facilè intelligitur, exemptionem clericorum quoad hanc partem, seu materiam ex iure diuino naturali sequi, in multis quidem necessaria illatione, in aliquibus autem valde propinqua quæ iure Ecclesiastico determinantur. Declaratur breuiter, nam clerici ex vi sui status destinati sunt diuinis obsequijs, quibus duplici titulo repugnare possunt sæcularia munera. Primò quia nemo potest duobus Dominis seruire, ideoque non possunt clerici sæcularibus negotijs implicari, quin à diuinis obsequijs auocentur. Secundò, quia sancta sanctè, & cum honore, ac reuerentia tractanda sunt, clerici autem per ordinationem, & deputationem ad diuinum cultum peculiarem sanctificationem acquirunt, & ideo vt sanctè, & honorificè tractentur, necesse est, vt ab his sæcularibus, aut vilioribus muneribus sint exempti. Vnde sicut suprà de rebus sacris dicebamus, ita de personis sacris nunc dicimus, ex natura rei sequi, vt in abstractione à sordidis muneribus singularem prærogatiuam habeant.

9 *Ex diuino iure assertio ostenditur.*

Inter hæc autem munera quædam sunt, quæ manifestè derogant sanctitati personarum, vel Ecclesiastica munera impediunt & quoad hæc necessariò sequitur hæc exemptio ex vi iuris naturalis. Imo sæpe non solum sequitur exemptio, sed etiam prohibitio, vt quando munera sunt vel nimis prophana, de quibus maxime dicit Paulus 2. ad Timot. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus.* Alia verò sunt munera, in quibus non statim apparet tanta deformitas, vt est v. g. tutela, vel cura pupillorum, honestam, & moderatam, vel necessariam artem exercere, & similia. Atq; in his determinari potest exemptio per ius canonicum. Quod interdum fit prohibendo talia munera; aliquando verò solum concedendo, ne clerici aliqua huiusmodi munera acceptare teneantur. Et hoc posterius etiam iure ciuili fit, sic enim clericus exemptus est à tutela. in Authentica *Presbyteros* sub l. 41. C. de Episc. & Cleric. & nihilominus possunt eam acceptare, si velint, vt ibi notat Glossa, & alia Glossa in cap. *Irreligioso.* d. 87. Et similiter li-

10

cèt clerici non cogantur testificari coram iudice sæculari, nihilominus in aliquibus causis id facere possunt, & ita de alijs similibus.

11 *Clerici vtilitatibus omnibus ciuilibus communibus priuari nequeunt.*

Dico tertio, Ad hanc libertatem, seu exemptionem clericorum pertinere, vt iuribus, commoditatibus, aut alijs rebus omnibus ciuibus communibus non priuentur. Hanc assertionem sumo ex doctrina Bartholi in Authentica *Cassa*. C. de Sacrosanct. Eccles. vbi dixit, leges ciuiles, per quas Clerici timidiores fiunt, contra libertatem Ecclesiasticam esse, etiam si tales leges cum ipsis clericis non loquantur. Idem tradit in l. 1. §. *Quæ honorandæ*. ff. *Quarum rerum actio non detur*, eamque doctrinam communiter sequuntur Canonistæ in cap. *Nouerit*, de Sententia excommunic. præcipuè Panormit. & Felin. & in capite vlt. de Immunit. Ecclesiar. in 6. vbi specialiter videri potest Ancharranus, & in repetit. capitis 1. de Constitut. & Cardinalis in Repetit. Capituli *Perpendimus*, de Sentent. excommunicat. §. *Et specialiter quæro*. Quid autem sit, Clericos fieri timidiores, non satis perspicuè à dictis authoribus explicatur, cùm tamen possit, & nimis amplè, & nimis restrictè intelligi.

12 *Clerici non redduntur timidiores, quoties ex legibus ciuilibus aliquod onus in eos resultat.*

Nimis ampla erit explicatio, si quis existimet, quoties laici aliquid faciunt, vel statuunt, ex quo redundat aliquod onus, vel incommoditas clericorum, toties fieri contra exemptionem, seu immunitatem eorum, quod interdum insinuant Canonistæ in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, de Constitut. & in cap. 1. de Noui operis nunciat. Sed illud non est indistinctè verum, nam quando grauamen illud, vel præiudicium generale est, & in vtramq; partem potest euenire, interdum in grauamen, & interdum in commodum, tunc si dispositio generalis est pro tota ciuitate, & in re ad commune bonum eius spectante, non potest dici imponi clericis grauamen contra libertatem eorum, quia nihil tunc fit contra eorum priuilegia, neque contra naturalem iustitiam. Item quia omnes ferè leges humanæ hoc habent, vt licèt communitati, & regulariter omnibus vtiles sint, interdum in alicuius præiudicium, vel grauamen redundent, neque propterea censentur iniustæ, vel nociuæ: tum quia bono communi intendunt, & propter illud iustè permittunt priuatum incommodum: tum etiam quia licèt in vna occasione, vel tempore videantur grauamen inferre, in alijs iuuant, & afferunt commodum, & ita vnum ex alio compensatur.

13 *Leges in materia cõmuni & in generali loquẽtes immunitati clericorum non derogant.*

Tales ergo leges, si disponant in materia communi omnibus ciuibus, & in generali loquantur, non erunt contra clericorum libertatem, nec verè dici possunt eis grauamen imponere, imò ab illis obseruandæ erunt eo modo, quo canones disponunt, quo ve suprà diximus, teneri clericos ad seruandas leges ciuiles iustas, & politicas suo statui non repugnantes. Atque hæc explicatio, & sententia communis est expositorum in cap. 1. de Noui. oper. nunciat. ex quo textu hoc ipsum probatur. Idem habent Felinus, & alij in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, de Constitut. & eãdem doctrinam supponunt plures Doctores, quos refert Tiraquel. in legibus connubialibus gloss. 8. q. 17. nu. 169. & sequentib. & de vtroque retractu p. 1. §. 1. gloss. 13. nu. 5. Idem sentiunt Caietan. verb. *Excommunicatio*. cap. 3ᵒ. & Nauarr. in Sum. cap. 27. num. 120. quatenus dicunt, legem ciuilem moderantem funeralem pompam quantum ad honorem humanum, prout esse potest materia talis legis, non esse contra libertatem Clericorum, etiam si fortasse aliquod grauamen inde sentiant, quia lucrum eorum aliqua ex parte impeditur, quia hoc est accidentarium, & aliunde potest compensari.

14 *Quando clerici per ciuiles leges timidiores fiant.*

Nimis verò strictè intelliget doctrinam illam, qui existimauerit, tantùm fieri timidiorem clericum, quando ex facto Principis sæcularis, vel ex illius lege, ac dispositione laici assumere possunt licentiam nocendi, vel affligendi clericos, quia hoc videntur

A in proprietate, & rigore illa verba significare, *timidiores fieri*. Nam licèt verum sit, hunc modum grauãdi clericos esse contra immunitatem eorum, tamen & magna ex parte pertinere potest ad violationem priuilegij canonis potiùs, quàm fori, si clerici timidiores fiant, ne violentæ manus suis personis inijciantur iuxta doctrinam Baldi in Auth. *Cassa*, C. de Sacrosan. Eccles. q. 3. num. 4. Et quatenus spectare hoc potest ad priuilegium fori, non adæquat illud, quia multis alijs modis possunt grauari clerici, & timidiores fieri, etiam si eis non inferatur metus alicuius nocumenti, vel læsionis, quæ sibi à laicis fieri possit, vt statim patebit.

B Imò neque satis explicatur hic effectus eo modo, quo Caietanus, & Nauarr. supra illum explicare videntur, dicentes, tunc legem violare immunitatem clerici quando aliquo modo grauat illum contra speciale priuilegium illi concessum, quia clericus, vel quia persona Ecclesiastica est, non verò si grauet illum, quatenus ciuis, vel homo est. Quibus videtur fauere Innocentius in cap. *Nouerit*, de Sentent. excommunic. quatenus dicit illa esse propriè contra immunitatem Ecclesiasticam, quæ sunt contra priuilegia Ecclesiæ concessa. Quod etiam videtur sentire Baldus in dicta Authentica *Cassa*. q. 2. nu. 3. & Lapus allegat. 92. sub tit. *An constitutio sit contra libertatem Ecclesiæ*. Quia licet verum sit, hoc modo grauari C clericum contra suam immunitatem, non est tamen verum, hoc solum significari per illa verba *timidiores fieri*, quia non tantùm grauantur clerici contra suam immunitatem, quando grauantur contra priuilegia, quæ habent vt clerici sunt, sed etiam quando specialiter grauantur vt ciues sunt, id est contra iura, quæ illis competunt, quia ciues sunt, id est, quæ omnibus ciuibus sunt communia, siue iure gentium, siue ciuili, seu positiuo clericis debeantur, ideòque si in illis grauentur solùm quia clerici sunt, contra libertatem Ecclesiasticam committitur, vt ex sequen- D tibus patebit. 15

16 *Per leges priuantes clericos rebus iure naturæ, vel ciuili communibus, timidiores ipsi reddantur.*

Dico ergo, doctrinam illam Bartholi explicandam esse iuxta tertiam assertionem propositam. Quotiescunq; enim per statutum, seu legem, aut mãdatum, aut vim laicorum clerici priuantur illis rebus, quæ iure naturali gentium, vel ciuili communia sunt ciuibus, eo ipso, quod sunt membra talis communitatis, grauantur contra Ecclesiasticam libertatem, & tunc dicuntur fieri timidiores, quia illo modo auertuntur homines à statu clericali, quando vident, ita clericos tractari à laicis, eo quòd clerici sint. Vel etiam dici possunt timidiores fieri, quia non sinuntur liberè vti, & frui iuribus, seu rebus com- E munibus cæteris ciuibus, etiam si statui clericali non repugnent. Et hæc sententia sic explicata communis est authorum, quos pro conclusione allegani. Idem sentiunt Ioann. Andr. & alij in cap. vlt. de Immunit. Eccles. in 6. & Panormit. in lib. 1. cons. 26. melius in 83. Idem sentit Felin. in cap. *Nouerit*, de Sentent. excommunicat. in 6. nu. 2. Vbi addit, non aliter sentire Innocentium, quàm senserit Bartolus, quia ea quæ competunt ex iure communi, fortiora sunt, quàm quæ ex priuilegio.

17 Addo etiam Innocentium non tantum fuisse loquutum de priuilegio Papæ, vel Imperatoris, sed etiam Dei, expresè enim numerat ibi multa priuile- F gia à Deo Ecclesiæ concessa, & postea cõcludit, quidquid est contra priuilegium à Deo, Papa, vel Imperatore Ecclesiæ datum, esse contra immunitatem. Nomine autem priuilegij non intelligitur tantùm illud, quod est præter legem vniuersalem tanquam exceptio ab illa, sed etiam omne id, quod cõuenit vel Ecclesiæ, vel clericis ex vi iuris diuini, siue positiui, siue naturalis suppositis tali institutione Ecclesiasticę Monarchiæ, & Hierarchiæ. Multæ. n. prærogatiuæ Ecclesiæ, quas inter hæc priuilegia numerant Innocentius, Panormit. & alij, non aliter conueniunt Ecclesiæ,

clesiæ, quàm ex iure diuino positiuo, vel naturali, licèt supponant aliquam diuinam institutionem. Et in superioribus ostensum est, exemptionem Ecclesiasticam ex genere suo ad hoc ius diuinum pertinere, & multa, quæ sub hac exceptione continentur esse immediatè ab hoc iure, licèt aliqua fortasse per Ecclesiam, vel Imperatores addita, vel aucta sint.

18. *Leges adimêtes clericis res aliis ciuibus cõmunes libertati Ecclesiasticæ repugnant.*

Adhũc ergo modum dicimus, ad immunitatem clericorum pertinere, vt per potestatem laicorum non fiant peioris cõditionis, etiam in his commodis temporalibus, quæ communia sunt omnibus ciuibus. Exemplum optimum est in cap. vltim. de Immunit. Eccles. in 6. vbi contra Ecclesiasticam libertatem committere dicuntur temporales Domini. *Qui suis subditis, ne personis Ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab ipsis, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibeant, interdicunt.* Hæc enim omnia nõ sunt contra specialia priuilegia clericorum, vel vt clerici sunt, sed contra communem societatem ciuilem, & nihilominus contra Ecclesiasticam libertatem iudicantur & vt talia prohibentur, & puniuntur. Respondet tamen Caietanus, ibi non dici, interdicta illa, seu statuta esse contra libertatem Ecclesiasticam, sed præsumi. Veruntamen de sensu illius verbi, *Præsumantur*, infra cap. 32. dicendum est, nunc breuiter dico, qualiscunque illa præsumptio cogitetur, vt vera, & fundata esse possit, necessarium est, vt supponat verum, & proprium obiectum criminis contra libertatem Ecclesiasticam, priuare clericum communi iure ciuilis societatis, etiam si id non fiat exercendo iurisdictionem in clericum, sed per alium quemcunque modum.

Instantia.

Refellitur

19 *Ratio conclusionis.*

Ratio autem est, quia licèt talia iura communia ciuibus, non debeantur clericis, quia clerici sunt, debentur tamen ipsis vt ciuibus, etiam si statũ diuersum à laicis habeant, imò quia clerici sunt, ideo illis nouo, & maiori titulo debetur, ne his communibus iuribus priuentur, quia propter statum clericalem nõ amittunt iura communia ciuium, & alioqui ratione status maiori honore, & reuerentia digni sunt; ergo ad immunitatem naturãli iure debitam clericis, pertinet, vt his iuribus non priuentur. Optimeq; iuuatur hæc ratio verbis Arcadij, & Honorij Imperatorũ in l. 19. Cod. de Episcop. & Clericis, *Omnibus, qui Ecclesiis seruiunt, tuitio deferatur, quia temporibus nostris addi potius reuerentiæ cupimus, quàm ex his, quæ olim præstita sunt immutari.* Et ideo in l. 31. Sacrilegum appellant, *qui sacerdotibus, & ministris Ecclesiæ aliquid importat iniuriæ*, illudque crimen æquiparant cum iniuria loco, vel cultui sacro facta. Et cõfirmatur, quia per huiusmodi actiones, vel dispositiones laicorum vilescit multum clericalis status, & irreuerenter tractatur, & consequenter clerici timidiores fiunt, & alij ab illo statu suscipiendo auertentur, cùm videant, ea, quæ iure gentium cæteris ciuibus communia sunt, ipsis denegari; ergo illa omnia sunt contra Ecclesiasticam immunitatem.

1. *Cõfirmatio*

20 *Secunda.*

Confirmatur tandem, quia huiusmodi grauamina clericorum ordinariè procedunt ex odio aliquo ipsius status clericalis, non quidem propter ordines, vel ministeria eorum (hæc enim non nisi hæretici, vel alij infideles abominantur) sed propter exemptiones, & libertates, quibus in eo statu gaudent, & præsertim, quia ab oneribus communibus eximuntur quod in aliquod laicorum grauamen solet redundare, & ideo interdum cupiunt, à suis communibus commodis clericos excludere; ergo eo ipso læduntur priuilegia clericorum, nam & fiunt odiosa, & per quandam recompensationem fiunt infructuosa, quia occasione illorum clerici æqualibus, aut maioribus bonis priuantur. Atque ita talia grauamina dici possunt imponi clericis, vt clerici sunt, quia licèt formaliter non cõsistant in priuatione alicuius rei debitæ clerico, vt clericus est; nihilominus fiunt in odium, vel cum iniuria, vel cõtemptu clericatus, quod satis est, vt propriam violationem immunitatis contineant. Et ita fundamento contrariæ sententiæ sufficienter responsum est.

CAPVT XXIII.

VTRVM REDDITVS ECCLESIASTICI clericorum à tributis exempti sint.

Licèt de Ecclesiasticis bonis multa in superioribus dicta sint, quia tamen certum non est, bona clericorum eodem iure censeri, quo bona Ecclesiarum, ideo de illis in particulari dicere necessarium est. Duo autem genera talium bonorum distinguuntur à D. Thom. quodlib. 6. art. 12. quædam quæ clerici lucrantur ex bonis Ecclesiæ, vt ex decimis, vel prædijs Ecclesiasticis, seu ex beneficijs suis, quæ propter officium dantur; alia sunt, quæ vel à parentibus hæreditarunt, aut sua industria, vel arte cõpararunt. Priora vocat D. Thom. Ecclesiastica, vtique lato modo; nos ad tollendam æquiuocationem clericalia vocabimus alia verò patrimonialia, seu sęcularia vocantur. His addit tertium membrum Nauar. tract. de Redditib. Ecclesiasticis, q. 1. monito. 19. nimirum, eorum bonorum, quæ per actiones spirituales tanquam stipendia illarum à clericis comparantur, non iure, aut titulo alicuius beneficij, sed solo titulo actualis, & quasi mercenarij operis, vt sunt stipendia Missarum, & similia. Meritò tamen addit idem Nauarrus, hæc ad patrimonialia reduci, quia & de temporalibus bonis laicorum immediatè illa lucrantur, & non ex bonis suorum beneficiorum, & sine vlla conditione tacita, vel expressa dominium temporale talium bonorum consequuntur, postquam suum ministerium implent, ac denique quia suo labore, & industria, vel actione illa comparant, estque valde extrinsecum, & accidentarium ad qualitatem talium bonorum, quòd actio illa spiritualis, vel omnino materialis sit. Quanquam verò hoc ita sit in ordine ad alios effectus, vel obligationes clericorum, de quibus nunc non tractamus, nihilominus in ordine ad exemptionem à tributis nonnulla maior ratio in his vltimis bonis spectari potest vt videbimus.

1.

Bona Cleri: corũ duplicia

Primo ergo certum est, bona primi generis, seu Ecclesiastica clericorum exempta esse ab omnibus tributis siue realibus, siue mistis. Conclusio est certa, & communis omnium catholicorum; habetur enim expresse in iure canonico in cap. *Non minus*, ibi, *De bonis Ecclesiarum, & clericorum, & pauperum Christi vsibus deputatis.* Et clariùs in cap. *Aduersus*, ibi: *Qui Ecclesias, & Ecclesiasticos viros talijs, seu collectis, &c.* vbi sermo est de tributis, quæ imponuntur ratione bonorum, & distinctè eximuntur non tantùm Ecclesiæ, sed etiam Ecclesiasticæ personæ. Et in cap. *Clericis.* de immunit. Eccles. in 6. expressè, & latè talia tributa prohibentur, & licèt cap. illud per Clementinam vnic. de immunit. Eccles. reuocatum sit quoad pœnas, non verò quoad ipsam exemptionem, sed potius confirmatur, & latiùs in Concilium Lateranens. sub Leone X. sess. 9. in Reformationibus curiæ. §. *Et cum à iure*, præter alia antiquiora, quæ in superioribus allegata sunt, quæ omnia renouat Concilium Trident. sess. 25. cap. 20. de Reformat.

2. *1. Conclusio.*

Deinde in iure ciuili habetur expresse hoc priuilegium in constitut. Friderici Imperatoris l. seu Authent. *Item nulla*, Cod. de Episcop. & Cleric. vbi prohibet collectas, vel exactiones imponere Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis. Et ex antiquioribus legibus colligi potest hoc priuilegium ex l. 10. de Episcopis, & clericis in C. Theodosiano, vbi Cõstãtius & Cõstans de clericis dicunt, *Negotiatorũ dispendijs*

3.

minimè obligentur, id est, tributa, quæ negotiatoribus imponuntur, soluere non cogantur, & addunt rationem: *Cum certum sit, quæstus, quos ex tabernaculis, atque ergasteriis colligunt, pauperibus profuturos*, & in l.14. dicit Iustinianus. *omnis à clericis indebitæ conuentionis iniuria, & iniquæ exactionis repellatur improbitas*, & in l.1. de Lustrali collat. eodē Cod. excipiuntur clerici à quodam tributo, quod lustralis collatio dicebatur.

4 Ratio autem huius partis reddi potest, vel generalis ad omnia bona clericorum, & de hac dicemus in cap. sequenti, vel specialis, quia hæc bona, de quibus tractamus inter res sacras numerantur à D. Thom. 2 quæst. 99. art. 3. & ideo vel natura sua exempta sunt à tributis, vel saltem cum cæteris bonis Ecclesiasticis intelligiuntur exempta. Et confirmatur hæc ratio, quia rapere, seu furari huiusmodi bona clericorum est sacrilegium, quod non solum de his bonis, sed etiam de quibuscunque alijs nonnulli tradiderunt, vt infrà referam, de his autem est multò verisimilius propter dictam rationem, quòd hæc bona censentur sacra; ergo eadem ratione esse debent à tributis exempta.

Ratio conclusionis. *Confirmatio.*

5. Hæc autem ratio non videtur solida. Nam hæc bona considerari possunt, vel priùs quàm applicentur ipsis clericis, & fiant propria eorum; vel postquā iam ad illorum dominium transierunt. Priori modo rectè quidem probat ratio dicta, illa bona esse sacra, & exempta à tributis: non tamen aliquid probat de bonis clericorum, quia illa bona in tali statu spectata, non sunt clericorum, sed Ecclesiæ, seu Dei. Alio modo possunt illa bona considerari, quatenus à clericis acquiruntur. Et hæc ipsa consideratio subdiuidi potest: nam loqui possumus vel de acquisitione ipsa talium bonorum, vel de ipsis bonis iam integrè, & sine diminutione tributi acquisitis. Et in priori quidem ex his duobus modis rectè etiam probatur, non esse talia bona capacia tributorum sæcularium, id est, non posse clerico imponi tributum soluendum ex redditibus sui beneficij, seu ex quibuscunque bonis Ecclesiasticis. Tum quia si tale tributum imponatur personæ, est contra exemptionem quam talis persona habet potestate iudicis sæcularis. Si verò imponatur rei siue fructibus eius, sic imponitur bonis Ecclesiasticis, quia impositio præcedit, priusquam talia bona clerico acquirantur, & tunc adhuc Ecclesiastica sunt, & ita fit contra talium bonorum immunitatem.

Expenditur ratio pro conclusione facta.

6. Si verò tale tributum intelligatur imponi super ipsammet actionem lucrandi tales redditus, vel stipendia, etiam est contra immunitatem, quia illa actio spiritualis est, & omnino extra forum potestatis sæcularis, & ideo nō est capax tributi. Item, quia illud lucrum non est per modum mercaturæ, aut ciuilis contractus, sed est per modum stipendij annexi ministerio spirituali, & ideò sequitur naturam, & forum sui principalis, solumque ab spirituali potestate minui potest, ideoque iure canonico statutum est, vt beneficia sine diminutione conferantur. Quoad hanc ergo partem, & vsque ad prædictum statum talium bonorum rectè probatur illa ratione, non posse clericis imponi tributa de talibus bonis. Et hoc modo videtur intelligi statutum Concilij Vormatiensis, quod refertur in cap. *Sanctum*, 23. quæst. 8. & in cap. 1. Extra de Censib. vbi dicitur: *Presbyteri in Ecclesiis constituti non de decimis, neq; de oblationibus fidelium aliquod seruitium faciant præter Ecclesiasticum.*

7. At verò si talia bona considerentur vt iam sunt facta propria clericorum, non videtur illa ratione probari, esse incapacia tributorum sæcularium. Probatur, quia iam illa bona re vera non sunt sacra, neque in vlla specie talium bonorum à D. Thoma numerantur, si attentè legatur; nam in vltima specie ponit bona, quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, siue *mobilia sint, siue immobilia*. Aliud autem est esse deputata, aliud verò esse iam ministrorum facta, nam primum habent, quamdiu sunt communia, & sub potestate Ecclesiæ, ac speciali dominio Dei: postquàm verò personis clericorum diuiduntur, & applicantur, statum mutant, & sacra esse desinunt, quia respectum illum peculiarem ad Deum, & annexionem ad spiritualem titulum amittūt. Cuius signum est, quia in quoslibet vsus conuerti possunt, & quia possunt donari laicis propria authoritate priuati clerici, cuius sunt; & propter causam, vel rationem temporalem. Denique quia bona illa in se spectata temporalia sunt, & dominium, quod clericus de illis acquirit, temporale est, quod autem acquisitio fuerit media actione, vel iure spirituali, non refert, quia respectus ille transit, & non manet. Sicut quando ex bonis Ecclesiæ datur pauperi eleemosyna, eo ipso, quòd pauper illa acquirit, incipit pars illa esse merè temporalis; ita ergo esse videtur in his bonis clericorum. Igitur in ordine ad tributa eadem ratio erit de illis, quæ de alijs bonis patrimonialibus clericorum.

An redditus Ecclesiastici, in clericos translati tributis subiaceant.

Aduerto tamen, punctum hoc pendere ex alia celebri controuersia de redditibus Ecclesiasticis, an clerici postquam illos recipiunt titulo sui beneficij, illorum verum, & proprium dominium consequantur, ita vt de illis possint liberè disponere, quantum spectat ad obligationem iustitiæ, vel semper maneant dispensatores eorum bonorum, vt ex illis inprimis congruè alantur, & deinde cætera in pia opera dispensent. Qui enim hoc posterius censent, vt Nauarr. & alij, consequenter dicere possunt, & debent, illa bona semper esse sacra, quia semper manent sub dominio Dei, ac subinde æquiparari Ecclesiasticis bonis, quia re vera semper manent Ecclesiastica. Vnde iuxta hanc sententiam per applicationem talium bonorum ad hanc, vel illam personam clerici, non mutatur eorum status quoad dominium proprium Dei, nec quoad generalem finem, ad quem bona Ecclesiastica sunt destinata, sed solum mutatur facultas proxima dispensandi illa. Nam antequam clericus illa acquirat peculiari titulo, facultas dispensandi illa, est in pastoribus Ecclesiæ, vel in communitate, aut ministris eius, postquam verò beneficiatus illa acquirit, illi committitur propria facultas ea dispensandi sua authoritate, semper tamen vt Ecclesiastica, & vt fidelis dispensator, & prudens. Et consequenter etiam in hac opinione satis probabile est, raptorem talium bonorum etiam de potestate clerici, esse sacrilegum, non ratione personæ, à qua furatur, nec ratione loci, vnde furatur, sed ratione ipsorum bonorum, quia sacra sunt. Actādem iuxta eandem sententiam, satis consequenter dicitur, talia bona clericorum esse à tributis exempta non solùm ratione personæ, sed ratione sui, quia sacra sunt, & pijs vsibus semper destinata, & quidquid ex illis per tributum detraheretur, non tam clerico, quam pijs vsibus minueretur. Atque de his maximè clericorum bonis, & cum eodem fundamēto procedere potest eorum sententia, qui dicunt, bona clericorum æquiparari bonis Ecclesiasticis in omni exemptione, præsertim à tributis, vt videre licet in Glossa 2. in cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, de Constitut. & ibi Decius numero 18. & alijs, quos refert Couarruui. libro 1. Variar. cap. 4. numer. 2. & 3.

8 *Quid dicendum si clerici non sunt talium reddituum domini.*

9. At verò si contrariam sententiam supponamus, nimirum, clericos beneficiatos acquirere proprium dominium illius portionis, seu partis reddituum suorum beneficiorum, quæ illis in stipendium datur: consequenter profectò dicendum est, idem esse iudicium de illis bonis, quod de alijs patrimonialibus clericorum quoad exemptionem à tributis. Hoc enim sufficienter probant rationes factæ, illo fundamento suppositō, quia per illam particularis domi-

Vera resp. in hac lutio.

nij acquisitionem transferuntur bona illa à superiori ordine ad inferiorem, sicut quando dantur laicis ministrantibus Ecclesiæ in stipendium laboris sui, seu ministerij temporalis, vel quando dantur clericis propter actiones communes laicis, vt docendi, canendi &c. Nam æquè mutatur dominium, & consequenter status talium bonorum. Quod autem id fiat in stipendium spiritualis, vel corporalis actionis, accidentarium est, & non mutat conditionem bonorum, quam in inferiori statu consequuta sunt. Hæc autem sententia de dominio clericorum circa hæc bona hodie magis recepta est, & probabilior cẽsetur, & sine dubio fuit opinio D. Thomæ dicto quod lib. 6. art. 12. ad 3. & ideo etiam in præsenti supponimus, quoad tributa, & exemptiones eandem esse rationem de his bonis, quæ de patrimonialibus clericorum.

10 *Quid de bonis quasi patrimonialibus clericorum.*

Vnde à fortiori constat, idem esse dicendum de bonis, quæ Nauarrus quasi patrimonialia vocat, illa enim partim conueniunt, partim differunt à præcedentibus. Conueniunt quidem quo ad modum acquirendi, seu lucrandi illa per actionem, seu ministerium spirituale, & ideo existimo etiam in hoc cõuenire, quod acquisitio talium bonorum, est de se à tributis immunis, ideoque etiam illa bona, vt sunt stipendia talium ministeriorum, sunt natura sua à tributis exempta. Militat enim eadem ratio suprà facta, nimirum, quòd illa actio est spiritualis, & ideo iure diuino exempta à iurisdictione ciuili; ergo etiam stipendium, quod ratione illius datur, & est quasi accessorium illi, debet esse eodem modo exemptũ, vt non possit per impositionem sæcularis tributi diminui. Item hæc lucra natura sua sunt subiecta potestati spirituali, ad quam pertinet illa taxare, moderari, vel augere; imò & Pontifex posset super illa, si essent copiosa, pro pauperibus, vel sumptibus Ecclesiæ aliquod tributum imponere; ergo ratio postulat, vt ab impositionibus laicorum sint exempta, quia non debent duplici onere prægrauari. Differunt autem hæc bona à proprijs Ecclesiasticis redditibus, quia non manant ex propriis Ecclesiasticis bonis, neque ex titulo spirituali alicuius Ecclesiastici beneficij, sed ex quibuscunque bonis temporalibus per modum mercenarij stipendij interueniente humana conuentione, secluſa imperfectione dandi vnam rem pro alia, sed considerando solum rationem debitæ sustentationis. Ex hac autem differentia, quę in facto ipso notoria est, sequitur alia, nimirum, de his posterioribus lucris in omni opinione probabili certum esse, clericos acquirere proprium, ac temporale dominium talium bonorum, possęque de illis prout voluerint, salua iustitia, disponere, vt etiam Nauarr. loco suprà citato fatetur. Et ideo etiam quoad tributa est similiter certum, eandem esse rationẽ de his bonis iam acquisitis in facto esse, vt sic dicam, quæ de patrimonialibus, de quibus dicendum supereſt.

CAPVT XXIV.

VTRVM PATRIMONIALIA, ET IN vniuersum bona temporalia clericorum sub communibus legibus sæcularium tributorum comprehendantur.

1 *1. Ratio dubitandi.*

RAtio dubitandi sumi potest primò ex cap. *Magnum* 11. q. 1. quod est Ambrosij lib. 4. in Luc. circa illa verba, *Et sedens docebat de nauicula turbas*, vbi attingens locum Matth. 17. vbi Christus soli Petro iussit mittere hamum, & tollere staterem inuẽtum in ore piscis, & soluere tributum, in quo ait Ambrosius significatum esse, *magnum, & spiritale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis constitutionem terreni Regis putet esse soluendam.* Et videtur, clericos comprehendere, nam subiungit: *Si enim censum Dei filius soluit, quis tu tantus es, qui non putes esse soluendum?*

2 *Secunda.*

Secundò faciunt dubium leges ciuiles, quæ frequenter statuunt, hæc tributa soluẽda esse à clericis. Quamuis enim aliquæ sint antiquæ leges eximentes clericos ab aliquibus ex his tributis, vt patet in l. 2. C. de Episc. & Cler. & in alijs, quæ suprà ex Codice Theodosiano retulimus: nihilominus illæ sunt quasi peculiares exceptiones, nam generalis regula legum ciuilium esse videtur, clericos non eximi à soluendis tributis suorum temporalium bonorum, quando generaliter similibus bonis imposita sunt, vt sumitur ex l. *De ijs*, C. de Episcop. & Cleric. & ex l. *Ad instructionem*, & l. *Neminem*, Cod. de Sacrosanct. Eccles. & ex epist. Valentiniani apud Theodoretum lib. 4. hist. cap. 7. dicentis: *Episcopi vectigalia vti leges postulant, pensitare non recusant.*

3 *Tertia.*

Tertiò videtur hoc esse rationi consentaneum, quia licet personę Clericorum sacræ sint, & ideo sint etiam exemptæ, bona tamen eorum temporalia sũt, & merè ciuilia, & ideo sunt temporalibus Principibus subiecta; ergo meritò possunt Principes ex illis tributa exigere. Neq; enim obstat, quòd illa bona respectum habeant ad personam sacram, & exemptã tanquam ad propriũ dominum, quia illud dominiũ est merè temporale, & ad temporalem finem de se ordinatum. Et ita respectus ille non est ad talem personam vt sacram, vel exemptam, sed præcisè vt ciuem. Neq; etiam obstat, quòd Princeps nõ habeat iurisdictionem in personam clerici, quia possit illum ad soluendum tributum cogere, quia satis est, quòd iustè possit illud petere tanquam debitum, vt clerici in conscientia reddere teneantur. Quòd si renuant, & necessaria sit coactio, apud suum iudicem conueniri poterunt, vt debitum soluant. Quod si hoc non suffi-
ciat, vel commode fieri non possit, poterit Princeps, vel minister eius tributi coactor rem temporalem non tam iurisdictionis, quàm defensionis titulo occupare, ne iure suo priuetur. Atque hæc omnia ex eo maximè confirmantur, quòd in multis regnis ita fieri & consuetudine receptum esse videmus, Principibus Catholicis, & Pastoribus Ecclesiæ scientibus, & tacentibus.

Nihilominus dicendum est, omnia clericorum bona exempta esse ab oneribus tributorum ciuilium, siue realia, siue mista censeantur, præterquam in casibus à iure canonico exceptis. Ità sentiunt Doctores Canonistæ in cap. *Ecclesiæ*, & cap. *Quæ in Ecclesiarum*, de Constitut. & in c. *Si clericus*, de Foro competet. quibus locis videri maxime possunt Panormita. Decius, & Felinus, & in cap. vlt. de Vita, & honestate Clericorum, & in cap. *Aduersus*, & cap. *Non minus*, de immunit. Eccles. & in cap. 1. de Immun. Ecclesiar. in 6. & Bart. in l. *Placet*. C. de Sacrosanct. Eccles. n. 15. & sequentibus, & Bald. in l. 2. C. de Episcop. & Cleric. & in illis locis alij iuris ciuilis interpretes Paulus de Castro in l. *Ad instructiones*, C. de Sacrosan. Eccles. & Gregor. Lopez in l. Si & 54. tit 6. partit. 1. & Summistæ communiter verb. *Immunitas*, & Nauar. in Manual. c. 17. n. 200. & in c. 27. n. 97. & Medin. C. de Restit. q. 15. Probatur autem primo ex iure canonico, nam in omnibus capitibus proximè citatis eximuntur clerici ab huiusmodi tributis. Nam in cap. *Non minus*, expresè dicitur *de bonis Ecclesiarum, & Clericorũ*, in ca. autem, *Quanquam* de censibus in 6. apertiùs dicitur, *districtius ne ab Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis talia exigantur*. Et intrà: *Ecclesiasticæ personæ, ac res ipsarũ iure diuino, & humano à sæcularibus personarũ exactionibus sunt immunes*. Vbi quædã Glossa marginalis addit ad nomen illud *res* limitationẽ *non patrimoniales*, sed corrũpit textũ: nam vbi lex nõ distinguit, nec nos distinguere debemus, præsertim sine textu, vel cogente ratione. Igitur indefinita illa locutio

4 *Omnia clericorum bona exemptione gaudent.*

æqui-

æquipolet vniuersali, idem enim est dicere, res clericorum esse exemptas, ac dicere nullà bona clericorum esse tributis sæcularibus subiecta, præsertim quia negatio inclusa in voce exemptionis cadit supra res exemptas, & ita vocem illam distribuit.

5 Atque hoc magis declaratur in Clementin. vnica eodem titul. quæ præcipit obseruari, *quidquid contra exigentes ab Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis talias, collectas, aut exactiones quascumque*, à prioribus Pontificibus, vel Concilijs statutum est, vbi distributio illa *quascunque* dictam limitationem excludit. Nec refert, quod non de rebus, sed de personis loquatur, quia non potest pro re exigi tributum, quin à persona, cuius talis res est, exigatur. Præterea hoc magis declaratur ex Clementina vltima de Censibus, vbi tam à personis Ecclesiasticis, quàm pro earum rebus proprijs tributa extorqueri prohibentur, &c. Vbi, & distinctè ponuntur res, & personæ, & dum additur *pro rebus propriis*, satis significatur, sermonem esse de omnibus bonis etiam proprijs, talia enim maximè sunt patrimonialia, nam quæ ex suis beneficijs clerici acquirunt, vel non sunt ita propria, vel certe non ita solent in iure canonico vocari. Et præterea additur ibi exceptio, scilicet, vt id intelligatur de rebus, *quas non negociandi causa deferunt, aut deferri faciunt, vel transmittunt*, quæ exceptio firmat regulam in contrarium: nam res, quæ negotiationis causa feruntur, inter patrimonialia bona continentur, ergo si hæ excipiuntur à regula, reliqua omnia patrimonialia bona sub illa comprehenduntur. Atque hoc modo idem confirmatur ex cap. vlt. de Vita, & honestat. clericor. vbi Pontifex à clericis permittit exigi tributa, quæ à mercatoribus solui solent, quando ipsi clerici eisdem negotiationibus se implicant, de qua exceptione infrà dicemus, nunc enim solum ex ea colligimus, extra casum negotiationis, nulla clericorum bona, per se loquendo esse obnoxia secundum canonicum ius sæcularibus tributis.

6 *Ex iure ciuili probatur conclusio.* Præterea huic iuri canonico consentit ciuile in constitutione Friderici suprà citata, & habetur in Authent. *Item nulla*, Cod. de Episcop. & Cleric. vbi prohibetur, ne collectæ, vel exactiones Ecclesiasticis personis imponantur. Nec refert, quòd expresse non loquatur de bonis: tum quia (vt dixi) non potest talis exactio ex bonis personarum fieri, quin à personis fiat, quorum sunt bona, & è conuerso non possunt aliter tributa huiusmodi exigi à personis, nisi de illorum bonis ea postulando, & iuxta illorum quantitatem, seu proportionem. Non enim de solo censu, seu capitationis tributo, sed in vniuersum de exactionibus, & vectigalibus, angarijs, & perangarijs ibi sermo est, sub quibus verbis certum est, comprehendi etiam illa tributa, quæ personis ratione bonorum imponuntur. Vnde per illam constitutionem derogata est Lex. *De ijs*, vel si quæ fortè alia libertati clericorum in hac parte derogantes in libris Codicis, vel in authenticis Iustiniani reperiuntur. Vel potius renouantur antiquæ leges piorum Imperatorum, in quibus hæc exemptio adeò clericis concessa est, vt etiam ex aliqua honesta, & moderata negotiatione ad victum comparandum accommodata ab eis illa exigi prohiberent, vt sumitur ex leg. 10. 14. & 36. de Episcop. & Cleric. in Cod. Theodosiano,

7 *Ratione sua dessur conclusio.* Ratione probari potest absolutè hęc assertio, quia hæc immunitas, etiam quoad bona, est valde consentanea rationi naturali, & dignitati sacerdotali: nam si viri nobiles solent in humana republica ab huiusmodi tributis eximi, cur non magis eximentur personæ sacræ Deo dicatæ? Secundò potest idem concludi ex alia exemptione clericorum à iurisdictione sæculari: nam tributa soluuntur quasi in signum subiectionis, & in stipendium laboris in administranda suprema iurisdictione impensi, vt significauit Paulus ad Roman. 13. ergo sicut clerici omnino exempti sunt à iurisdictione sæculari, ita etiam consequenter ab omnibus tributis soluendis eximuntur. Dices, licet sint exempti à iurisdictione Principum, non tamen à commodo, & vtilitate gubernationis, & solicitudinis eorum: nam eorum prouidentia in pace conseruantur, defenduntur, & saltem secundum communem rationem ciuium gubernantur. Ac denique simpliciter vasalli sunt, & honorem debitum Principi tanquam Domino exhibere debent; ergo iustum etiam esset, vt per aliquam contributionem ad Principis sustentationem iuuarent. *Obiectio.*

B Respondeo ex verbis Pauli 1. ad Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus.* Sic ergo dicimus, sicut clericalis 8 *Responsio.* status à Regibus in temporalibus iuuatur, ita Reges à clericis in spiritualibus iuuari: nam pro illis, & pro tota republica apud Deum intercedunt, & peculiariter pro Regibus obsecrant, vt Paulus monet, 1. ad Timoth. secundo; Per hæc ergò sufficienter compensent beneficium, quod à Regibus accipiunt. Eo vel maximè, quòd ferè nullus labor, vel sumptus Principibus sæcularibus accrescit ex eo quòd politicum regimen, & regum protectio in eorum commodum redundet. Accedit præterea ratio suprà facta, quòd Summus Pontifex, cui directè subsunt C clerici, potest ab eis exigere tributa, cum rationabilis causa occurrerit, & consequenter etiam potest prohibere, ne alteri soluant, saltem sine sua facultate, quod etiam (vt infrà dicam) moraliter necessarium est, vt Clerici à laicorum importunitatibus & iniurijs immunes conseruentur. Denique propter hanc immunitatem clericorum, etiam quoad bona ipsorum non desunt Regibus, & Principibus sufficientia stipendia, & redditus, quibus onera suorum numerum possint substinere. Quòd si interdum indiguerint Ecclesiastico subsidio, non sua potestate, sed eius, qui matrimonium Christi dispensat, & Ecclesiastici status peculiarem curã gerit, illud postulare debent, vt scandala, & excessus euitentur, & omnia ordinatè fiant. D

Ad fundamenta ergo in contrarium facilis est responsio ex dictis. Et in primis ad Ambrosium aliqui respondent, illum loqui de facto, non de iure, clerici enim (in illo præsertim tempore) quando ab illis exigebatur tributum, pacificè illud soluebant, non ex iustitiæ debito, sed ex charitatis affectu ad vitandum scandalum, & ne propter affectum temporalium bonorum Principibus subesse nolle viderentur. Colliguntque hanc mentem Ambrosij ex facto Christi iubentis Petro soluere tributum, quod in exemplum adducit; constat autem ex verbis Christi, ipsum non ex debito, sed ad vitandum scandalum, Petro, vt tributum solueret, præcepisse. Vt ergo exemplum sit accommodatum, necessarium videtur, vt sententia Ambrosij in eodem sensu intelligenda sit. Est ergo expositio probabilis, quamuis verba illa Ambrosij, *Christiani viri docentur, potestatibus sublimioribus debere esse subiecti*, & similia, aliquid amplius significare videntur. 9 *Ad Ambros. sium prima responsio.* E

Aliter ergo responderi potest, Ambrosium non esse loquutum de clericis, sed simpliciter dixisse, *Christiani viri.* Quod verbum indicat, magnum illud documentum, quod ibi tradit, præcipue datum esse contra antiquum errorem, asserentem, Christianos exemptos esse à tributis Principum eo ipso, quod Christiani sunt. Illum enim errorem refellebat Paulus ad Roman. 13. cùm protulit sententiam, quam Ambrosius allegat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* Cùm autem Ambrosius interrogat: *Quis tu tantus es, qui non putes esse soluendum?* non oportet, vt clericos comprehendat, nam statim subdit: *Tu, qui sæculi sequeris lucrum, cur sæculi obsequium non recognoscas? Cur te supra sæculum quadam* 10 *Secunda ad eandem.* F

dam animi arrogantia feras, cum sæculo sis misera cupiditate subiectus? Loquitur ergo de sæcularibus, seu laicis. Denique licet demus, in priori interrogatione clericos comprehendere, sensus non incongruus esse potest, eos non debere sua authoritate, & quasi propria præsumptione negare tributum, sed vel iuxta concessiones Principum, vel iuxta suorũ Prælatorum decreta.

Ad secundã obiectionẽ ex iure ciuili.

Ad leges ciuiles, fatemur, aliquas leges Iustiniani non fauere huic exemptioni, iam verò responsum est, illas esse reuocatas, & de legibus antiquiorum Imperatorum Christianorum verius est, plenam immunitatem à tributis Clericis concessisse. Quamuis negari non possit, inter ipsos Imperatores fuisse varietatem, quam Ecclesia tunc tolerabat, quia ita tunc expediebat, ad quod fortasse etiam alluśit Ambrosius, vt suprà notauimus. Ad rationem rectè ibi responsum est, bona adhærere personæ, ideoque non posse personam esse plenè, & perfectè exemptam, nisi bona etiam exempta sint. Et ideò non refert, quòd bona temporalia sint, neque quod respiciant clericum, non vt clericum, sed vt temporalem dominum, vel ciuem, quia ille non tantùm est exemptus vt clericus, sed etiam vt ciuis, & simpliciter eius persona, & consequenter etiam ea, quę illi quasi accessoria sunt. Ad id verò, quod de iurisdictione attingitur, iam ostensum est, exemptionem à tributis valde coniunctam, vel consequentem esse cum exemptione à iurisdictione, cùm ipsa tributi impositio, & exactio actus iurisdictionis sit. Neque potest vllo modo dari laicis licentia occupãdi per vim, seu violenter subtrahendi bona clericorum, in quos iurisdictionem non habent, quia hoc est contra omne ius naturale, solumque in casu extremæ necessitatis permitti posset, vt statim dicam. Denique ad consuetudinem, quæ obijcitur, respondemus, ad nos nunc non pertinere modum, & qualitatem consuetudinis expendere, quæ ad factum pertinet, non ad ius, ideoque solùm nunc dicimus, talem consuetudinem, ex genere suo iniquam esse, & in iure reprobatam tanquam Ecclesiasticę libertati contrariã, nisi vel per Pontificem expresse approbata sit, vel in aliqua exceptione iuris sit fundata iuxta ea, quæ in sequentibus dicemus.

Ad striam.

CAPVT XXV.

AN CLERICI TENEANTVR AD onera realia soluenda, quæ rebus immobilibus adhærent.

1 DVæ exceptiones à regula in præcedenti capite posita excogitari possunt, quas expendere necesse est. Prima est de tributis realibus, quę rebus immobilibus inhærent, priusquam in potestatem clericorum perueniant; nam de posterioribus tributis, quæ superueniunt, postquam talia bona clericorum effecta sunt, certum est, sub genetali regula comprehendi, quia omnia iura, sine distinctione loquuntur, & rationes suprà adductæ æquè de immobilibus, & de mobilibũs procedunt, quia etiam onera bonorum immobilium redundant in Dominũ, & tandem ex fructibus soluuntur, quæ mobilia sunt. Deinde quando onera, seu tributa in bonis ipsis antecedunt, si sint ex pensionibus procedẽtibus ex proprio, ac priuato dominio eius, qui primo pensionem imposuit mediante aliquo pacto, sic certum est, rem transire cum suo onere, ac subinde esse à clerico soluendum: nam quæ in hac parte diximus de Ecclesijs, in clericis locum habent.

2. *An bona Ecclesiarũ, & clericorũ æ-quali gaudẽt exemptione.*

Dubitatio ergo est de proprijs tributis Regijs, quę ex vi solius iurisdictionis imposita fuerunt. Videturque huius dubij resolutio ex alia dubitatione pendere nimirum, an bona clericorum in hac exemptione bonis Ecclesiasticis æquiparentur: nam si non gaudent æquali priuilegio, non est, cur in hoc speciali casu de tributo reali priùs bonis ipsis inhærente fiat æquiparatio, cùm sit priuilegium valde speciale Ecclesiarum. Quod autem non sit æqualis immunitas bonorum personarum Ecclesiasticarum, & Ecclesiarum, seu Ecclesiasticorum bonorum, sumitur ex Gloss. 2. in Clement. 1. de in Integrum restitut. & ex Glossa in cap. *Possessiones*, 16. quæst. 4. & ex Abbate, Felin. & alijs, quos refert Couarr. lib. 1. Variar. cap. 4. numer. 3. vbi ipse concludit, non esse æqualia in exemptione bona patrimonialia clericorum, nisi in casibus, in quibus in iure id expressum est. Et videtur hoc rationi consentaneum; quia bona Ecclesiastica sunt simpliciter sacra, & tantùm ad sacros, & pios vsus destinata, quod non habent propria clericorum. Cùm ergo hic casus, de quo tractamus non sit in iure expressus, non videtur ad bona clericorum extendendus. Vnde in legibus Hispaniæ lib. 1. Nouæ recopilat. tit. 3. l. 11. & 12. expresse cautum est, vt clerici talia tributa prædijs inhærentia, *postquam talia prædia emerint, vel aliter acquisiuerint*, soluere teneantur. Et ita simpliciter docuit Gregor. Lopez partit. 1. tit. 6. l. 5. numer. 4. & Valasc. de Iure emphyteut. q. 17. nu. 10. qui plures referunt, & eos sequitur Molin. tract. 2. de Iustit. disp. 416. Verum est, eos indistinctè in hoc loqui de bonis Ecclesiarum, & clericorum, vnde omnes authores, qui ita sentiunt de bonis Ecclesiasticis, à fortiori idẽ dicent de bonis clericorum.

Opinio negãs

Fundamentum eius.

Nihilominus contrariam sententiam veram censeo (loquendo de proprijs tributis, vt suprà distinximus,) Quam expresè tenet Cardinalis Albanus in tractatu supra citato, & Gutierrez in Practicis quæstion. lib. 1. quæst. 3. à num. 15. vbi tractat legem Recopilationis citatam, eamque iuxta distinctionem à nobis superiùs traditam exponit, dicens, intelligendam esse *quando bona sunt affecta onere tributorum expresse, & ex conuentione partium, secus verò esse, si tantùm sint affecta tributis ex generali lege*, qua prædia priuatorum Regi pro tributis sunt obligata: *nam si talia bona* (inquit) *peruenerint ad clericum, non transeunt cum onere*. Idque confirmat exemplo alterius legis Hispaniæ lib. 4. Ordinamenti l. 12. quæ statuit, cùm vir nobilis (Hispanè *Hijodalgo*) bona emerit ab alio tributis soluendis obnoxia, non transire cum onere. Ita ergo contingit, si clericus similia bona emat, aut hæreditario iure acquirat. Ratio enim omnibus communis est, quia per mutationem personæ mutatur qualitas inhærens rei ratione personæ, argumento l. *Locatio*, §. *Fiscus*. ff. de Publican. & vectigal. & l. *Per procuratorem* 89. ff. de Acquirend. hæredit. Vnde ob hanc eandem rationem, bona ante sacerdotium possessa post sacerdotium gaudent priuilegio exemptionis. Et pro hac sententia refert Gutierrez plures modernos, ex quibus videri potest Matienzo in librum 5. Nouæ recopilat. tit. 10. libr. 11. Gloss. 4. & Alfonsus Guerrero in Thesauro Christianæ religionis capit. 36. numero nono & 33.

3 *Conclusio. Bona Ecclesiarũ & clericorum in exemptione à Regalibus tributis sũt æqualia.*

Insinuant autem isti authores, propria tributa Regia, quæ dicuntur realia, & quasi inhærentia rebus immobilibus, nõ adhærere illis quasi per se, & absolutè spectatis, sed ratione personarum, sub quarum dominio existunt, ac proinde solum esse quasi pignora, seu hypothecas obligatas virtute leg. 1. C. *In quibus causis hypotheca contrahatur*. Quod est valde probabile. Et inde optimè confirmatur (quod suprà de Ecclesijs, & nunc de clericis dicimus) talia bona non transire ad ipsos cum tali onere soluendi tributa, vtique in futurum. Nam si prior dominus aliquo tempore, quo talia bona possedit, tributa debita non solueret, transirent bona cũ illo onere, quia semper habens respectum ad priorem dominum, & ratione illius, & propter subiectionẽ eius semper debetur, quæ ratio cessat in tributis soluendis

4

uendis ab eo tempore, quo talia bona in personam A exemptam fuerunt translata.

5. *Confirmatur assertio.*

Potest etiam hæc sententia confirmari ex suprà dictis in simili dubio de bonis Ecclesiasticis: nam esto in rebus alijs, seu in specialibus prærogatiuis, ac priuilegijs hæc bona non sint æqualia, nihilominus in exemptione à tributis meritò æquiparantur. Tum quia sicut Ecclesiæ sunt omnino exemptæ à iurisdictione sæculari, ita & personæ clericorum; tum etiam quia iura, in quibus hæc exemptio à tributis præcipitur, æquè de Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis, & de vtrarumque bonis loquuntur. Atque ita æquiparationem hanc comprobat Glossa 2. in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, de Constitut. vbi latè Felin. nu. 7. & 8. item Gloss. vltim. de Vita, & honest. clerico. quæ ad hoc ponderat textum illum. Vbi Panormitan. numer. 11. eam limitare videtur, sed re vera limitatio non procedit in materia tributorum, sed in alijs priuilegijs, quæ non est limitatio ad Glossam, quia non generaliter, sed in tribus tantùm loquitur, sicut & textus ille, quem inducit. Et idem sctit Glossa penult. in cap. *Ex literis* de Pignoribus. & optimè Glossa 1. in caput *Ecclesiarum* 2. quæstion. 2. & sumitur etiam ex illo textu, qui est Concilij Toletan. 3. cap. 11. & ex alijs antiquis, quos eadé Glossa allegat. Et meliùs id confirmat cap. 1. de Immunit. Ecclesiar. in 6. quod (vt supra notaui) distinctè loquitur de bonis acquisitis, & acquirendis, & nunc aduerto, etiam loqui expressè de Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis, ac earum bonis. Et eodem modo loquitur Clementina vlt. de Censib.

6. *Solutio ad fundamentũ contrariæ sententiæ.*

Ex quibus patet responsio ad rationem dubitandi in principio positam, negamus enim, priuilegium hoc quoad hanc partem esse speciale Ecclesiarum, aut non esse in iure satis expressum, ex Glossis enim, & iuribus allegatis contrarium constat. Doctores autem ibi allegati negantes hanc æquiparationem, intelligendi sunt, vt dixi, quoad alia priuilegia, non verò quoad hoc priuilegium exemptionis à tributis. Neque in hoc obstat ratio ibi inducta, quod Ecclesiastica bona sunt magis sacra, quàm bona clericorum, nam hoc conducet quoad alios effectus vt verbi gratia quod maior sit culpa, distrahere bona Ecclesiastica in vsus prophanos, quàm bona propria clericorum, etiam intuitu Ecclesiæ comparata. Item quòd maior sit culpa furandi bona Ecclesiæ, quàm propria clericorum: nam illud est sacrilegium iuxta doctrinam Diui Thomæ quæst. 99. artic. 3. & 4. quam omnes sequuntur, & sumitur ex multis decretis 11. quæst. 2 & 16. quæstio. 1. cap. *In canonibus*, furtum vero à clerico factum non est verè sacrilegium, nisi vis personæ inferatur, iuxta cap. *Quisquis* 17. quæ. 4. & notauit Panormitan. in cap. *Cæterum* de Iudicijs. num. 17. licèt aliud Senserit Syluest. verbo *Sacrilegium*. Et sic de alijs priuilegijs, quæ pertinent ad maiorem tutelam, & religiosum vsum Ecclesiasticorum bonorum. In tributis verò facta est æquiparatio in iure, quia non in bonorum ipsorum sanctitate, sed in absoluta exemptione personæ fundatur. Ad legem Hispaniæ iam responsum est, intelligendam esse de specialibus tributis fundatis in conuentione partium. Et eodem modo exponendi sunt authores ibi allegati, vel eorum sententia admittenda non est. Et iuxta doctrinam hanc intelligenda videntur quæ in libro 2. ordin. huius regni tit. 33. disponuntur de quodam tributo, quod *Iugadas* vocant. Nam illud sine dubio ortum fuit ex dominio directo Regum, & conuentione cum subditis, quibus illa bona tribuebant, vt ex principio illius tituli constat, & ideo in rigore non continetur in generali priuilegio clericorum, vel Ecclesiarum. Nihilominus tamen seruanda sunt specialia priuilegia, quæ ibidem etiam in hac materia illis concedũtur.

Qui bona Ecclesiæ furripit sacrilegium cõmittit.

Raptor bonorũ clerici nisi illi vim inferat, sacrilegium non cõmittit.

Ad Leges Hispan.

CAPVT XXVI.

AN CLERICI AD COMMVNES ciuium expensas contribuere teneantur.

ALtera exceptio ad bona mobilia pertinens, esse potest de quibusdam tributis, quæ non tanquam stipendia Regia imponuntur, sed tanquam sumptus necessarij ad communem vtilitatem ciuium inter ipsos distribuuntur. Huiusmodi sunt tributa quæ imponuntur ad reficiendas vias, B pontes, aut fontes, aut muros ciuitatis, & similia, ad communem vsum ciuium etiam clericorum necessaria. Ratio autem dubitandi esse potest, quia iura ciuilia non permittunt, clericos ab his contributionibus eximi, vt constat ex l. *Ad instructiones*, C. de Sacrosanct. Eccles. vbi etiam venerabiles Ecclesiæ, & diuinæ domus huic tributo soluendo adscribuntur, ibi verò tantùm fit mentio *de pontium, & itinerum instructione*. In lege autem vlt. Cod. Quibus muneribus &c. lib. 11. additur *murorum constructio, & frumenti, aliarumq; specierum comparatio, seu communis prouisio*. Vnde idem ius in rebus omnibus eiusdem rationis locum habebit. Atq; hoc ius commune C imitantur leges Hispaniæ in l. 20. tit. 31. part. 3. & l. 14. tit. 6. p. 1. ac tandem in lib. 1. Nouæ recopilat. tit. 3. l. 11. vbi priùs ponitur regula generalis de tributis pro cõmuni bono impositis, & deinde ponuntur exempla suprà dicta, & adduntur alia, idemque cum alijs exẽplis statuitur in l. 12.

Ratio dubitãdi propter te affirmãte.

Leges Hispanæ.

Non videtur autem posse ius canonicum derogare in hac parte iuri ciuili, quia dispositio illa videtur iustitiæ, & æquitati; imò & pietati valde conformis. Nam huiusmodi impositiones re vera non sunt tributa, quæ indicent subiectionem, vel in propria iurisdictione fundentur, quia non imponuntur, vt Regibus tanquam Dominis, & Principibus soluãtur, sed solùm sunt distributiones, quæ inter ciues fiunt ad proprios vsus ipsorum ciuium. Ratio autem, & iustitia postulat, vt omnes, qui huiusmodi rebus communibus indigent, & vtuntur, ad expensas, quæ in illis fiunt, iusta distributione concurrant; ergo cùm clerici fruantur his communibus commodis, debent etiam participare huiusmodi onus cum cæteris ciuibus. Nam eadem ratio obligationis, & debiti in illis concurrit, & nõ est contra dignitatem sacerdotalis status, hæc tributa soluere, magis quàm pretio suo emereres, quibus ad victum, & vestitum indigent. Imò quia priora bona ad commune bonũ spectant, ex ea parte est talis contributio pietati cõsentanea, ideoque in dicta lege. *Ad instructiones*, dicitur, *Venerabiles Ecclesias tam laudabili titulo liberaliter adscribimus, quia non est inter sordida munera numeratum*. Et in dicta l. 11. nouæ recopilationis Hispaniæ dicitur: *En estas cosas tales, à fallecimiento de proprios de conceio, deuen contribuir, y ryudar los dichos clerigos, por quanto es prò comunal de todos y obra de piedad*; ac si diceret, quando ad huiusmodi sumptus bona communia totius populi, seu eorum reditus non sufficiunt, tunc ratio pietatis, & communis vtilitatis postulat, vt clerici contribuant. Estque illa limitatio valde notanda, nam multum cõfirmat huius contributionis æquitatem. Quia vbi communia bona non sufficiunt, necessariò debet ex proprijs & particularibus bonis singulorum ciuium supplerì; cur ergo cogentur singuli ciues laici ex proprijs bonis aliud pro clericis soluere, aut eis de rebus necessarijs, licèt communibus proprijs sumptibus prouidere? Quæ ratio videtur ostendere, neque Pontificem, neque ipsum Regem posse hanc exemptionem clericis concedere, ipsis communitatibus laicorum inuitis.

In contrarium autem videntur iura Canonica vrgere,

gere, præsertim cap. *Non minus*, & cap. *Aduersus* de Immunit. Eccles. Nam in priori statuitur sub anathemate vniuersaliter, & sine limitatione, vt hæc onera Ecclesijs, vel clericis non imponantur: *Nisi Episcopus, & clerus tantam necessitatem, vel vtilitatem aspexerint, vt absque vlla exactione ad releuandas communes vtilitates, vel necessitates, vbi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.* In altero verò capite in primis significatur, hanc contributionem clericorum, etiam in illo casu non esse ex debito, sed ex gratia, additur enim ibi: *Prædicti laici humiliter, & deuotè recipiant cum gratiarum actione.* Et, quòd grauius est, adiungitur sequens limitatio: *Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex priùs consulatur, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere.* Addi etiam possunt cap. *Quanquam*, de Censib. in 6. & cap. 1. & 3. de Immunit. Eccles. in 6. quatenus in eis generaliter dicitur, Ecclesias, & Ecclesiasticas personas ab omni exactione sæcularium esse exemptas.

4 *Resolutio affirmans.*

In hoc puncto Doctores in hoc videntur conuenire, ad huiusmodi sumptus communes, quando bona communia ciuitatum non sufficiunt, ideoq; necessarium est, vt ciues contribuant, clericos etiam debere concurrere, & cum debita proportione, ac moderatione contribuere. Hoc enim etiam iure canonico permissum, & approbatum est, habetque naturalem æquitatem, vt declarauimus. Difficultas autem est, tum in genere obligationis, tum maximè in modo impositionis, & exactionis. Nam de genere obligationis dubitari potest, an clerici solùm ex quadam honestate, & quasi ex consilio debeant in huiusmodi casibus contribuere; vel ex necessitate, & obligatione conscientiæ teneantur. Aliqui enim solùm putant teneri priori modo, quod significat Panormitanus libr. 1. consil. 3. numero 1. circa finem dicens, *Etiam imminente communi vtilitate clericorum, & laicorum, non tenentur clerici aliquid conferre, nisi sponte velint.* Dum enim ait, *sponte*, indicat voluntariam esse contributionem, non necessariam. Et ad hoc inducit verba cap. *Non minus*, quæ statim referemus. Et ratione potest suaderi hæc opinio, quia clerici non obligantur ex vi legum ciuilium, neque ex vi consignationum, quæ à laicis fiunt sub quocunque tenore præcepti, cum non sint illis subiecti: nec inuenitur lex canonica, quæ illis talem obligationem imponat, nec denique lex sola naturalis eos obligat, quia hæc obligatio pendet ex multis circumstantijs, quæ non sunt de iure naturali, sed ex pactis, conuentionibus q; inter ipsos ciues resultat.

Fundamentum eius.

5. *Opinio.*

Nihilominus contrarium in hac parte sentit Gregor. Lopez in l. 54. tit. 6. partit. 1. Gloss. 2. quem sequitur Gutierr. in Practic. quæstionib. lib. 1. cap. 3. nu. 8. & idem sentit Guerrero in Thesauro Christianæ relig. cap. 36. numer. 32. Fundantur in verbis cap. *Non minus*, ibi, *Nisi Episcopus, & clerus tantam necessitatem, vel vtilitatē aspexerint. &c. vt subsidia per Ecclesias existiment conferenda:* nam vbi res committitur existimationi non cēsetur committi liberæ voluntati, sed iusto iudicio, & arbitrio, vt declarat Vlpian. in l. *Fideicommissa* §. *Si fideicommissum*. vers. *Quanquam*. ff. de Legat. 3. vbi ait, per conditionem hanc, *Si existimaueris* non committi rem plenæ voluntati, sed prudenti arbitrio, & quasi viro bono; ergo in hoc sensu dixit Pontifex, clerum, *si existimet*, prudenti arbitrio, communem vtilitatem, vel necessitatem vrgere, debere contribuere; ergo supposita tali existimatione hoc debitum est moralis necessitatis, & non tantùm voluntatis. Et præterea partem hanc videntur efficaciter persuadere rationes in priori parte factę. Et ad alteram, quam proximè in contrarium fecimus, respondebitur facilè, obligationem hanc oriri ex æquitate naturali, cuius materia in hac parte mutata non est per ius positiuũ, quia ius ciuile potiùs illam confirmat, cui ius canonicum in hoc non contradicit, seu iudicium practicum, & in particulari talis æquitatis Pastoribus Ecclesiæ committit.

Fundamentum huius.

Quo circa in hoc puncto dicendum est, clericos singulos, seu sigillatim sumptos non teneri ad huiusmodi contributionem, donec per Episcopum cum clero prudens existimatio facta sit, & decretum, in eo casu interuenire necessitatem, vel vtilitatem communem, ad quam clerus contribuere debet. Hoc probat dictum cap. *Non minus*, vbi statuitur, debere præcedere Prælati approbationem, vt paulò infe- *Vbi necessitas occurrit Episcopus cleri corũ cõtributioni consentire tenetur.* riùs magis declarabimus; ergo ante illam non tenentur singuli clerici soluere contributionem; imò neque possunt, vt infrà videbimus. Deinde dicendum est, si in re ipsa vera necessitas, vel vtilitas cõmunis cum debitis circumstantijs intercedat, teneri Episcopum ad contributionem approbandam, & contra rationem, & iustitiam facturum esse, si contradicat. Et hoc est, quod præcipuè Gregor. Lopez, & alij intendunt. Et probatur, quia hoc non est eius liberæ voluntati, sed prudenti arbitrio commissum; ergo ex officio, & iustitia tenetur tributum admittere, si re vera existimet, casum necessitatis subsistere, vel si existimare debet, ita vt per ignorantiam inuincibilem non excusetur. Vlteriùs verò addendum est, clericos non posse cogi à laicis ad *Nunquã possunt laici clericos ad contribuendum cogere.* soluendum tributum, etiamsi per Episcopum iam fuerit approbatum, quia nunquam laici habẽt iurisdictionem ad cogendos clericos. Poterunt ergò petere, rogare, & requirere clericos, vt sponte soluant, non tamen vim inferre. Et fortasse in hoc sensu dixit Panormitanus clericos debere sponte soluere. Et ob eandem causam existimo, addita esse in dict. cap. *Aduersus*, verba illa: *Prædicti laici humiliter, & deuoti recipiant cum gratiarum actione, &c.* Quapropter si clerici in eo casu soluere noluerint, per suum Prælatum cogendi sunt, vt rectè dixit Gutier. suprà cum alijs, quos allegat. Quòd si Episcopus vel clericos in hoc peccantes cogere noluerit, vel ipse iniusti è agat, nolens contributionem admittere, quando tenetur; ad superiorem prælatum recurrendum erit, & ita clericorum immunitas seruabitur, & subsidiũ communi bono necessarium non deerit.

6. *Vera resolutio.*

Probatur.

7 *An in contributione hac form. iure canonico præscripta seruanda.*

Supereſt tractanda alia pars dubitationis circa modum in hac contributione seruandum, videlicet, an in imponenda clericis, vel ab eis exigenda contributione ad huiusmodi communis vtilitatis opera, seruanda sit forma præscripta in dictis decretis, vel nulla illius ratione habita possint laici Principes leges suas executioni mandare. Non enim defuerunt multi Iurisperiti, qui dixerint, nihil esse in hac parte derogatum iuri ciuili per canonicum, ac subinde ad exigenda à clericis hæc tributa, non esse necessarium recursum ad Summum Pontificem, qui postulatur in dicto cap. *Aduersus*, neque approbationem Episcopi, aut cleri, provt præscribitur ibidem, & in dicto cap. *Non minus*, sed satis esse Regis edictum proponentis causam vt communem, & necessariam & contributionem vt moderatam, & iusta proportione distributam. Quam sententiam indicant Gloss. & Hostiens. in d. cap. *Non minus*, eam que defendit latè Lucas de Penna in l. *Cùm ad felicissimam*. C. *Quibus muneribus*. lib. 10. quem cum alijs multis pro hac sententia refert Gutierr. vbi suprà, & specialiter illam defendit Rebuff. in commentar. ad constitution. Galliæ tom. 1. tract. de Sentent. prouis. art. 3. gloss. 6. vbi alios refert. Et cùm sibi obijciat, Imperatorem non potuisse clericos sua lege adstringere, respondet: *Verum est, tamen hæc opinio de facto seruatur in Francia.* In quo sentit, per consuetudinem esse in hac parte iuri canonico derogatum. Quod fundamentum falsum omnino esse infrà ostendemus.

Opinio negans.

8 Vt ergo huius sententiæ fundamentum aliquo

modo tolerabile sit in hoc constitui debet, scilicet A iura Canonica præscribentia formam seruandam in postulandis huiusmodi tributis à clericis, non extendi ad hæc tributa, quando authoritate Regia imponuntur. Hoc autem duobus modis declarari potest. Primò, quia cap. *Non minus*, solùm loquitur de consulibus, & rectoribus ciuitatum, & aliorum, qui similem potestatem habere videntur, & illis prohibet, ne clericis tributa imponant, nisi Episcopo approbante, &c. Vnde in sequenti capit. *Aduersus*, quod est Concilij Lateranens. sub Innocentio 3. his verbis refertur decisio prioris Concilij Lateranensis sub Alexandro 3. *Aduersus Consules, & rectores ciuitatum, vel alios, &c.* Ergo ex vi talium verborum non impediuntur Reges supremi hæc onera cle- B ricis imponere. Et hanc sententiam tenet apertè Lucas de Penna loco citato, & insinuat Hostiensis in Summa tit. de Immunitate Eccles iar. §. *A quibus*, versicul. *Verum ad extraordinaria*, quamuis enim dicat, legem *Ad constitutiones*, & similes corrigendas, vel moderandas esse per ius canonicum, nihilominus addit limitationem, *nisi Princeps præcipiat*. Verum est tamen, in contextu eius ambiguum esse, an dicere voluerit, illicitas esse has exactiones respectu clericorum tantùm, vel simpliciter respectu omnium subditorum esse illicitas, nisi fiant authoritate Principis, & hic posterior videtur magis esse sensus eius, si totus contextus considere- C retur.

9. *Reijcitur.* Cuiuscunque tamen sit illa limitatio cap. *Non minus*, & similium admittenda non est, quia in primis repugnat Pontificiæ declarationi in Bulla cœnæ Domini, vbi expresse prohibitio extenditur ad quoscumque *cuiuscuis præeminentiæ, & dignitatis, etiam Imperialis, & regalis*, & additur: *Innouantes decreta super his per sacros canones tam in nouissimo Lateranẽsi, quàm alijs Concilijs generalibus edita*, vbi præcipuè intelligit cap. *Aduersus*, & cap. *Non minus*, exponendo (vt arbitror) potiùs, quàm addendo, illo- D rum dispositionem ad omnes Principes temporales extendi. Deinde in illis decretis licèt fortasse propter occasionem facti, quòd ibi refertur, nominentur Consules, & Rectores, tamen in fine adduntur generalia verba, quæ omnes potestatem habentes ad imponenda tributa comprehendunt, vt in cap. *Non minus*. *Nec non, & alij, qui potestatem habere videntur*. Et in c. *Aduersus*. ibi: *Consules, & Rectores ciuitatum, vel alios*. Vbi non dixit alios similes, sed simpliciter alios, planè comprehendens omnes, qui Ecclesiasticis viris has exactiones imponere nituntur, & in cap. *Clericis*. §. *Nos igitur*, de Immunit. Eccle- E sia. in 6. expresse nominantur *Imperatores Reges, &c.* Et in hac parte confirmatur in Clement. vnic. eodem titulo quamuis per verba generalia, scilicet, *contra quoscunq; laicos, &c.* Et ita etiam interpretatur, & confirmat Clement. V. decisiones Conciliorum Lateranensium sub Alexandro, & Innocentio. Denique in cap. *Quanquam*, de Censib. expresse dicitur: *Nec collegium, nec vniuersitas, nec aliqua etiam singularis persona, cuiuscunque dignitatis existant, &c.* Est ergo certissimum, non posse limitari illa decreta ex parte personarum laicarum, quacunque potestate vel dignitate præemineant, ac proinde sententiam illam Iuristarum in hac declaratione fundatam im- F probabilem esse.

10 *Secundus dicta opinionẽ defendendi modus.* Alio igitur modo posset illa sententia defendi, dicendo, illa iura non loqui de his impositionibus, quæ per modum iustæ distributionis inter ciues fiũt ad res omnibus necessarias, vel valde vtiles; sed loqui de proprijs tributis, quæ in subsidium Principum, vel Regum imponuntur. Et ratio reddi potest, quia illæ priores exactiones, seu contributiones (vt suprà dicebam) non sunt propria tributa superiori potestate, & voluntate Principis imposita, sed sunt veluti quidam sumptus debiti, quia ex natura rei re- sultant ex tali opere communiter necessario. Quia nec clerici iustè possunt resistere, aut contradicere, ne tale opus fiat; neque possunt impedire; quin in ipsos sicut in alios ciues resultet obligatio naturalis soluendi quo tam partem sumptuum, quæ secundum iustam proportionem singulos contingit: ideoque talis obligatio non oritur ex iurisdictione sæculari, neque ex lege ciuili, sed ex ratione naturali supposito tali facto iusto, & communitati moraliter necessario. Vnde fit, non repugnare talem contributionem Ecclesiasticæ libertati, ac proinde non esse contra canonica iura, quæ prohibent omnes temporales exactiones à clericis fieri, quia solùm prohibent exactiones contrarias Ecclesiasticæ libertati, qualia sunt, quæ in iurisdictione laicorum, & in positiua lege ciuili fundantur.

H *Refellitur.* Sed quamuis fundamentum hoc speciem quandam probabilitatis habeat, nihilominus solidum non est, nec decretis consentaneum. Primò, quia (vt notauit Abbas in dicto consil.) dictum cap. *Non minus*, priùs dicit, *Siue fossata, siue expeditiones*, & deinde adiungit: *Siue alia quælibet*. *Fossata enim* ad custodiam ciuitatis fieri solent, & ita pertinent ad vtilitates clericis, & laicis communes; idemque ferè esse solet de expeditionibus; ergo cum additur distributio *Alia quælibet*, omnia similia ad minimum comprehenduntur. Vnde in cap. *Aduersus*, distinctè explicatur prædicta decisio de exactionibus, quæ ad releuandas vtilitates, vel necessitates communes ordinantur. Præterea in alijs iuribus absolutè, & sine limitatione prohibentur exactiones, & collectæ, quibus nominibus solent etiam hæ contributiones communes significari, & Clementin. vnica addit distributionem, *Quascunque exactiones*, & præterea adiungit: *Nec non & circa præstandas subuentiones laicis à Prælatis, vel aliis personis Ecclesiasticis*, nomine autem subuentionum huiusmodi contributiones maximè significari solent. Et in dicta Authentica. *Item nulla* declarantur *augariæ, & parangariæ*, quæ solent etiam pro communi vtilitate exigi; ergo limitatio illa verbis ipsorum iurium repugnat.

12 *Satisfit rationibus probatis, & fundamento adducta.* Deinde ratio, seu coniectura adducta in illo fundamento non est sufficiens ad interpretanda iura contra eorum verba, quia non probat, esse necessariam limitationem illam, vt decisio illorum canonum iusta, & rationabilis sit. Primò quidem quia bona Ecclesiastica, quibus clerici aluntur, sunt ad altiores fines deputata, qui in bonum, & vtilitatem ipsorum laicorum redundant: nam subuentio pauperum magna vtilitas laicorum est, templa etiam, & omnes sumptus illorum, laicorum vsibus inseruiunt, & ideò non est à ratione alienum, vt laici ex solis bonis suis temporalibus contribuant ad publica opera ciuilia, etiam si in communem vtilitatem clericorũ redundent. Præsertim quia bona sacris vsibus deputata non debẽt ad prophanos, & communes vsus cõuerti, & ideò meritò eximuntur ab his etiam temporalibus contributionibus. Quam rationem latè prosequitur Panormitanus in dicto consilio.

13 *Obiectio.* Dices, has rationes ad summum procedere de bonis Ecclesiæ, non verò de bonis clericorum, quia & possunt esse patrimonialia, & quamuis sint ex redditibus Ecclesiæ, postquàm sunt facta propria illorum, iam non sunt sacra, sed patrimonialibus comparantur, vt suprà dictum est. Respondetur, etiam procedere satis congruenter rationem illam in bonis clericorum: præcipuè in his, quæ proueniunt ex *Solutio.* redditibus Ecclesiasticis, quia ex vi suę exemptionis, & dignitatis postulant, vt sine diminutione, & sine temporali onere conferantur. Deinde meritò extẽditur etiam ad bona patrimonialia, tum quia hæc sunt veluti accidentaria, & accessoria, expeditque, vt participent exemptionem personæ, & aliorum bonorum, ne detur occasio laicis illo colore onerandi clericos: tum etiam quia ipsi clerici cõmuni vtili-

tatẽ

tati laicorum insistunt, & ideò illis quodam modo debitum est, vt gaudere possint vtilitatibus temporalibus cæteris ciuibus communibus, etiam si ad illas temporaliter non concurrant. Hac enim ratione solent eximi milites, & Magistratus; ergo iure etiam eximuntur sacerdotes, qui non minus ad ius, seu commune bonum pertinent, quàm ciuiles Magistratus, iuxta sententiam Isidori lib. 5. Etymologiar. cap. 8. cap. *Ius publicum*. distin. 1. & idem habetur in l. 1. ff. de Instit. & iure. Denique quamuis demus, in aliquibus casibus iustum, & rationabile esse, vt clerici ad hæc opera contribuant, inde non sequitur, dicta iura canonica de his exactionibus, seu contributionibus non loqui, quia non omnino illas prohibent, sed modum, & formam in illis seruandam statuunt. Hoc autem maximè consentaneum rationi est, quia ad Prælatos Ecclesiæ spectat, clericorum curam specialem habere, & dijudicare, an talia onera iuste illis imponantur, non tantùm generatim, sed etiam in particularibus casibus, & euentibus, in quibus solent excessus, & violentiæ committi. Quam rationem dicta iura attigerunt.

14 *Conclusio. Tubis actionibus seruanda est forma iure canoni co præscripta*

Dicendum ergo sine vlla dubitatione est, in postulandis à clero huiusmodi contributionibus à laicis Principibus, & Magistratibus ordinatis, seruandum esse modum, & formam in iure canonico præstitutam, præsertim in dictis capitibus. *Non minus*, & *Aduersus*. Ita docet latè Panormitan. in dicto cons. 3. & in dicto cap. *Non minus*. nu. 18. vbi refert alios antiquos Doctores in hac veritate consentientes, præcipuè Glossam in cap. *Generaliter*, verb. *Collationibus*, quæ ait, legem ad *Instructiones* derogatã, vel certè limitatam esse per ius canonicum. Et idem sensit Hostiens. in Summ. tit. de Immunit. §. *A quibus*, circa finem, & communiter Canonistæ super dicta decreta, Paulus Castrens. Iason, & alij in dicta l. *Ad instructiones*, & Gregor. Lopez dict. tit. 6. partit. 1. l. 5. & melius in 54. num. 1. & 2. & lex illa multum fauet. Nam licèt dicat, Clericos debere has contributiones soluere, tamen simul declarat, hoc esse ex cõsensu Ecclesiæ, dicens, *Tubo por bien la santa Iglesia*. Et infrà adiungit, non posse laicos cogere clericos ad hanc solutionem, sed solùm simpliciter ab eis petere, & si dare noluerint, per Episcopos cogendos esse, de Episcopis autem dicit, teneri ad id præcipiendum, quod intelligẽdum est iuxta priorem declarationem, scilicet, iuxta probationem Ecclesiæ, & modum ab ea præscriptum. Et plura pro hac sententia, & præsertim quoad Doctorum allegationes videri possunt in Gutierrez in dicta q. 3. libri 1. Practicar.

Forma autem, seu modus in his tributis seruandus, vt à clericis exigi possint, tribus conditionibus consistit, quæ ex dictis capitibus. *Non minus*, & *Aduersus* sumuntur. Prima ponitur his verbis: *Vbi laicorum non suppetunt facultates*. Circa quæ verba dubitari potest, de quibus facultatibus intelligẽda sint, an de solis facultatibus communibus reipublicæ, an etiam de facultatibus singulorum ciuium. De quo nihil inuenio à Glossa, vel Doctoribus ibi explicatũ, neque in alijs iuribus canonicis, neque etiam in legibus iuris communis ciuilis; imò lex. *Ad instructiones*, omnino illam conditionem omisit; solumque in dicta lege Hispaniæ nouæ recopilationis explicatur illa conditio, & ad communia bona limitatur per illa verba. *A fallecimiento de proprios de consejo*. Cui legi stari posse videtur, quamdiu ex iure canonico aliud non constiterit, tum quia est satis rationi consentanea, vt ex supra dictis constat, tum etiam quia alia esset nimia restrictio, vix enim potest moralis accidere casus, in quo bona propria omnium, & singulorum ciuium ad huiusmodi opera efficienda non sufficiant, & difficilius erit hoc examinare, vel probare. Vt ergo clerus consentire debeat, satis erit, vt moraliter constet, communia bona non sufficere, & singulos ciues non posse sine magno grauamine suis solis sumptibus tale opus efficere.

15 *Quæ conditiones requirat forma iure canonico præfinita. 1. Conditio.*

Altera conditio est, vt contributio non fiat, nisi Episcopus, & Clerus, re inspecta, & considerata, existiment esse conferendam. Ita habetur in cap. *Nõ minus*, & expressiùs in cap. *Aduersus* dicitur. *Episcopus simul cum clericis*. Vnde constat, non posse Episcopum solum contributionem approbare, vel iubere, etiam iuxta dispositionem capit. *Non minus*, quia concursus cleri simul postulatur. Interrogari autem potest, quid nomine cleri, vel clericorum intelligatur, nam videtur in rigore significari, necessariam esse diœcesanam synodum: nam hæc videtur intelligi nomine cleri, & quia quod omnes tangit, ab omnibus debet comprobari; ergo oportet vt omnes conueniant, saltem per capita, & in synodo. In contrarium autem est, quia hoc non videtur obseruari in vsu, & est moraliter valde difficile, vt in omnibus occasionibus occurrentibus practicè seruari possit. Qua propter satis probabile est, sufficere consensum Episcopi cum capitulo suæ cathedralis Ecclesiæ; nam illud solet in iure intelligi nomine clericorum, iuxta caput. 1. cum alijs, de ijs, quæ fiunt à Prælatis sine consensu capituli. Multum etiam in hoc valere potest consuetudo: nam vbi ex more præscripto Episcopus habuerit proprium consilium suorum officialium, vel clericorum ad hoc munus deputatorum, & cum eis grauiora diœcesis negotia expedire solet illud videri potest sufficiens ad conditionem hanc in illis iuribus requisitam implendam.

16 *Secunda.*

17 *3. Conditio.*

Tertia conditio in dicto cap. *Non minus* est, vt contributio fiat sine vlla exactione. Hæc verò magis pertinet ad modum petendi tributum iam impositum, quàm ad modum seruandum in imponendo tributo. Intelligitur autem de exactione coactiua, vt iam suprà explicatum est, & de illa conditione videri potest Gigas de Pension. quæst 90. in fine, vbi alios refert. Insinuatur etiam in eodem textu alia conditio, scilicet, vt contributio fit *ad releuandas communes vtilitates, vel necessitates*, sed hæc nõ est noua conditio, sed finis, & quasi fundamentum *iustitiæ* talis impositionis, quod in toto hoc capite principaliter suppossuimus. His ergo conditionibus omissis propriam tertiam conditionem addidit Innoc. 3. in dict. cap. *Aduersus* his verbis. *Propter imprudentiam tamen quorũdam Romanus Pontifex prius consulatur, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere*. In qua conditione propter difficultatem eius, & moram, quam necessariò secum affert, fundantur maximè contrariæ sententiæ authores, vt putent, non esse extendendam ad has actiones, quæ frequenter necessariæ sunt, & habent quasi innatam naturalem æquitatem, & pietatem. Sed nihilominus euidens est, Innocentium 3. de eisdem ex actionibus, vel tributis cum Alexandr. 3. esse loquutum, ac proinde hanc conditionem ad omnia tributa, in quæ priores conditiones cadunt, extendi. Ideoque licèt difficilis videatur, seruandam esse, quia sic scripta ab eo, qui potestatem habuit illam imponendi, & potuit esse expediens propter vitanda incommoda, quæ frequenter occurrunt. Existimo tamen, si Episcopus, & clerus consentiant inconsulto summo Pontifice, licèt malè faciant, & puniri possint, nihilominus factum tenere, quia ibi non additur verbum irritans consensum eorum, & alioqui habebant iure ordinario potestatem ad illum consensũ præstandum.

18 *Euasio.*

Posset autem aliquis dicere, conditionem hanc esse in præsumptione fundatam, vt indicant illa verba. *Propter imprudentiam quorundam*, & ideo vbi fuerit euidens iustitia, & ratio contributionis, & cõsensus sit debitus secundum prudentiam, non obligare legem illam quoad hanc conditionem. Quia præsumptio cedit veritati, & consequenter cessat

etiam lex in præsumptione fundata. Respondeo ne- A gando assumptum, quia illa lex re vera non suppo-nit rem præsumptam, in qua fundetur, sed solum morale periculum, & occasionem frequentis ma-li, & nocumenti. Hoc autem satis est, vt lex vniuer-saliter feratur, & obliget etiam in particulari casu, licèt in eo negatiuè cesset finis, seu ratio legis. Solùm ergo limitari potest illa conditio in casu vrgentis necessitatis, quando est periculum in mora, argumẽ-to capit. *Peruenit*, de Immunit. Eccles iar. & quia ne-cessitas caret lege. Et hanc limitationem addiderũt, Panormitanus & Gregor. Lopez suprà, & Syluester verb. *Immunitas*, numero 10. Gutierr. supra, qui alios refert. Hæc autem necessitas maximè potest contingere in exactione, quæ ad vnum actum, vel ad breue tempus fit: nam si longiori tempore sit duratura, licèt in casu necessitatis possit inchoari inconsulto summo Pontifice: vt longiori tempore protrahatur, consulendus erit, quia potest quoad hanc partem lex impleri, necessitate non obstante, quia hoc modo illi sufficienter subuenitur.

Limitatio admittenda in hac tertia conditione.

CAPVT XXVI.

VTRVM OMNES CLERICI TAM in sacris, quam in minoribus ordinibus constituti, & in statu clericali perseuerantes, integrè gaudeant Ecclesiastica libertate?

1 EXplicuimus causas, & effectus huius exemptionis, solùm superest, vt de personis, seu subiectis, quibus hoc priuilegium conceditur, disseramus. Et quoniam ex hactenus dictis satis in genere constat, priuilegium hoc personis Ecclesiasticis concedi, duo sub has generalitate explicanda supersunt. Vnum est, quæ sint istæ personæ Ecclesiasticæ hoc priuilegium participantes. Aliud est, an singulis earum totum hoc priuilegium integrè, & quoad omnes suas materias communicetur. Primum ergo distinguendus est duplex ordo Ecclesia-sticarum personarum iuxta partitionem à Hieronymo traditam in cap. *Duo sunt*. 12. quæst. 1. Vnus est cle ricorum, alius est eorum, qui Conuersi, seu Deo de-uoti ibi appellantur, qui sub nomine *Monachorum* significantur in cap. *Si quis suadente* 17. qu. 4. & iam communiter sub nomine religiosorum, aut regula-rium comprehenduntur.

2. *Differentia inter has Ecclesiasticas personas.*

Differunt autem hæc duo genera personarum Ecclesiasticarum, quia clericatus propriè sumptus requirit ordinationem aliquam sacramentalem, vel E saltem primam dispositionem, & quasi inchoatio-nem eius per primam tonsuram (in hac enim ampli-tudine nunc sumitur iuxta cap. *Cùm non ab homine*, de Sentent. excom. & cap. *Cùm non ab homine*, de Iudicijs:) Monachatus verò nullum requirit ordi-nem, sed solùm sacrum aliquem statum, per quem persona Deo specialiter dicetur, & vt talis ab Ec-clesia recipiatur. Deinde in Clericatu sunt diuersi gradus, nam quidam sunt Clerici in sacris, vt sunt omnes, qui per ordinationem ratione voti annexi inhabiles ad matrimonium facti sunt, iuxta cap. *Mi-ramur*, de Seruis non ordinandis. Alij verò sunt cle-rici in minoribus, qui votum non emittunt, & ideò F subdistinguendi sunt, nam quidam sunt clerici con-tinentes, alij coniugati. Et ita resultant quatuor gra-dus personarum Ecclesiasticarum, de quibus suo or-dine dicemus, in hoc vero capite simul tractabimus de omnibus clericis non coniugatis, quia in genera-li regula conueniunt, qua constituta exceptiones, vel differentiæ, quæ inter eos fuerint, facilè intelli-guntur.

3. *Conclusio.*

Dicendum ergo est, omnes clericos tam in sa-cris, quam in minoribus, etiam in prima tonsura cõ-

stitutos, & in clericali statu perseuerantes, plenè & integrè gaudere priuilegio clericali, per se loquen- *Probatur 1. conclusio primò ex iure canonico.*
do, id est, nisi propter crimina illo priuentur. Hæc assertio extra controuersiam est inter Catholicos: nam ex iure canonico manifestè probatur. Præsertim cap. 2. de Foro competent. ibi: *Neque presbyterum neque diaconum, aut clericum vllum, aut minores Ecclesiæ*, per quod vltimum membrum intelligi vi-dentur iuuenes, seu iuniones (vt habet alia lite-ra) primam tantùm tonsuram habentes, quamuis alij magis vocem illam extendant, vt infrà videbi-mus. Idem probatur in dicto capite. *Cùm non ab ho-mine*, de Iudicijs, ibi: *Clericos cuiuscunque ordinis*. Et B iterum: *Clericus in quocunque ordine constitutus*. Alia verò iura indefinitè loquuntur de clericis, sub qua voce omnes comprehenduntur, præsertim in fauo-rabilibus, nisi limitatio addatur, & in hac materia specialiter explicatur in capite. *De persona* 11. quæstion. 1. vbi multa alia iura eodem modo de cle-ricis loquuntur; tractant verò specialiter de pri-uilegio fori tam in materia criminali, quàm in ci-uili. Et cum eadem generalitate loquuntur iura Canonica de clericis quoad exemptionem à tribu-tis, vt videri potest in omnibus titulis de Immu-nitate Eccleſiar. Denique ius etiam ciuile eodem *Probatur 2. conclusio ex iure ciuili.*
C modo de exemptione clericorum loquitur, vt patet ex Authentic. *Cassa*, Cod. de Sacrosanct. Eccles. & Authent. *Item nulla*, Cod. de Episcop. & Cleric. vbi Frideric. *de personis Ecclesiasticis* indefinitè lo-quitur, quod nomen generalius est. In Codice et-iam Theodosiano multæ sunt leges sæpè iam indica-tæ, in quibus priuilegium hoc vel absolutè conce-ditur clericis, vel interdum etiam minoribus in par-ticulari. Vnde à fortiori constat, conuenire maiori-bus.

Ratio assertionis non est alia, nisi quæ ex iure su- 4
mitur. Nam si hoc priuilegium, vt est à iure diuino, *Ratione probatur assertio.*
spectetur, sic nullam habet limitationem ex parte D clericorum, quia omnes sunt speciali titulo de fa-milia Christi, & ad diuinum cultum consecrati, & deputati: nam licèt inter ipsos clericos sit differen-tia maioris, vel minoris consecrationis, seu ma-gis, aut minus sacri ministerij, hoc non satis est, vt dicamus, quosdam fuisse magis exemptos ex vi iuris diuini, quàm alios, vt suprà cap. 10. declaratum est. Si autem hoc priuilegium spectetur vt per ius Ec-clesiasticum determinari, aut limitari potest quoad personas, sic etiam non inuenitur facta discretio inter clericos in sacris, vel in minoribus, dummo-dò in statu clericali perseuerent, modo inferiùs ex-plicando. Ratio autem colligi potest ex cap. *Si di-ligenti*. de Foro compet. quia hoc priuilegium sicut non est personale, id est, intuitu personæ concessum, ita non est datum intuitu huius, vel illius ordinis, sed intuitu status clericalis, & ideò dicitur ibi *toti collegio Ecclesiastico indultum*, ad quod collegium quilibet clerici pertinent, vt ibi dicitur. Nec dubi-tandum est, quin etiam Clerici solius primæ ton-suræ sub hac generalitate comprehendantur; & ideò de his solent interdum authores loqui in particula-ri, vel ad tollendum omne dubium, vel vt à fortiori intelligantur omnes superiores comprehensi, vt videre licet in Ioanne Lupo tractat. de Libertate F Ecclesiastic. capit. 2. & Couarru. in Practic. cap. 31. 32. & 33. & est satis expressum in dicto cap. 2. de Foro compet. & clariùs in Concilio Trident. sess. 23 cap. 6. de Reformat. quod decretum statim expo-nemus.

Quod autem hoc intelligendum sit de plena, & integra exemptione, vt in altera parte assertionis dixi, æquè certum est, & eodem ferè modo est proba-dum: nam iura canonica, & ciuilia, tam quæ exemp-tionem fori in criminalibus, & ciuilibus, quã quæ immunitatẽ à tributis cõcedũt, de ecclesiasticis per-sonis æqualiter, siue indefinitè, siue cũ distributione

loquun-

quuntur. Vnde omnia, quæ hactenus de generalitate exemptionis tam in criminalibus, & ciuilibus iudicijs, quàm in legibus etiam ciuilibus, & tributis diximus ad omnes clericos cuiuscunque ordinis in statu clericali perseuerantes æqualiter applicanda sũt, quia iura quoad hanc partem nihil inter eos discernunt, vnde neque nos discernere debemus, nisi fortasse in aliquo casu particulari in iure expresso, de quo nunc non tractamus.

6 *Limitatur assertio.*

Dixi autem *in clericali statu perseuerantes*. Primò ad declarandum conclusionem intelligi de clericis non coniugatis, nam illi soli integra exemptione gaudens, vt ex dicendis in capite sequenti constabit. Deinde posita est illa particula ad explicandum decretum Concilij Tridentini suprà allegatum, & differentiam, quæ inter clericos maiorum, vel minorum ordinum in hoc inuenitur. Supponit autem hæc differentia discrimen aliud inter status vtriusque ordinis clericorum. Nam licèt omnibus clericis commune sit, vt characterem indelebilem accipiãt (quod cum proportione, & quadam imitatione de prima tonsura accipiendum est) nihilominus quoad perseuerantiam in statu, & munere clericali ordines sacri secum afferunt maiorem stabilitatem, & obligationem. Nam clerici in sacris tenentur in statu clericali perseuerare cap. *Decernimus*. distin. 28. neque possunt illum sine apostasia deserere, vnde ad habitum, & insignia clericalia retinenda cogi possunt, cap. *Tuæ* de Apostatis adiuncta Glossa communiter probata. Clerici autem in minoribus, vt eadem Glossa notat, possunt sine apostasia statum clericalem deponere, & laicè viuere, & sæcularibus negotijs implicari, iuxta cap. *Ioannes*, de Clericis coniugat. & cap. vnic. eodem titul. in 6. Ex hac ergo differentia oritur, vt clerici in sacris absolutè; & sine vlla alia conditione dicantur ex vi suæ ordinationis gaudere priuilegio Clericali, quia talis ordinatio secum trahit perseuerantiam in illo statu, & consequenter etiam trahit priuilegium clericale, per se loquendo, quam particulam, seu limitationem infrà explicabo. Inferiores autem ordines, quia per se non obligant ad perseuerantiam in illo statu, per se soli non sufficiunt ad gaudendum priuilegio clericali, sed aliquas alias conditiones requirunt, quæ indicent, talem personam durare in statu, in quo est diuino cultui, & Ecclesiastico ministerio dicata, quæ est potissima ratio, ob quam hoc priuilegium conceditur.

Ordines sacri per se soli priuilegium exemptionis inducũt, minores verò non ita.

7 *In clericis minoribus tres cõditiones requiri ad frũdum hoc priuilegio.*

Hinc ergo Tridentina Synodus sess. 23. cap. 6. de Reformat. in hunc modum decernit. *Nullus prima tonsura initiatus, aut in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori priuilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato sui Episcopi inseruiat, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi quasi in via ad maiores ordines suscipiendos, versetur*. Ex qua decisione constat, mentem Concilij fuisse, vt non gaudeant priuilegio clericali clerici in minoribus constituti, nisi Ecclesiasticis ministerijs actu dicati sint, quod nos explicuimus per verbum *perseuerandi in statu clericali*. Voluit autem Concilium, vt minoribus ordinibus aliquid aliud adiungeretur, quo ista perseuerantia, seu dedicatio ad diuinum cultum indicaretur. Duos autem modos Concilium distinxit. Vnus est, si clericus minor beneficium Ecclesiasticum habeat. Alius est, si tonsuram, & habitum clericalem deferat, & ad seruiendum alicui Ecclesiæ, vel alio modo in via ad Ecclesiasticum obsequium per Episcopum applicatus, vel constitutus sit. Qui duo modi singuli per se sufficiunt: nam à Concilio sub disiunctione, *aut*, ponuntur.

8 Clericus ergo minor habens clericale beneficiũ, eo ipso gaudet priuilegio fori, etiam si conditiones alias in clericis minoribus non beneficiatis requisitas non obseruet, quia Concilium in illo membro solùm beneficium cum ordinibus requirit, quia ex vi beneficij censetur esse actu dicatus Ecclesiastico ministerio, & tenetur habere animum in clericali statu perseuerandi, vel saltem non habendi contrarium, alias nec beneficium retinere, nec illius fructus suos facere potest. Dices; ergo licèt talis clericus in habitu clericali non incedat, nec tonsuram deferat, & in reliquis vt laicus viuat, gaudebit priuilegio clericali, quod videtur absurdum, cum grauiter peccet, & satis videatur clericalem statum deseruisse. Respondeo concedendo, non amittere priuilegium ipso facto, quia nullo iure priuatur, nec Concilium in tali clerico aliam conditionem vt simpliciter necessariam ad gaudendum priuilegio requirit. Poterit tamen talis clericus moneri, & si incorrigibilis sit, priuilegio priuari iuxta cap. *In audientia*, & cap. *Contingit* 2. de Sentent. excommun. Idem enim in clericis in sacris cõtingit, vt infrà dicemus, & notat Glossa in cap. *Tuæ*, de Apostatis, & Innocent. in cap. 1. eodem tit.

Obiectio.

9 *An pensio cũ minoribus ordinibus ad hoc priuilegium sufficiat.*

Quæri autem potest, an sufficiat cum tali ordine habere pensionem. Respondeo, si pensio talis sit, quæ possit haberi à laico, clarum est, non sufficere, quia talis pensio neque est insigne clericatus, neque ad statum clericalem, vel officium obligat, neque beneficio Ecclesiastico vllo modo æquiparatur. *Si giũ sufficiat.* autem pensio sit clericalis, videri potest sufficere, propter contrarias rationes, æquiparatur enim Ecclesiastico beneficio, & ideo solet sub illa voce comprehendi, præsertim in fauorabilibus. Habemusque ad manum exemplum in eodem decreto Concilij Tridentini: nam in principio statuit, vt ante decimum quartum annum nullus possit beneficium obtinere, ibi autem congregatio Cardinalium censuit, sub beneficio pensionem comprehendi; ergo eadem, vel maiori ratione cùm inferiùs dicitur, clericum minorem, si habeat beneficium gaudere priuilegio, debet etiam nomen beneficij ad pensionem extendi.

10 Nihilominus inuenio responsionem aliam eiusdem congregationis, in qua contrarium declarari videtur his verbis: *Cui reseruata fuit pensio, si non incedat in habitu, & tonsura, non gaudet priuilegio fori*. Et ratio redditur, quia Concilium Tridentinum corrigit ius commune, & tres casus excipit per dictionem, *Nisi*, Hæc enim decisio non potest subsistere, nisi supponamus, ibi sub nomine, *Beneficij* non venire pensionem. Nam licèt verum sit Concilium corrigere ius commune in eo, quod non requirit trinam monitionem, quam postulabant cap. vlt. de Vita, & honest. clericor. & capit. *Contingit*, de Sentent. excommunic. nihilominus in primo membro illorum, quæ excipit, solum beneficium cum aliqua ordinatione requirit; ergo si pensio venit nomine beneficij, quando alicui vt clerico reseruatur, qui illã habuerit, gaudebit priuilegio, etiamsi habitum, & tonsuram non deferat. Vel è contrario si ille non gaudet priuilegio (vt habet responsio Cardinalium) non sufficit sola pensio sine alijs requisitis, ac subinde sub beneficio non comprehenditur.

11 Vnde tenendo hanc sententiam, responderi poterit, hic restringi nomen beneficij, quia hoc cedit in fauorem Religionis, ne is, cui pensio tanquam clerico reseruatur, facile habitum, vel tonsuram deferat, si absque illis posset priuilegio gaudere. Mihi tamen, vt verum fatear, hoc non satisfacit, ideoque difficilis videtur hæc posterior decisio, nec rationem eius satis intelligo, ideoque dubito, an fideliter sit descripta, ac propterea iudicium in hoc puncto alijs remitto. Aduerto tandem in hoc priori membro, quòd licèt ad beneficium ætatem quatuordecim annorum Concilium requirat, ad gaudendum priuile-

14 *Annorũ ætas ad hãc exemptione nõ requiritur.*

gio non est necessaria, quia in nullo membro à Concilio postulatur. Solum in hoc primo videtur consequenter exigi ratione beneficij, vel potius supponi. Si tamen per dispensationem contingat, clericum minorem quatuordecim annis habere beneficium, priuilegio clericali gaudebit, quia in re habet conditiones à Concilio requisitas, nihilque refert, quod eas per ius commune, vel per dispensationem habere potuerit, quia in hoc Concilium nihil distinguit.

12 *Clericus in minoribus ex defectu cuiuscunque ex dictis conditionibus ipso facto priuilegium amittit.*

Circa aliud membrum solùm oportet notare, in clerico minori non habente beneficium, tres conditiones postulare Concilium copulatiuè. Ideoque quacunque illarum deficiente, ipso facto, & nulla declaratione, vel monitione præmissa, non gaudebit talis clericus priuilegio, vt congregatio etiam Cardinalium expresse declarauit, citans Innocentium in cap. 1. de Apostatis, & Geminianum in cap. *Si iudex*, de Sentent. excommunic. in 6. Et ratio est, quia illa non est lex pœnalis, sed constituta formæ necessariæ ad tale priuilegium, & ideo deficiente forma, ipso facto perditur priuilegium. Declarat præterea dicta congregatio, habitum debere esse decentem, & vsque ad talos. Eademque ratione oportebit, tonsuram esse secundum communem consuetudinem patriæ. Alia de his duabus conditionibus videri possunt in Couar. in Pract. cap. 31. numer. 7. & Iulio Claro lib. 5. §. vltimo q. 36. nu. 17. Et inter leges Hispaniæ lex. 1. tit. 4. libri 1. Nouæ recopilat. vbi quædam declaratio Pij 4. pro his regnis refertur. Quacunque ergo ex his duabus conditionibus deficiente, iuxta consuetum morem amittetur priuilegium: vt autem deficere iudicentur, non satis est, semel aut iterum in eis deficere, sed veluti habitu, & permanenter sine illis incedere vt eadem congregatio sensit argumento cap. *In audientia*, de Sentent. excommunic. In casu verò dubio Ecclesiasticus iudex discernit, an clericus sufficienter habitum, vel tonsuram dimiserit, iuxta cap. *Si iudex*, de Sentent. excommun. in 6. Vide Couarr. in Pract. cap. 33. in princip. Iul. Clar. §. vlt. q. 36. nu. 11. Salzed. in Pract. ca. 62. nu. 14. & 19.

13 Atque hæ duæ conditiones habitus, & tonsuræ iure communi videbantur sufficere etiam post trinã monitionem, Cõcilium verò addidit tertiam, nimirum, vt talis clericus ex mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inseruiat, seu addictus sit, quæ satis per se est perspicua, & sine dubio est necessaria, non tamen absolutè, sed nisi per aliam ab eodem Concilio approbatam suppleatur. Ponit enim Concilium sub disiunctione duo membra, scilicet: *Vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi versetur*, de quibus dubitari potest, an singula ex illis contineant singulas conditiones per se sufficientes ad hoc priuilegium, vel solùm sint quasi partes tertiæ conditionis in secundo membro principali positæ, & cum illo solo sub disiunctione construendæ. Sed sine vlla dubitatione hic posterior est sensus Concilij. Alioqui constituenda essent quatuor membra principalia illius decisionis, & clericus in minoribus existens in studio de licentia Episcopi gauderet priuilegio, etiam si habitum, & tonsuram clericalem non deferret, & beneficio careret: consequens est contra rationem, & contra consuetudinem, quæ est optima legum interpres. Non sunt ergo illa quatuor membra principalia, sed duo, quia verò in secundo membro tres ponũtur conditiones, tertia illarum disiunctiuè ponitur sub triplici membro minus principali. Itaque in omnibus clericis minorum ordinum in primis requiritur habitus, & tonsura, loco verò tertiæ cõditionis de Ecclesiæ ministerio, sufficit esse in seminario, vel in studio de licentia Episcopi.

14 *An clericus minor si alicium non habens, neque Ecclesiæ deseruiens, neque aliter hanc tertiam conditionem obseruans sit immunis à tributis, esto non gaudeat priuilegio fori.* Aliqui enim affirmant, illas conditiones à Concilio posito non esse necessarias ad gaudendum immunitate à tributis, quia Concilium solum ad priuilegium fori eas requisiuit, sunt autem illa duo priuilegia diuersa, & ideo neque ab vno ad aliud argumentari, neque extensionem facere licèt contra priuilegium aliud, cum potius fauores ampliandi sint. Sed contrariam sententiam censeo veram, & in primis certum est, cõsuetudine receptum esse, vt isti clerici, qui beneficium non habent, nec Ecclesiæ deseruiunt, vel habitum, aut tonsuram non ferunt, à tributis non excusentur, vt testatur Couarr. in Practic. cap. 31. in fine, quæ consuetudo si esset contra immunitatem Ecclesiasticam, non ita præualere potuisset, vt iusta esset exactio, sicut infrà dicetur, quod tamen de hac consuetudine dici non potest, nullus enim est qui hanc consuetudinem reprehendat.

Ecclesiæ ei non inseruiat, nec studium vacet, sit à tributis exemptus. *Aliquorum opinio affirmans.* *Secunda eorum vera opinio.*

Deinde in superioribus ostensum est, non posse esse aliquem tributis subditum nisi sit iurisdictioni, & foro subiectus, quia impositio tributi quidam actus iurisdictionis est; ergo è conuerso, qui non eximitur à iurisdictione Principum, non est, cur censeatur ab eorum tributis exemptus, nisi Principes ipsum eximere velint; ergo clerici minores non gaudentes priuilegio fori ex defectu dictarum conditionum, consequenter non gaudent immunitate à tributis. Et ideo in superioribus dixi, priuilegium fori, vt distinguitur à priuilegio canonis, omnem immunitatem etiam à legibus tributorum includere, & sumitur ex cap. *Quanquam* de Censib. in 6. cum similibus. Concilium ergo absolute loquens de priuilegio fori, in hoc sensu accipiendum est. Et confirmatur: nam si isti clerici non gaudent priuilegio fori; ergo subduntur legibus ciuilibus, non solùm quoad vim directiuam, sed etiam quoad coactiuam; ergo etiam subduntur legibus tributorum: nam est eadem ratio. Est etiam magna congruentia, quia siper solã primã tõsurã v.g. sine vlla alia professione clericatus homines fierent à tributis immunes, multi tonsurarentur solùm, vt à tributis eximerentur absque vlla intentione Ecclesiastici status.

15

16 *Expenditur quædam Hispaniæ lex.*

Maior quidem mihi difficultas est, in quadam lege Hispaniæ lib. 1. Nouæ recopilat. tit. 4. l. 2. quæ declarat, clericos non habentes beneficium Ecclesiasticum, licèt obseruent cætera requisita à Concilio ad gaudendum priuilegio clericali, solùm gaudere illo quoad causas criminales, non verò quoad tributa, contributiones, & cætera omnia. Illa enim lex non potuit decretum Concilij limitare, Concilium autem absolutè dicit, hos clericos gaudere priuilegio fori, quod de se non limitatur ad causas criminales, sed omnia complectitur, quæ suprà explicuimus. Videtur ergo illa lex supponere, hos clericos minores carentes beneficio non gaudere ex vi iuris communis exemptione à tributis, & causis ciuilibus. Quod si ita esset, rectè diceretur, etiam ex vi Concilij illa non gaudere, quia Cõcilium Tridentinum non addidit priuilegium his clericis vltra ius commune, sed solùm non abstulit, quod antea habebant. At verò suppositio illa revera non est in iure fundata, quia nullibi fit talis distinctio; imò dictum cap. *Quanquam* absolutè, & generaliter loquitur, & similiter alia iura suprà citata de Iudicijs, & Foro competenti. Sed fortasse in Hispania hoc ius commune quoad hanc partem derogatum esse supponitur, vt Couarru. supra significat. Vt hoc autem admittatur, oportet, vt constet, talem consuetudinẽ, & derogationem esse à Pontifice approbatam, alioqui non censeo posse in cõscientia legem illam cum his clericis, qui gaudent iuxta Concilium priuilegio fori, obseruari.

Tan-

17 *An clerici semel hoc priuilegio priuari, illo amplius pos sint gaudere. Prima sententia.*

Tandem circa hos clericos dubitari potest, an qui semel carent priuilegio ex defectu dictarum conditionum, illo gaudere incipiant, quotiescunque formam Concilij seruare cæperint, non enim defuerunt qui hoc negauerint, quia priuilegium à superiore semel ablatum non recuperatur propria authoritate, sed oportet, vt à superiore iterum concedatur; at verò Concilium aufert priuilegium, & non restituit; ergo non recuperatur sola voluntate clerici ad statum clericalem redeuntis. Aliqui verò addiderunt, hoc maximè habere locum, quando clericus punitus est à iudice, & priuatus priuilegio, quia sine habitu clericali incedebat, quia tunc propriè videtur habere locum ratio facta. Vel etiam quia tunc maximè videtur quis renunciare priuilegio, simulque acceptatur renunciatio, postquàm verò aliquis sic renunciat priuilegio, non potest sua voluntate ad illud redire. Et pro hac sententia citatur Innoc. in cap. 1. de Apostatis.

18 *Auctoris sententia.*

Nihilominus contrarium censeo certum, quandocunque enim clericus habitum, & tonsuram deferre cœperit, & Ecclesiæ inseruire aliquo ex modis à Concilio præscriptis, incipiet gaudere priuilegio, etiam si ob aliquem defectum antea illo non gauderet. Ita docuit Abbas in simili puncto in cap. *Ioannes*, de Clericis coniugat. num. 4. Sequitur Angelus verb. *Excommunicatio*. 5. num. 23. & in hanc sententiam refert Ioannem Monachum, Archidiac. & Ioan. de Lignano. Idem Syluester Excommunicat. 6. num. 4. & Antonin. 3. part. tit. 24. cap. 2. & idem sumitur apertè ex quadam responsione congregationis Cardinalium. Cùm enim interrogatum esset, an clericus, qui beneficium Ecclesiasticum obtinuit, cui, animo vxorem ducendi, vna cum clericatu renunciauit, posteà verò mutata voluntate habitum clericalem assumpsit, & aliud beneficium obtinuit, an recuperet priuilegium clericale, respondit congregatio, affirmando, quia clericus non potest priuilegio renunciare, iuxta cap. *Si diligenti* de Foro compet. Et est responsio iuri consentanea, vt à simili sumitur ex cap. vnic. de Cleric. coniugat. in 6. & ex his, quæ Panormit. & alij notant in cap. *Clericus*. 2. de Vit. & honest. clericor. Hæc autem decisio eandem in præsenti rationem habet. Nam Concilium Tridentinum duas conditiones sub disiunctione posuit, vt vidimus, sed in priori, licèt clericus dimittens beneficium, etiam animo renunciandi clericatui, desinat gaudere priuilegio, si beneficium iterum obtineat, priuilegio gaudere incipit; ergo etiam in posteriori casu licèt clericus non beneficiatus si dimittat habitum, pro tunc non gaudeat priuilegio, postea ad formam clerici à Concilio præscriptam rediens illo gaudebit. Probatur consequentia ex paritate rationis, & quia ex priori casu ostenditur fundamentum contrariæ sententiæ nullius esse momenti.

19

Vnde argumentor in hunc modum quia vel talis clericus non recuperaret priuilegium, quia fuit omnino, & radicitus (vt sic rem explicem) illo priuatus; vel quia voluntariè illi renunciauit; neutrum autem est verum, neque probabile. Primum patet, quia nec Concilium, nec aliud decretum Canonicum talem priuationem efficit. Nam Concilium solùm dicit, *Is etiam priuilegio fori non gaudeat, nisi &c.* Vt sub his verbis ponit vtrumque membrum, illa autem verba non continent priuationem perpetuam, sed solùm conditionem requisitam ad gaudendum priuilegio. Hæc autem est vis, & natura conditionalis, vt sit ad vtrunq; parata, si vera sit, nimirum, vt non posita conditione, non sequatur effectus, & illa posita, sequitur, etiam si antea ob defectum conditionis positus non fuerit: nam hoc nihil refert, quia quod conditio tardiùs, vel citiùs impleatur, impertinens est. Præsertim quia illa mora per se non est peccaminosa, nec pro tunc priuatur clericus priuilegio in pœnam, sed ex defectu formæ, seu status, in quo se gerit vt laicus, & ideo sicut laicus incipit gaudere, si ordinetur &c. Ita & iste clericus, si habitum, & alia requisita reassumat.

Aliud membrum de renunciatione iam probatum est. Nam regulariter non est necesse, vt talis clericus habeat animum renunciandi, sed ad summum non gaudendi pro illo tempore. Et deinde licet velit, non potest renunciare priuilegio, nisi renunciando etiam clericatui, seu beneficio &c. Perseuerando autem in debito statu, vel resumendo illum, non potest non gaudere priuilegio, etiam si velit, quia non potest renunciare tali priuilegio in fauorem clericatus inducto. Vnde impertinens est, quod per sententiam fuerit talis clericus exemptione priuatus, tum quia illa sententia non inducit nouum effectum, sed declarat effectum iuris, tum etiam, quia licèt illam priuationem imponeret per modum pœnæ, illa non est absoluta, nec perpetua, sed habet inclusam conditionem, seu terminum, scilicet, *donec assumat habitum*, &c. vel *quamdiu non assumpserit*. Vnde est quasi suspensio, quæ sub illis terminis lata, cessat adueniente termino, seu cessante conditione, vt alibi diximus, & ad rem præsentem optimè probatur ex Clement. 1. de Vita, & honest. Clericor. ibi, *quamdiu præmissis institerint*, vbi id notat Glossa, & alijs iuribus confirmat

20

21 *Propter crimina posse interdùm clericum hoc priuilegio priuari.*

Atque ex his facilè declarari potest, cur in fine conclusionis addiderimus, intelligendam esse per se; quia propter crimina interdum priuantur clerici etiam in sacris, priuilegio fori, & ob nullam aliam causam solent illo priuari, neque fortasse possunt. Quia vel illud habent à iure diuino, vel ab Ecclesiastico in diuino ita fundato, vt ad illud proximè accedat; ergo nisi ipsi clerici indigni fiant tali priuilegio, non possunt illo priuari. Non fiunt autem illo indigni, nisi per crimina; ergo non possunt illo priuari, nisi in criminum pœnam, quamdiù scilicet, statum clericalem retinent. Quod addo propter clericos in minoribus. Nam illi, qui sunt in sacris ex vi solius characteris censentur esse semper in statu clericali, quamdiu per Ecclesiam non degradantur, quod non fit, nisi in pœnam aliquorum criminum. In minoribus autem clericis non sufficit character sine alijs conditionibus ad illum statum ab Ecclesia requisitis, & ideò ex defectu talium conditionum carent priuilegio sine culpa, vel pœna; illis autem stantibus nunquam illo priuantur, nisi in pœnam.

22

Et confirmatur hoc, quia hoc priuilegium non est in gratiam personæ, sed totius status clericalis; ergo nullus clericus potest illo priuari, nisi fiat illo indignus, quia id redundaret in magnum totius status clericalis incommodum, ac detrimentum. Quod autem propter crimina auferatur, redundat in commune bonum totius status, & ideò ita fieri potest, & non aliter. Et ob eandem causam, vt in superioribus attigi, etiam si hoc priuilegium datum esset clericis immediatè ab ipso Christo, possent in pœnam illo priuari, sicut priuantur homines libertate, aut vita in pœnam, etiam si dono authoris naturæ illam habuerint, quia intelligitur data quasi sub hac conditione, seu subordinatione ad commune bonum reipublicæ, & potestatis, quæ illius curam gerit: ita cum proportione de hoc priuilegio censendum est, datum nimirum esse cum subordinatione ad potestatem Ecclesiasticam, quod multò magis locum habet, si fortasse per illam proximè fuit concessum.

23 *Quibus modis pœna priuationis huius priuilegij clericis imponatur.*

Statim verò occurrebat inquirendum, quibus modis fiat hæc priuatio priuilegij in pœnã. Sed hoc magis pertinet ad tractatum de Censuris Ecclesiasticis, vbi id attigimus disp. 30. sect. 2. Resolutio autè breuiter est, regulariter nõ priuari clericũ hoc priuilegio, nisi

nisi per degradationem realem iuxta cap. *Nouimus* de Verbor. significat. & cap. 2. de Pœnis in 6. & docent Canonistæ in cap. *At si clerici.* 5. de Adulterijs, de Iudicijs, & alij, quos refert, & sequitur Couar. in Practi. cap. 31. & Ioannes Lupus tract. de Libert. Ecclesiast. part. 2. cap. 5. num. 5. Aliquando verò fieri potest hæc priuatio per solam sententiam à iudice Ecclesiastico latam, etiam si realis degradatio non fit subsequuta, quod tamen nunquam fit, nisi supposita incorrigibilitate in delictis enormibus, & seruata forma præscripta in cap. *Cum non ab homine* de Iudicijs, de quia videri possunt ibi Doctores, præsertim Panormit. num. 24. Decius. num. 8. Felin. nu. 9. & Couar. supra. num. 2. Et ratio sufficiens est, quia in pœnis inferendis sicut potestas à iure data sufficit, ita forma concessionis seruanda est; imò & restringenda, quia materia est odiosa. Tertio denique modo potest hæc pœna immediatè per ipsam legem canonicam ferri. Ad intelligendum autem, quando, & quomodo talis pœna per canonem inferatur, in primis proprietas verborum strictè obseruanda est iuxta principia generalia de lege pœnali.

24 *Priuilegia canonis, & fori clericorum in iure distingui.*

Deinde est in hac materia specialiter aduertendum, priuilegia canonis, & fori clericorum in iure canonico esse distincta, vt notauit Panormit. cap. 1. de Apostatis, ideoque attentè considerandum esse, de quo priuilegio lex loquatur, vt ab vno ad aliud non extendatur. Vnde licèt in cap. *Perpendimus*, cap. *In audientia*, cap. *Vt famæ*, cap. *Contingit*, 2. de Sentent. excommunicat. clerici ter admoniti, & nihilominus in quibusdam criminibus obdurati, priuentur ipso facto priuilegio canonis, nihilominus illa iura non sunt extendenda ad priuilegium fori, vt notaui disput. 22. de Censur. sect. 1. tum quia pœnæ sunt restringendæ, tum etiam quia, vt rectè dixit Angelus verb. *Excommunicatio.* 5. num. 23. & Sylvest. *Excommunicatio.* 6. nu. 4. priuilegium fori difficiliùs tollitur, quam canonis. Nam priuilegium canonis pure humanum est, solùm enim consistit in peculiari modo tuendi, ac defendendi incolumitatem personarum Ecclesiasticarum, grauissimam censuram contra earum percussores ferendo, & ideo idem ius canonicum, quo illa censura lata est, meritò non vult, illam habere locum in prædictis casibus, in quibus iudicat, clericos vt laicos viuentes, & post tot admonitiones pertinaces, tali defensione fieri indignos, licet non statim omni alio maiori priuilegio, & à iure diuino manante, priuentur, vel priuari mereantur.

25 Vnde si quis rectè consideret canones, qui de hoc priuilegio loquuntur, pauci sunt, qui pœnam hanc ipso facto sine alia sententia iudicis Ecclesiastici ita imponant, vt eo ipso persona clerici subiecta maneat potestati sæculari. Nam quoad clericos in sacris vix reperitur ius certum præter cap. 1. de Homicid. in 6. de quo suprà dicto loco de Censuris dictum est, & videri possunt Sylvest. verbo, *Assassyni*, quæst. 3. & 4. Iuli. Clar. lib. 5. §. vlt. num. 30. & Couar. lib. 2. Variar. cap. 20. num. 10. Alia verò iura, quæ in certis casibus priuant ipso facto clericos hoc priuilegio sub quibusdam conditionibus in cap. *Ex parte* 3. de priuileg. & cap. vnic. de Vita, & honest. clericor. in 6. & Clementin. 1. eodem tit. hæc (inquam) iura, & similia solent de clericis minoribus exponi. quod nunc examinare, & ex professo tractare nec nostri instituti est, nec vacat, sed videri ibi possunt Glossæ, & Doctores, & in cap. 1. de Apostatis, & Panormitan. in cap. *Perpendimus*, de Sentent. excommunic. & Ioan. Lupus in dicto tract. de Libert. Ecclesiast. part. 2. quæst. 5.

*

CAPVT XXVIII.

AN CLERICI CONIVGATI PRIVilegio Ecclesiasticæ exemptionis gaudeant.

HAEC quæstio tractari potest, vel de iure antiquo, vel de nouo. Prior sensus parum vtilis est, & ideo illum prætermittimus. Verisimilius autem est, priùs quam Ecclesia in hoc discrimen constitueret inter clericos coniugatos, & reliquos, Priuilegium indifferenter clericis concessum ad coniugatos pertinuisse non minus quàm ad reliquos, quia non possumus nos excludere, quos lex non excludebat, & quia priuilegium Principis amplè interpretandum est. Imò in legibus Imperatorum nonnullæ habentur, in quibus priuilegium hoc saltem ex parte ad vxores, & filios clericorum extenditur, vt videre licet in titulo de Episcop. & Cleri. in Cod. Iustiniani, & Theodosij. Relicto ergo antiquo tempore, quæstio tractatur secundum nouum ius capituli vnic. de Cleric. coniugat. in 6. quod confirmat, & aliquo modo restringit Concilium Trident. sess. 23. cap. 6. de Reformat. Statuit autem Bonifaci. in dicto capite, vt clerici coniugati præter priuilegium canonis, solùm gaudere possint priuilegio fori quoad causas criminales, siue criminaliter, siue ciuiliter tractentur. Vt autem hac immunitate gaudeant, Quatuor circa tres requirit conditiones. Prima, vt tonsuram deferant, secunda, vt incedant in habitu clericali, tertia, vt cum vnicis, & virginibus contraxerint, Concilium verò Tridentinum addidit quartam dicens. *Modo hi clerici alicuius Ecclesiæ seruitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ seruiant, & ministrent.* 1 *conditiones ad exemptionē clericorum coniugatorū requisitæ.*

Ex quo iure tres propositiones, & quasi generales regulas in hoc puncto colligimus, prima est. Nullus clericus coniugatus gaudet toto priuilegio clericali. Probatur, quia etiam si omnes dictas conditiones impleant, non sunt exempti à iudicio sæculari in integre ex causis merè ciuilibus, & consequenter nec ab obligatione legum ciuilium saltem quoad vim directiuam. neque à tributis, neque ab alijs muneribus, vel oneribus publicis, nisi per leges ciuiles expresè, & specialiter eximantur. Probatur, quia in dicto capite, concessa priùs exemptione in criminalibus, additur. *In cæteris autem eos gaudere nolumus priuilegio clericali*, vbi apertè omnia excludit, & singularis exceptio firmat regulam in contrarium. Et hæc regula communiter recepta est per Ioannem Andr. & alios expositores in dicto cap. vnic. Panormitanum, & alios in cap. *Ioannes* de Clericis coniugat. & in cap. 2. de Foro compet. & alios, quos referunt, & sequuntur Couar. in Pract. cap. 31. num. 7. Gutier. de Iuram. confirmatorio p. 1. c. 17. n. 12. Sylvest. verb. *Clericus*, 1. q. 6. Non defuerunt autem, qui contrarium docuerint, vt dicti authores referunt, sed non est res disputatione digna, vbi ius est tam clarum, & euidens. Neque rationes eorum sunt alicuius momenti, vt in dictis authoribus videri potest. Quo circa iuxta hoc decretum optimè procederet lex 2. tit. 4. lib. 1. Nouæ recopilat. suprà tacta, si de his tantùm clericis coniugatis loqueretur. 2 *Clerici coniugati non gaudent priuilegio.*

Solum circa hoc ius aduerto in illo ex intensione Pontificis solùm esse sermonem de clericis in minoribus constitutis, nam clerici in sacris vxores ducere non possunt. Duobus autem modis contingere potest, clericum maiorum ordinum esse coniugatum. Primo quia cum antea coniugem haberet, postea modo legitimo ordinatus, & à coniuge separatus est. Et tunc ille non reputatur ab Ecclesia tanquam coniugatus, sed tanquam continens viduus, quia ciuili quodam modo, & quoad vsum, & societatem matrimonij vxor illi quasi mortua est, & ideo ille perinde 3

perinde potest gaudere priuilegio clericali, ac cæteri clerici in sacris, & fortè ob eam causam de huiusmodi clericis nulla specialis mentio, vel distinctio in iure fit. Alio modo potest clericus in maiori ordine constitutus vxorem ducere per dispensationem Pontificis, & tunc ille omnino abstrahitur, & quasi deponitur à statu clericali, ideoque tanquam laicus reputatur, & gaudere non potest priuilegio clericali, nisi fortasse quoad criminale forum concurrentibus conditionibus in alijs clericis coniugatis requisitis, quia nihil aliud de illo inuenimus in iure dispositum, nisi per specialem dispensationem illi concedatur.

Quo priuilegio fruatur, qui post sacros ordines vxorē ducit.

4 Secunda propositio, seu regula est, clericum coniugatum obseruando clericalem statum modo à iure requisito, gaudere saltem exemptione à iudicio sæculari in criminalibus causis. Ita statuitur, & declaratur in dictis decretis, quæ potuisse in hoc ita disponere, satis ex superioribus constat. Vnde solum supersunt explicandæ conditiones ad prædictum statum requisitæ. Prima erat tonsura, circa quam nihil occurrit addendum, quia eodem modo debet ab his clericis deferri, quo à minoribus non coniugatis. Secunda erat habitus clericalis, circa quam notant Doctores, non oportere in hac conditione obseruari omnimodam æqualitatem, seu æquiparationem inter hos clericos coniugatos cum non coniugatis, quia licèt in vtrisq; honestior habitus in qualitate, figura, colore, & longitudine, quàm in laicis postuletur, nihilominus in illismet circumstantijs, præsertim in figura, longitudine, & materia vestium plus aliquid coniugatis permitti potest, quam non coniugatis. Sufficiet ergo, vt habitus, satis honestus sit, & secundum communem consuetudinem aptus ad discernendum clericum à laico. Hinc verò intelligi potest, non satis esse, huiusmodi clericum deferre habitum clericalem illis horis, seu temporib. quibus actu in Ecclesia ministrat, sed necessarium esse, vt in communi viuendi modo in habitu clericali incedat, quia in hoc æquiparatur clerico non coniugato.

Qualem habitum deferre debeant bi coniugati ad gaudēdā exemptione.

5 Vnde etiam infert Iulius Clar. dicto §. vlt. quæst. 36. num. 12. necessarium esse, vt huiusmodi clericus arma non portet, quam dicit esse communem opinionem cum Bertrando conf. 13. num. 5. quia arma clericis sunt prohibita. Aliquibus autem videtur, hanc prohibitionem non extendi in clericos coniugatos, quorum statum arma non dedecent. Et ideo Azor. tom. 1. lib. 13. cap. vlt. quæst. vlt. putat non repugnare huic priuilegio, arma deferre, si alias clericalis habitus retineatur. Nihilominus tamen securius est, non deferre modo præsertim à laicis consueto, ita vt exterius videri possint, quia non bene conueniunt cum clericali habitu. In his tamen circumstantijs multum valet consuetudo à Prælatis non improbata, vt generaliter notauit Couarr. in Pract. cap. 31. num. 7.

An dicti clerici, si cum armis incedāt, hoc priuilegio fruantur.

6 Tertia conditio erat, vt cum vnica tantùm, & Virgine contraxerint, bigamo enim noluit Ecclesia etiam hanc partem sui priuilegij concedere. Sed quid si clericus contrahat cum ea, quam ante matrimonium Virginem cognouerat, & corruperat, tunc enim re vera non contrahit cum Virgine; ergo nec gaudebit hanc exemptione. Sed nihilominus dico gaudere, quia, vt dixi, illud decretum solum intendit excludere bigamos: per illud autem matrimonium non contrahitur bigamia, vt in materia de Irregularitate dixi. Ratio verò est, quia in fauorem matrimonij fictione iuris quasi retro trahitur vsus eius. Vnde sicut per matrimonium subsequens proles priùs concepta legitima efficitur, ita præcedens vsus quasi matrimonialis reputatur, & consequenter matrimonium illud cum virgine contractum esse censetur. Deinde inquiri potest, quid dicendum sit si clericus cum duabus virginibus contraxit, non tamen cum vtraque consummauit, quia priùs altera illarum, vel mortua fuit, vel religionem professa est. Respondeo hoc non obstare, quin talis clericus gaudeat hac immunitate, quia per illud duplex matrimonium non contrahitur bigamia, vt in citato loco dixi. Vnde cum in dicto decreto dicitur, *Clerici, qui cum vnicis, & virginibus contraxerunt*, intelligendum est de matrimonio perfectè contracto, & consummato: nam antea non habet perfectam suam significationem, & lex illa in hac parte ad actum omnino perfectum restringenda est. Et ita in vtroq; hoc puncto sensit Glossa ibi communius approbata, licèt aliqui contradixerint.

An qui cum duabus contraxit, & cū

altera tantū consummauit exēptione gaudeat.

Denique interrogari potest circa hanc conditionem, an solam bigamiam contractam per duplex matrimonium consummatum, vel per matrimonium cum Vidua, fiat clericus incapax huius priuilegij. Et ratio dubitandi est, quia in omni bigamia est eadem ratio, & ideo extendenda videtur lex propter identitatem rationis quamuis verba non omnino conueniant, quia nimirum aliter bigamia contracta est, quàm verbis illius textus explicetur. Nihilominus censeo standum esse verbis legis, ideoque solum bigamum clericum cum altero ex illis duobus modis esse inhabilem ad hoc priuilegium. Et ideo qui contraxit cum vnica, & Virgine, quæ postea adulterium commisit, & nihilominus eam deinde maritus cognouit, licèt fiat bigamus quoad alios effectus, & interpretatiuè, nihilominus hoc priuilegium non amittit, quia conditionem à iure requisitam seruauit: nam cum vnica, & virgine contraxit, & ius illud nihil amplius quoad hanc conditionem postulat. Neque illa extensio per identitatem rationis admittenda est, tum quia sumus in materia odiosa, & stricta, qualis est diminutio, vel limitatio immunitatis Ecclesiasticæ, in huiusmodi autem materia rarò, & vix admittenda est talis extensio, nisi tanta sit vis rationis, vt contrarium iniustum, vel irrationabile appareat, quod hic dici non potest. Tum etiam quia neque identitas rationis hic inuenitur, multò enim maior defectus, vel indecentia in bigamia propria, quàm in metaphorica inuenitur. Tum denique quia Pontifex ipse non loquens generatim de bigamia, sed explicans species, & modos eius, satis indicauit, illas tantum species voluisse excludere. Et ita sentit Iulius Clar. dicta quæst. 36. num. 9. & 10. referens Aufrerium dicentem, ita sentire communiter omnes, & in facti contingentia ita fuisse decisum.

7 *Per quā bigamam clericus coniugatus exemptione priuatur.*

Quarta conditio à Concilio addita, suprà in minoribus clericis non coniugatis ferè declarata est, solum aduerto duo. Vnum est, Concilium hic definitè postulare, vt talis clericus sit ministerio Ecclesiæ ab Episcopo deputatus, & non addere alia duo membra, quæ in clericis non coniugatis posuit. Et sanè meritò: nam vnum illorum, scilicet, in seminario clericorum educari, non potest moraliter in coniugato clerico locum habere, vt per se constat. Aliud verò membrum de studio in aliqua vniuersitate de licentia Episcopi, licèt aliquo modo posset à Clerico coniugato obseruari, non tamen eo modo, quo à Concilio postulatur, addit enim *quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur*, quæ via non potest in clerico coniugato considerari, cum per matrimonium ad maiores ordines ineptus factus sit. Igitur præcisè, ac definitè necessarium est Ecclesiæ ministerium. In quo aduerto secundò, Concilium non tantùm dixisse, debere esse deputatum seruitio, vel ministerio Ecclesiæ, sed addidisse, *vt ei ministret, vel inseruiat*, quib. verbis planè significare voluit, nó satis esse, quòd habeat titulum, vel officium, si per alium tantum inseruiat, sed necessarium esse, vt per se ipsum ministret. De modo autem ministerij nihil in particulari Concilium determinat, & ideo quodlibet sufficiet, siue aliquo modo spirituale sit, vt est, ministrare in Missa, vel in choro; siue temporale, vt est,

8 *clericus cōiugatus in Vniuersitate vacās non manet exemptus.*

vt est, res Ecclesiæ custodire, mundare, & similia, quæ ad officium sacellani, aut Thesaurarij pertinent.

9 *An Clericus coniugatus mercaturam exercens hoc priuilegio fruatur. Resolutio.*

His conditionibus nonnulli quintam addunt, nimirum, vt clericus coniugatus negotiationem, seu mercaturam non exerceat. Hanc ponit Iulius Clar. dicta. quæst. 36. num. 12. & refert Alexandrum de Neuo conf. 60. dicentem ita sentire communiter Doctores cum Innocentio in cap. vlt. de Vit. & honest. cleric. in quo textu potuit hæc opinio fundari: & quia negotiationes clericis prohibitæ sunt. Hæc tamen sententia probanda non est. Primo quia cum in dict. ca. vnic. veluti constituatur forma seruanda, vt aliquis gaudere possit hoc priuilegio, nihil vltra illam requiri potest, nisi aliquo alio iure additum sit, vnde ante Concil. Trident. nihil aliud requirebatur, post illud verò requiritur quarta conditio, quia ab ipso addita est, illa vero quinta conditio nullo iure est adiuncta; ergo necessaria non est. Et ita tenet expresse Couar. dict. cap. 31. numer. 8. citans Francum, Alexandr. & Immolam, & idem tenent Summistæ Sylvest. *Clericus*. 3. quæst. 3. & ibidem Tabien. quæst. 1. Angel. *Clericus*. 9. num. 3. & alij moderni.

10

Neque ex cap. vltim. de Vit. & honest. cleri. aliud colligitur. Nam præter quam quod ibi est sermo de clericis non coniugatis, vt ex toto contextu constat, ibi solum dicitur, clericos negotiationibus vacantes non esse immunes à tributis, quibus negotiantium bona subdita esse solent. Quæ decisio pro clericis coniugatis non erat necessaria, quia, vt iam diximus, nulla immunitate à tributis gaudent. Neque etiam est verum, omnem negotiationem esse prohibitam his clericis coniugatis: nam contrarium supponitur in cap. *Ioannes* de Clericis coniugat. Præterquam quod etiam alij clerici, quibus prohibita est negotiatio, licèt peccent, illam exercendo, & quoad illa bona non gaudeant immunitate à tributis, quoad crimen, & quoad reliqua omnia non statim amittunt totum priuilegium clericale, donec per iudicem Ecclesiasticum priuentur, si incorrigibiles fiant. Et simili modo crediderim, quòd licèt clericus coniugatus Ecclesiæ seruiens, & insignia clerici portans, possit moderatam, & honestam negotiationem ad onera matrimonij sustentanda exercere, gaudendo sua immunitate in criminalibus, nihilominus non posse talem, & tantam negotiationem exercere, quæ & clericalem habitum, & ministrum non deceat, possèque per Prælatum compelli vt vel à tali negotiatione abstineat, vel insignia clerici deponat, argumento d. cap. *Ioannes*; atque ita fiet, vt ille priuetur priuilegio, vel in pœnam ab homine impositam, vel ex defectu aliarum conditionum, non verò quia noua conditio per se necessaria sit.

11 *Qui clerici coniugati omnino exemptione priuantur.*

Tertia, & vltima regula, quæ ex dictis colligitur est, multos esse clericos coniugatos, qui priuilegio fori omnino non gaudent. Probatur, quia omnes illi, quibus deest aliqua ex dictis conditionibus, trahi possunt ad iudicia sæcularia, etiam in criminalibus per prædicta iura, & iuxta sententiam omnium. Nec requiritur sententia, aut declaratio hominis, quia ex defectu conditionis, & formæ statim sequitur priuatio, vt à fortiori constat ex dictis de clericis non coniugatis. Vnde reliqua ibi dicta possunt hic applicari. Solum est aduertenda differentia inter conditionem vnici matrimonij cum Virgine, & alias: nam si illa semel desit, defectus est perpetuus, & ita reddit personam simpliciter inhabilem ad tale priuilegium, in alijs verò potest esse vicissitudo, & ideò licèt per defectum earum amittatur priuilegium, possunt iterum assumi, & redire priuilegium, si fundamentum illud vnius coniugij cum virgine non desit, quia tunc procedunt dicta de cæteris clericis, vt per se manifestum est.

A

CAPVT XXIX.

VTRVM ALIAE PERSONAE ECCLESIASTICAE ordinem nullum habentes exemptione fori integrè gaudeant.

RAtio dubitandi esse potest, quia iura canonica, quæ de hoc priuilegio fori loquuntur, solis clericis illud tribuunt; clerici autem solùm dicuntur illi, qui ordinem aliquem, vel saltem primam tonsuram acceperunt. Neque nomine clericorum solent monachi comprehendi, sed potiùs condistingui solent, vt sumitur ex Hieronym. epist. 2. & 3. Et confirmari potest ex cap. *Si quis suadente*. 17. q. 4. vbi priuilegium canonis institutum est, & quia Pontifex voluit non solis clericis, sed etiam monachis illud concedere, distinctè dixit, *In clericum, vel monachum*; ergo à contrario priuilegium fori solis clericis ordinatis conceditur, cum de illis tantum canones loquantur. Quòd si quis respondeat, inde potiùs contrarium sumi argumentum, quia principium receptum est, omnes illos gaudere priuilegio fori, qui gaudent priuilegio canonis, ex communi Doctorum sententia in ca. 2. de For. comp. & ex Sylvest. verb. *Ecclesia*. 1. num. 6. Hoc non satisfacit, quia, vt suprà diximus, maius est priuilegium fori, quam canonis; ergo quoad concessionem non valet argumentum à minori ad maius priuilegium, sicut etiam suprà dicebamus, quoad ablationem non valere argumentum, si auferatur priuilegium canonis, auferri etiam priuilegium fori.

B C D E F

1 *Ratio dubij.*

Nihilominus sine vlla dubitatione dicendum est, personas Ecclesiasticas, integrè gaudere hoc priuilegio, etiam si multæ illarum nullum ordinem habeant, vt sunt monachi antequam ordinentur, & sanctimoniales, quæ ordinis sunt incapaces. Assertio est recepta ab omnibus Doctoribus, probaturque primo ex iure canonico, destruendo simul rationem dubitandi, quæ ex falso principio procedit. Quamuis enim aliqua iura de hac immunitate sub nomine clericorum loquantur, vt cap. *Non minus*, & cap. *Aduersus*, de Immun. Eccles. nihilominus alia loquuntur sub nomine Ecclesiasticarum personarum, quod generalius est, & monachos in rigore comprehendit. Ita constat ex cap. *Quanquam* de Censib. in 6. & ex cap. *Clericis*, de Immun. Eccles. in 6. vbi etiam distinctè additur, *Ecclesiasticis personis regularibus, vel sæcularibus*. Et in antiquioribus decretis in cap. *Experientiæ*. 11. quæst. 1. declaratur, hoc priuilegium fori conuenire omni *personæ Ecclesiastici officij*, quæ vox etiam propriè conuenit monachis. Denique in ca. *De persona* eadem. 11. quæst. 1. expresse loquitur Greg. de Episcopis, clericis, & monachis, allegando Authenticam Iustiniani, quam in hoc approbat, & recipit. Accedit, quod D. Hieron. vt citatur in cap. *Duo sunt*. 12. qu. 1. distinguens duo genera Christianorum sub primo comprehendit omnes personas diuino officio, & contemplationi, & orationi mancipatas, & in eis prius numerat clericos, & monachos, quos Deo deuotos, & conuersos appellat, postea verò omnibus tribuit clericorum nomen, quia omnes sorte electi, & specialiter vocati sunt. Ita ergo accipiendum est nomen clericorum in hoc priuilegio, etiam vbi contigerit per illud tantùm nomen explicari.

2 *Assertio. Personæ Ecclesiasticæ absque vllo ordine gaudent priuilegio exemptionis. Probatur assertio, & vtriusque dubitandi soluitur.*

Secundo potest assertio etiam ex legibus ciuilibus probari. Nam in primis in lege 36. de Episcop. & cleric. in Codice Theodosiano, cùm exemptio à tributis clericis tribueretur, additur: *Quos gradus clericatus, & quod non minus est, sanctior vita defendit*. Præterea Iustinianus Imperator in Authentico de Sanctissimis Episcopis &c. collat. 9. nouel. 123. cap. 2. *Si quis contra*. 21. concedens priuilegium fori, expresse recenset

3 *Ex iure ciuili probatur secundo assertio.*

censet clericos, & monachos, & fœminas etiam Deo dicatas, vt notauit Gregor. lib. 11. epist. 54. Denique Fridericus in sua constitutione simpliciter loquitur de Ecclesiasticis personis, Ecclesijs, ac locis pijs. Vnde non est dubium, quin præter clericos Monachos etiam comprehendat, ideoque postquam dixerat: *Statuimus, vt nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad iudicium sæculare præsumat*, subdit inferius: *Statuimus, vt si quis clericis, vel personis Ecclesiasticis iustitiam denegare præsumpserit*, &c. Vbi expendo distinctionem illam, qua ne fortè dicendo tantum, *si quis clericis*, ambiguitas de restrictione verbi oriretur, addidit aliam particulam, *Vel Ecclesiasticis personis*, declarans subinde, priuilegium illud personis Ecclesiasticis datum non solis clericis propriè dictis concedi, sed omnibus diuino obsequio specialiter mancipatis, quæ nomine Ecclesiasticarum personarum significantur.

4 Et ex eisdem iuribus, & verbis constat, totum hoc priuilegium integrè concedi personis Ecclesiasticis non ordinatis, æquè ac clericis non coniugatis, seu in statu clericali integrè permanentibus. Probatur, quia Fridericus sub eodem generali nomine, eodemq; tenore verborum hanc exemptionem omnibus concedit. Atq; eodem modo illam confirmat, & approbat Honorius Papa in fine eiusdem constitutionis. Decreta etiam antiquiora nullam in hoc distinctionem faciunt inter illa duo genera personarum Ecclesiasticarum, de illisq; simpliciter asserunt, Ecclesiastica immunitate gaudere. Deniq; vtrunque est consentaneum rationi; ac subinde iuri diuino, à quo priuilegium hoc emanat. Nam clericis ordinatis ideo hoc priuilegium cõceditur, quia peculiari modo diuinis obsequijs dicati sunt, ideòq; ad familiam Christi specialiter pertinent, & à curis, ac perturbationibus sæcularib. debent esse abstracti, hæc autem ratio non minus in monachis, & similib. personis militat, etiam si per propriam ordinationem sacratæ nõ sint, quia hic modus peculiaris consecrationis nõ est cur ad priuilegium exigatur, quando principalis ratio, & quasi proxima, & fundamentum priuilegij alia via comparatur. Quod fundamentum, vt dixi, est peculiaris dedicatio ad diuinum obsequium, vt notauit Innoc. in c. 1. de Maiorit. & obedientia. Sicut etiã inter ipsos clericos, qui primam tantùm tonsuram acceperunt re vera non sunt ordinati sacramentali ordine à Christo instituto, & nihilominus quia per illã cæremoniam ab Ecclesia institutam peculiari modo dicantur, & consecrantur diuino cultui, ex illa parte id sufficit ad priuilegium exemptionis; ergo eadem, vel maiori ratione religiosa professio, vel quilibet alius modus ab Ecclesia probatus, quo persona diuino cultui peculiariter consecratur, ad exemptionem sufficit; omnes autem personæ, quæ simpliciter Ecclesiasticæ vocantur aliquo simili modo, vel ritu Ecclesiastico Deo dicantur, & cõsecrantur; ergo & speciali modo pertinent ad familiam Christi, & eiusdẽ exemptionis debent esse participes. Et hinc D. Thom. in 2. d. 44. q. 2. ar. 2. ad 1. & ibi D. Bonau. Rich. & alij dicunt, sub illis Christi verbis: *Ergo liberi sunt filij*, non tantùm clericos ordinatos, sed etiam omnes, qui Apostolicam vitam sequuntur, omnia propter Christum relinquentes, comprehendi.

Ratione suadetur assertio.

5 Iam verò interrogandum occurrit, quæ personæ non ordinatæ sub hoc genere personarum Ecclesiasticarum venire, aut comprehendi censeantur. In quo puncto in primis certum est, omnes religiosos, & religiosas professas sub hoc membro comprehendi, siue monachorum, siue regularium, siue religiosorum nomine significentur, & in hoc omnes Doctores conueniunt, quia est in iure manifestum. Vnde rectè dixit Panormit. in ca. 2. de Foro compet. duo maximè eximere personam à potestate sæculari, ordinationem, & professionem. Addendum verò nunc

Quæ personæ non ordinatæ Ecclesiasticæ censeantur.

A est per professionem intelligendam esse, non solum illam, quæ fit per vota solennia, sed etiam illam, quæ fit per vota simplicia ab Ecclesia approbata, & recepta ad constituendum verum, ac proprium religiosum statum: nam sicut tales personæ sunt veri religiosi, ita æquè primò, ac per se gaudent eadem Ecclesiastica immunitate. Deinde verò extenditur idem priuilegium per quandam participationem, & extensionem ad nouitios religionum, quia sicut in ordine clericorum prima tonsura initiati habitum clericalem ferentes, & Ecclesiæ seruientes inter personas Deo dicatas computari incipiunt, ita etiam nouitius religionis, quatenus incipit esse in via ad statum religionis, eiusque insignia defert, eiq; inseruit, B inter religiosas personas, quoad gaudendum priuilegio computatur.

Professio vota simplici emissa sufficit ad gaudendum hoc priuilegio.

Nouitij etiã religionum eadem fruũtur exemptione.

6 Vltra hos verò sunt alij status, vel modi viuendi Ecclesiastici, qui licèt per tria vota perfectionis non constituantur, sed per vnum, aut aliud, vel per aliquem traditionis, oblationis, aut congregationis modum ab Ecclesia approbatum, sufficere censentur ad gaudendum hoc priuilegio, vel ex speciali concessione, vel quia generalis consuetudo ita interpretata est decreta, quæ personis Ecclesiasticis hoc priuilegium concedunt. Et sub hoc membro continentur illi qui dicuntur *conuersi laici* in aliquibus religionibus iuxta cap. *Non dubium*, de Sentent. excommunic. Item aliqui Eremitæ, & alij, quos latè enumerat Sylvest. verb. *Ecclesia*. 1. qu. 5. per totam, & Panormit. in dict. cap. de Foro compet. & Archid. in cap. *Duo sunt*. 12. q. 1. C

Alij status Ecclesiastici, qui absque voto hãc exemptionem inducunt.

7 Vt autem generalem regulam constituamus, censeo illam veram, quam in principio argumentando tetigimus, nimirum, omnes personas, quæ gaudent priuilegio canonis, gaudere etiam priuilegio fori. Quę regula intelligenda est per se, & ex vi iuris communis, nam in pœnam poterit quis vno priuilegio priuari, licèt non priuetur alio, & ex iure speciali D poterit aliquibus personis vnum priuilegium sine alio communicari, per se tamen loquendo, omnes personæ, quæ ad vnum priuilegium sufficientem Ecclesiasticum statum habere censentur, habent etiam ad aliud, quia si persona defenditur ab Ecclesia speciali priuilegio canonis, ideo est, quia supponitur esse sacra, & sufficienter Deo dicata, ac deniq; Ecclesiastica, ergo consequenter gaudent communi iure immunitatis quoad forum. Quin potiùs licet priuilegium fori maius, magisq; ex iure diuino esse censeatur, nihilominus priùs, & intimiùs (vt sic dicam) conuenit personis Ecclesiasticis, eo ipso, quòd sacrę, & Deo dicatæ sunt, quam priuilegium canonis: nam E illud est quasi per se coniunctum cum tali statu, illique valde conueniens, hoc verò solùm quasi per accidens ad coercendam hominum audaciam, aut malitiam, quia, vt dixi, solum consistit in speciali censura contra percussores clericorum lata. Et ideo etiam antiquius est priuilegium fori, quàm canonis, ac subinde magis necessarium est, vt omnes, qui gaudent priuilegio canonis, gaudeant etiam priuilegio fori, quam è conuerso. De facto tamen eisdem personis est vtrumque priuilegium concessum, & ideo, quæ de his personis dixi alibi, tractando de priuilegio canonis, hic etiam sufficiunt.

Gaudentes priuilegio canonis, etiam hoc priuilegio fruuntur.

Vide Tom. 5. disp. 22 sect. 1. num. 19. & seq.

8 Inter has autem personas possumus quoddam F discrimen notare per analogiam & proportionem ad personas clericorum, nam quædam sunt habentes statum Ecclesiasticum omnino immutabilem, vt sunt religiosi solenniter professi; aliæ verò habent statum, aut modum vitæ mutabilem, quia in aliquo casu possunt ad laicorum statum transire. Priores comparamus clericis in sacris, quia absolutè, & ex vi professionis semper gaudent hoc priuilegio absq; alia conditione, vel limitatione, quamdiu illo non priuantur. Vnde licèt religiosus professus habitum deferat, & apostata tanquam laicus incedat, semper gaudet, retinet.

Religiosus professus habitũ laicum deferens exemptionem

hoc

hoc priuilegio, quia semper est persona sacra, & religiosa, cui simpliciter concessum est. Quod si obijciatur ca. 1. de Apostatis. Respondemus in primis, ibi non esse sermonem de religiosis, sed de clericis, qui *relicto clericali habitu in apostasia tanquam laici conuersantur*. Deinde ibi non videntur apostatæ simpliciter priuilegio priuari: nam solum dicitur. *Si in criminibus comprehensi teneantur, per censuram Ecclesiasticam non præcipimus liberari*, vbi Glossa aduertit, solùm iuberi, vt iudices sæculares non cogantur per censuras iurisdictionem suam in apostatas non exercere, non tamen dari eis facultatem illam exercendi: hæc enim duo diuersa sunt, & in materia pœnali non est ab vno ad aliud facienda extensio. Vnde Panormit. ibi, & in cap. *Perpendimus* de Sentent. excomm. satis probabiliter dixit, in eo casu non priuilegium fori, sed tantùm canonis amitti, cui sententiæ fauent Paulus. 4. constitut. 29. contra Apostatas, & Pius quartus constit. 8. simili, quæ in Bullario Romano videri possunt. Denique licèt ibi esset ipso iure facta priuatio illius priuilegij, illa esset quædam pœna, quæ non nisi post sufficientem monitionem, & incorrigibilitatem incurretur, vt eadem Glossa notauit. Per se ergo, & ex vi iuris communis professi semper gaudent hoc priuilegio. Aliæ verò personæ Ecclesiasticæ infrà hunc gradum constitutæ habent statum mutabilem aliquo modo, & ideo licèt quamdiu in statu permanent, priuilegio fruantur, statim ac statum deserunt illud amittunt, non in pœnam, sed quia fundamentum priuilegij iam in eis non inuenitur, ideoque huiusmodi personas cum clericis minoribus comparauimus. Sicque nouitius statim, ac habitum dimittit, priuilegio non gaudet; imò & religiosus, qui simplicia tantum vota emiserat, si absolutus à votis dimittatur, priuilegium simul amittit. Idemque à fortiori est in omnibus alijs.

Qui ante professionem religionē de seris priuilegiū amittit.

9 *Ecclesiis, vel clericis seruientes an hoc priuilegio gaudeāt.*

Vltimò verò dubitari hoc loco potest, an sub his personis Ecclesiasticis, quæ hoc priuilegio gaudent, comprehendantur omnes in quocunque munere Ecclesiæ seruientes, etiam si ordinati non sint. Idemque dubitari solet de familiaribus Episcoporum, imò & de ijs, qui cæteris clericis inseruiunt. In quo puncto Glossa in cap. 2. de Foro compet. verb. *Minores*, per illud verbum intelligit Ecclesiæ seruientes, quos dicit eodem priuilegio gaudere. Videturque intelligere etiam si ordinati non sint, tum quia in textu *Minores* illi, seu *Iuniores* (vt legitur in cap. 2. 11. quæst. 1.) distinguuntur ab omnibus clericis, verba enim sunt: *Neq; presbyterum, neq; diaconum, aut clericum vllum aut minorem Ecclesiæ*, tum etiam quia Gloss. illa citat cap. *Ecclesiarum*. 12. q. 2. in quo sine dubio est sermo de communibus seruis, non solum Ecclesiarum, sed etiam Episcoporum, & omnium clericorum.

10 *Resolutio negans.*

Dicendum nihilominus est, nullos Ecclesiæ ministros, aut seruos gaudere priuilegio fori, quantum est ex vi iuris communis. Ita docent Panormit. Felin. & alij in dict. cap. 2. de Foro compet. & Archidiac. in dict. cap. *Ecclesiarum*, & in cap. *Clericum*. 11. q. 1. & Iul. Clar. dict. §. vlt. quæst. 35. num. 18. & 19. Et sufficienter probatur, quia nullo iure cauetur. Item post Concil. Trident. est euidens, quia in clericis etiam minoribus seruientibus Ecclesiæ requirit habitum, & tonsuram ad hoc priuilegium; ergò multò minus poterit laicus seruiens Ecclesiæ tali priuilegio frui, cum neque tonsuram deferre possit. Vnde idem est longè certius de seruis, seu famulis clericorum. De familia autem Episcopi dicunt prædicti authores, esse consuetudine receptum, vt à iudicis sæcularibus sint exempti, & omnes ad hoc allegant cap. vlt. de Offic. Archidiac. quod certè mihi non probatur. Consuetudini ergo standum esse censeo, & vbi de vsu contrarium non constiterit, à communi sententia non est recedendum: nam talis consuetudo valde rationabilis est in fauorem Episcopalis iurisdictionis, & authoritatis. Et ob eandem causam eadem consuetudo, & cum maiori amplitudine circa familiares Cardinalium seruatur, vt ex Iulio Claro suprà numero vigesimo septimo, & ex alijs authoribus, qui de Cardinalibus scripserunt, intelligi potest.

Quid de familiaribus Episcoporū.

Neque in contrarium obstat dictum cap. 2. de Foro compet. in verb. *Minores*, seu *Iuniores*. Nam in primis Hostiensis ibi per minores intelligit Monachos, & conuersos, quæ expositio non potest accommodari lectioni, quæ habet *Iuniores*. Sed quia illa non sine causa permissa est à Gregorio 9. intelligere possumus, vocem, *Minores*, ab ipso vsurpatam esse, non vt significet minores ætate, sed minore gradu. Et ita sub illa voce comprehendentur omnes personæ Ecclesiasticæ nullum ordinem habentes, quia in ordine Hierarchico sunt in inferiori gradu, iuxta caput. *A Subdiacono*. 93. dist. cum similibus. Secundò dicere possumus, per minores intelligi scholares (vt ait Glossa, & latè exponit Panormitanus) vel iuuenes destinati ministerio, vel seruitio Ecclesiæ, non tamen omnino laici, sed habentes saltem primam tonsuram. Atque ita nomine clerici in illo textu solum intelliget ille, qui aliquo vero ordine insignitus est, vt habeat locum illa disiunctio, *aut vllum clericum, aut minorem Ecclesiæ*. Neque hic vlus illius vocis est nouus, nam olim inter clericos solùm vsque ad ostiarios numerabantur, vt patet in cap. 1. 77. dist. & in dict. cap. *A subdiacono*.

Neque etiam obstat dictum cap. *Ecclesiarum seruos*, quia ibi non agitur de quibuscunque famulis conductitijs, aut liberis seruientibus, sed de seruis perpetuis, vt ibi Glossa, & alij exponunt, & Panorm. ac Felin. in dicto cap. 2. de Foro compet. Dicuntur autem ibi à Concilio Toletan. 3. huiusmodi serui esse immunes ab oneribus, & officijs tam publicis, quàm priuatis laicorum, quia inuitis dominis, non possunt cogi. Quod quidem quantum attinet ad priuata obsequia laicorum, pertinet ad rationem iustitiæ, nullus enim priuatus iustè potest alienum seruum ad sibi seruiendum compellere. Altera verò pars de publicis oneribus, & officijs ad exemptionem à tributis reducitur, iuxta superiùs declarata. Nam mancipia Ecclesiarum, imò & clericorum à tributis exempta sunt in l. 1. Cod. de Episcop. & Clericis. Et ratio est, quia serui, seu mancipia inter bona Domini computantur, & ideò sicut alia bona clericorum exempta sunt à tributis, vel sicut domus, equi, aut boues clericorum à publicis oneribus exempta sunt, ita etiam serui. Vnde hæc exemptio non est per se, & directè concessa personis seruorum, sed redundat ex priuilegio clericis concesso, quia onus impositum seruo, redundaret in dominum, & ita esset contra immunitatem eius.

11 *Ad cap. Ecclesiæ.*

CAPVT XXX.

AN PRIVILEGIVM IMMVNITATIS clericorum ab aliquo homine reuocari possit?

1 HActenus explicuimus omnes causas, & effectus huius immunitatis Ecclesiasticæ, de qua tractamus, nunc de proprietatibus eius consequenter dicendum videbatur. Si quis tamen diligenter consideret, quæ inter explicandas causas, & effectus huius priuilegij dicta sunt, ferè omnes proprietates, quæ in illo spectari possunt, declaratas inueniet. Nam in primis ex dictis colligitur, priuilegium hoc esse diuinum, id est, à Deo ipso concessum, quæ magna dignitas est talis priuilegij, à qua consequenter habet, vt & immutabile in vniuersali, seu simpliciter sit, & vt etiam ex parte non sine magna, & iusta causa possit auferri, vt in cap. 28. attigimus, & paulò post amplius declarabimus. Deinde habemus

mus ex dictis, priuilegium hoc non esse iuris priuati, sed publici, non solùm quia in publicam vtilitatem vniuersalis Ecclesiæ latum est, sed etiam quia vtrique iuri Canonico, & ciuili insertum est, ideòq; eminentiori modo habet prærogatiuas omnes, quas priuilegia in corpore iuris inserta habere solent, vt ex generali doctrina de Priuilegijs suppono. Tertiò haberi potest ex dictis, priuilegium hoc maximè fauorabile esse, quia in primis fauet religioni, cuius ius summo fauore dignum est, vt sensit etiam Iureconsultus in l. *Sunt personæ*. ff. de Religios. & sumptib. funer. Ac deinde non in fauorem vnius loci, vel prouinciæ, aut gentis, sed ob augmentum, & decentiam diuini cultus, & honorem totius Ecclesiastici status institutum est. Vnde etiam fit, regulas omnes, quę de ampliandis fauoribus in iure latæ sunt, ad hoc priuilegium applicandas esse. Quartò denique concludi potest ex dictis, priuilegium hoc non personale tantùm esse, sed reale, quia non intuitu alicuius personæ, sed dignitatis Pontificiæ, & totius clericatus concessum est, vt dicitur in cap. *Si diligenti*, de Foro compet. & ex dictis de finali causa, & ratione huius priuilegij est manifestum. Vnde tandem fit, hoc priuilegium non extingui cum persona, sed de se perpetuum esse, nam hæc proprietas priuilegia realia comitari solet.

2 De his ergo proprietatibus, vltima excepta, nihil nobis dicendum superest, sed iuxta generalia principia, & doctrinas de priuilegijs explicandæ, & amplificandæ sunt. Solùm circa perpetuitatem declarandum superest, quanta illa sit, & an omnem modum amissionis, ablationis, seu defitionis talis priuilegij excludat. Perpetuum enim dicitur, quod incorruptibile est, vel si latiùs loquamur, quod saltem non corrumpitur, nec finem habet. Si ergo hoc priuilegium perpetuum est, amitti non poterit, nec auferri. In contrarium verò est, quia multa sunt alia priuilegia, quæ dicuntur perpetua, & definere possunt. Solet enim priuilegium dici perpetuũ, quoties vel adhæret rei de se perpetuæ, vt fundo, vel, si adhæret personæ, non cum vita illius extinguitur, sed ei perpetuò succedi potest, & nihilominus talia priuilegia tolli, vel amitti possunt, per superiorem potestatem, aut efficacem aliquam voluntatem, actionémve contrariam. Videndum itaq; superest, an maior sit huius priuilegij perpetuitas, quod non potest commodius fieri, quam explicando, an modus aliquis, quo solent priuilegia definere, in hoc priuilegio immunitatis locum habeat.

3 *Tres modi priuilegium amittendi.* Oportet ergo præ oculis habere modos, quibus priuilegia destruuntur, quos nũc ad tres reducimus, qui sunt renuntiatio priuilegij, renunciatio eiusdem, vsus ei contrarius, & per hos modos breuiter discurremus. Nam duo alij modi corruptionis, qui in alijs priuilegijs humanis accidere solent, scilicet, vel per lapsum temporis, vel per mortem concedentis, per se notum est, in hoc priuilegium cadere non posse. Alius verò modus, qui dici solet per abusum, quomodo circa hoc priuilegium interdum contingat, in superioribus capitibus explicatum est, declarando, quomodo priuatio clericalis priuilegij interdum sit pœna. Et ad hoc etiam reducitur, quod per mutationem clericalis status, interdum etiam amittitur, vel minuitur modis suprà declaratis: quamuis ille non tam propriè dicatur abusus, quàm mutatio subiecti, per quam interdum solet accidens corrumpi. Et ita posset etiam illa priuatio reduci ad cessationem causæ intrinsecæ, à qua hoc priuilegium pendet, qui est alius modus, quo solent priuilegia amitti, & illa tantùm consideratione potest in hoc priuilegio locum habere. His igitur prætermissis.

Priuilegium hoc immunitatis per lapsum temporis, vel mortem concedentis amitti nequit.

4 *Prima conclusio.* Dico primò. Hoc priuilegium ita est perpetuum, vt etiam irreuocabile sit. Assertio est communis, & certa, quæ in hunc modum breuiter ostenditur, quia priuilegium hoc, maximè à Deo, vel à Rege temporali, seu Imperatore, vel à Pontifice Summo reuocari posset, in nullo enim alio talis potestas cum aliquo apparenti fundamento cogitari potest. Probatur ergo assertio de singulis. Et in primis de Deo nulla est controuersia, nam si velit, potest omnia mutare: si autem velle, repugnet promissioni eius, non volet, neque potest velle in sensu composito, vt aiunt, quia non potest esse infidelis, neq; se ipsum negare. Ita ergo in præsenti priuilegium hoc, quatenus ab ipso Deo concessum est, simpliciter irreuocabile ab ipso dici potest. Quia si datum est positiuo iure diuino legis gratiæ, sicut ipsa lex gratiæ data est simpliciter, & cum absoluta promissione perpetuitatis, vtique quamdiu mundus durauerit, ita etiam hoc ius immunitatis Ecclesiasticæ ex absoluta voluntate Dei, & sine vlla subintellecta conditione perpetuò stabilitum est, quamdiu sacerdotium nouæ legis cum mundo durauerit; ergo eodem modo est hoc priuilegium perpetuum, & irreuocabile. Nam in fine mundi non reuocabitur, sed cessante illius fundamento, ac fine, seu necessitate, consequenter cessabit. Si verò priuilegium hoc est à Deo solùm ratione iuris naturalis, sic magis ab intrinseco irreuocabile erit, quamdiu fundamentum, & materia illius iuris eadem perdurauerint, vt per se clarum est, & in lib. .. de Legib. latiùs est declaratum. *Probatur assertio.*

5 *An per Regem possit hoc reuocari. Ratio dubitandi.* De secundo puncto, scilicet, de Regibus temporalibus, maior est difficultas. Primò quia ius hoc tum ea ratione humanum, & ciuile est, ac subinde mutabile. Secundò quia vnaquæq; res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur; ergo quatenus hoc priuilegium per voluntatem Regis constitutum est, retractari potest, quia voluntas Regis terreni mutabilis est. Hæc est enim ratio, ob quam cætera priuilegia humana reuocari possunt. Tertiò quia sæpe Imperatores talia priuilegia reuocarunt, vt sumitur ex Gratiano in cap. *Omnes*. §. *Hæc si quis*. 11. q. 1. & ex l. *Si quis curialis*. C. de Episcop. & Cleri. & ex l. *Nemines*, & ex Authentica *Quas actiones*. C. de Sacrosanct. Eccles. & ex l. 19. de Episcop. & Cleric. in Codice Theodosiano. Et in legibus particularium regnorum inueniuntur leges similes, quibus exemptio clericorum saltem ex parte reuocatur. Quartò, quia Reges, qui nunc viuunt, dicere possunt, non concessisse tale priuilegium, neque suos antecessores, ipsorum iuri præiudicare potuisse.

6 *Probatur conclusio quoad Reges.* Nihilominus dicendum est, priuilegium hoc non posse per voluntatem temporalium Principum reuocari. Quæ assertio duobus modis potest intelligi. Primò non posse reuocari absolutè, & simpliciter, etiam quatenus per Dei, vel Pontificum voluntatem constitutum est: alio modo intelligi potest, etiam quoad id, in quo potuit à Principibus temporalibus propria voluntate donari. In priori sensu assertio quoad Deum per se nota est, quoad Pontifices autem sequitur euidenter ex principijs suprà positis, neque alia probatione indiget. Nam Pontifex potest clericos eximere à sæculari potestate, etiam temporalibus Principibus inuitis, vt in superioribus ostensum est; ergo non possunt Reges reuocare priuilegium fori, seu exemptionis vt à Pontificibus concessum, quia sicut tale priuilegium non pendet à voluntatibus Principum in fieri, ita neque in duratione seu conseruatione sua. Et confirmatur, quia non potest inferior mutare ius à superiore statutum, vel auferre ius à superiore concessum; sed Pontifices constituerunt hoc ius immunitatis, quatenus sunt superiores Regibus temporalibus, saltem in directè per spiritualem potestatem, vt in superioribus declaratum est; ergo non potest per Principes temporales mutari. Neque contra hanc partem procedunt rationes dubitandi, neque in illa est controuersia inter authores catholicos, nisi fortè apud illos, qui negant, posse Pontificem propria potestate, & sine consensu Principum exemptionem concedere. Sed illa senten-

tia, & paucorum est, & certè improbabilis, & quod ad rem maximè spectat, illimet authores, qui illam defendunt, nihilominus docent, exemptionem semel introductam cum consensu Regum non posse ab eisdem Regibus reuocari, in hoc verò loquuntur iuxta posteriorem sensum assertionis à nobis propositum.

7 Procedit ergo assertio etiam in secundo sensu suprà explicato, qui sensus per hanc conditionalem declaratur, nam licèt hoc priuilegium haberet suam primam originem à liberali donatione Principum, non posset per illos reuocari. Vel aliter exponi potest, si Pontifex intelligatur nunc habere triplicem modum iurisdictionis super clericos in criminalibus, & ciuilibus. Vnus modus est iurisdictionis temporalis directè datæ à Deo in tales personas. Alius est iurisdictionis indirectæ ex vi potestatis spiritualis, & has, sine dubio non habet à Regibus, & ita neque auferri per eos possunt. Tertius modus est iurisdictionis directæ in tali materia circa tales personas, quam habuerint Pontifices ex donatione Imperatorum, quia vt suprà dicebamus, eximendo clericos à sua directa iurisdictione temporali, non reliquerunt eos exleges, seu absque directo superiore in temporalibus, sed iurisdictionem suam directam in Pontifices transtulerunt. Dicimus ergo, etiam hoc posito, non posse Principes ampliùs auferre iurisdictionem illam à Pontificibus, & sibi iterum eam resumere, præsertim ipsis Pontificibus non consentientibus. Quæ sententia sic exposita communis est. Innocentius in cap. *Nouit* de Iudicijs, & ibi Panormit. num. 23. Felinus ca. 1. de Constitution. num. 19. vers. *Alius casus*, & in capite primo de Prob. & hi duo plures alios antiquos referunt. Idem Hostiens. in dicto cap. *Nouit*. num. 1. & in sum. tit. de Immun. Ecclesiar. §. *Sed nec illa*, & Aluarus Pelagius lib. 1. de Planct. Eccles. cap. 44. & Driedo lib. 1. de Libert. Christian. cap. 9. Couarr. in Pract. cap. 31. Soto in 4. d. 25. quæst. 2. art. 2. conclus. 6. Molin. 1. tom. de Iustit. disputation. 31. Et idem defendunt Medina, & Pelacius, etiam si alias existimauerint exemptionem hanc non aliter, quàm ex donatione Principum incepisse.

8 Fundatur autem primo hæc veritas in quodam principio in materia de Priuilegijs recepto, quòd priuilegium vel superiori, vel æquali concessum non potest amplius à concedente reuocari. Et ratio est, quia tale priuilegium transit in pactum, vt Iuristæ aiunt, pacta autem seruanda sunt, etiam cum subditis, nedum cum non subditis, & multò magis cum superioribus. Vel aliter magis rationem explicando, licèt in idem redeat, quia talis concessio potiùs est donatio quædam, quàm priuilegium, vt rectè dixit Driedo: est enim, vt paulò antea explicaui, collatio quædam iurisdictionis propriæ, à se illam auferendo, & in alium transferendo, hæc autem quædam donatio est. Item quia inferior non potest dare priuilegium superiori, quasi exercendo iurisdictionem in ipsum, cùm illam non habeat; ergo solum potest id facere, paciscendo, vel donando. Talis autem donatio completa, & acceptata non potest à donante reuocari, inuito donatario, quia post donationem iam non est dominus rei qui eam donauit, sed cui donata est; nemo autem potest auferre rem alterius, inuito Domino. Et confirmatur, ac declaratur, quia si Princeps posset talem donationem reuocare, aut esset per dominium, seu potestatem dominatiuam, aut per potestatem iurisdictionis, nullus enim alius titulus iustus cogitari potest. Non per dominium, nam hoc amissum est per donationem, seu talis priuilegij concessionem, præcedens autem dominium, quod iam non est, nullam potestatem, seu facultatem moralem relinquit. Supponimus enim, priuilegium esse simpliciter, & absolutè concessum absque aliqua cõditione, nam si illam includeret, ob eam non impletam posset interdum prior dominus A donationem reuocare, quia tunc non omnino priori dominio renunciauit; hic autem non ita est, sed exemptio purè, & absolutè facta est; ergo propter præcedens dominium reuocari non potest. Neque etiam per potestatem iurisdictionis, quia nullam habet vnus Princeps in suum superiorem, cum in æqualem sibi non subditum illam non habeat, vt ex terminis ipsis constat, ergo.

Hoc autem principum, quod sine dubio euidens 9
est, rectè in præsenti puncto applicatur, quia hoc priuilegium, vt manare intelligitur à Principib. sæcularibus, datum est non subditis, & superiori, nimirum, clericis, Ecclesijs, Pontifici. Dices, imò datum *Exaſia.*
B esse subditis, si supponamus, ante concessionem hanc clericos fuisse Principibus laicis subditos in temporalibus. Respondeo, priuilegium hoc partim intelli- *Reſoluitur.*
gi concessum omnibus Ecclesiasticis inferiorib. Pontifice, partim ipsi summo Pontifici; illis, à sua iurisdictione eos eximendo, huic, supremam iurisdictionem temporalem directam circa tales personas in ipsum transferendo. Iuxta priorem ergo considerationem fateor, priuilegium concessum esse subditis. At per eandemmet concessionem facti sunt non subditi, & consequenter priuilegium factum est irreuocabile à concedente, quia iam inest non subditis, & ideo nec per potestatem iurisdictionis potest laicus
C illos accepto beneficio priuare, quia nec dominium habet in homines liberos, nec iurisdictionem in non subditos, nec iustum titulum illam iterum vsurpandi. Iuxta posteriorem autem considerationem priuilegium hoc datum est non subdito, etiam antecedenter, quia Pontifex iure diuino est exemptus, ac proinde non subditus Imperatori; imò etiam superiori datum est, quia Pontifex superior est Imperatore, etiam in temporalibus saltem indirectè, & illi vt supremo Pastori data est etiam directa iurisdictio temporalis in clerum, vt commodius, & liberius (vt ita dicam) illum in temporalibus regere, & iudicare possit. Et ita generale illud principium omnibus mo-
D dis respectu Pontificis locum habet.

Addo denique non solum in hoc priuilegio, sed 10
etiam in omnibus alijs concessis Ecclesiæ non tan- *Nullũ priuilegium Ecclesiæ semel concessum, per seculorem potest eam reuocari potest.*
tùm ab Imperatoribus, vel Regibus, sed etiam à quibuscunque Principibus, vel dominis, habere locum principium illud sub terminis vniuersalioribus propositum, quòd nullum priuilegium per quamcunque potestatem temporalem, etiam non supremam concessum Ecclesiæ, & ab ipsa acceptatum, potest per ciuilem potestatem, etiam supremam, reuocari. Ratio est fundata in alio iure diuino, quo omnia bona Ecclesiastica à iurisdictione, omnique potestate sæ-
E cularium Principum exempta sunt, vt suprà ostensum est. Ex quo principio ita colligimus, priuilegium Ecclesiæ concessum eo ipso, quòd incipiat esse in possessione, & vsu Ecclesiæ, inter bona Ecclesiastica computatur, vt per se constat; sed Princeps sæcularis, quantumuis supremus, nullam habet potestatem super Ecclesiastica bona; ergo nec potest quidquam circà priuilegia Ecclesiastica disponere; ergo multò minus illa reuocare, aut auferre poterit.

Et declaratur per comparationem ad alia bona 11
magis sensibilia, & corporalia: nam si Imperator fundum, castrum, aut ciuitatem Ecclesiæ donauit, non
F potest amplius illam auferre, sicut non potuit Constantin. donationem Vrbis, & aliorum bonorum, quã Ecclesiæ Romanæ fecit, reuocare, aut circa bona illa quidquam disponere, quia iam Ecclesiastica facta sunt; ergo similiter non potuit iurisdictionem, quam semel in Ecclesiam transtulit, reuocare, aut iterum vsurpare. Atque hoc exemplo vtitur Hostiensis in hac materia, optimeque rem declarat: nam licèt iurisdictio, etiam temporalis, magis incorporea sit, quàm prædium v. g. nihilominus inter bona humana, & temporalia computatur, sicut etiam aliæ actiones,

vel

vel iura, quæ à Iurisperitis bona incorporalia nominantur; ergo postquàm hæc transeunt in dominium Ecclesiæ, omnia fiunt Ecclesiastica bona, ac proinde eandem immunitatem iure diuino induunt. Vnde idem exemplum, & argumentum sumi potest ex bonis à quocunque inferiori, seu priuato domino Ecclesiæ donatis: nam postquàm donatio habuit suum effectum, nec donator, nec Rex temporalis potest illa contingere, nisi quantum iura canonica disponunt, vel si quid fuerit in donatione ipsa per aliquod iustum pactum exceptum; ergo idem est de quocunque priuilegio in temporalibus Ecclesiæ dato à potestate ciuili, nam cuiuscunque gradus, vel ordinis sit, reuocari non potest per quamcunque potestatem ciuilem, licèt superior, vel etiam suprema sit.

12 *Priuilegium immunitatis limitari quidem per ciuilè potestatem possè.*

Ampliatur præterea quoad hanc partem regula posita, quia non solùm non potest hoc priuilegium fori per potestatem ciuilem integrè reuocari, verùm etiam neque ex parte diminui, vel limitari, aut restringi; imò nec restrictè declarari cum legis authoritate potest virtute solius ciuilis potestatis. Hoc totum sequitur euidenter ex rationibus, & discursibus factis, quia circa bona, & iura Ecclesiastica nulla est laicis tributa potestas; ergo similiter circa priuilegium Ecclesiasticum, vel iurisdictionem semel in Ecclesiam translatam nihil potest sæcularis potestas; ergo nec diminuere, nec restringere, nec legem aliquam, quæ in præiudicium illius cedat, ferre potest. Et similiter potest hic illud principium applicari, quòd nullus, etiam si sit Rex supremus, potest minuere, vel aliquid disponere de priuilegijs, vel iuribus alterius Regis, vel cuiuscunque personæ non subditæ, à quocunque, vel quocunque iusto titulo illa habuerit, ac possideat; ergo maiori ratione non possunt Principes temporales circa priuilegium fori aliquid disponere, quod in illius præiudicium cedat. Talis autem est cuiuscunque legis editio, priuilegij concessio, iurisdictionis delegatio, seu commissio, aut executionis iussio, quibus Ecclesiastica libertas minuatur, aut restringatur, & ideò omnes huiusmodi actiones, vel dispositiones non solùm illicitæ, sed etiam irritæ sunt, & inanes, quia sine legitima potestate fiunt. Et ideò vt tales declarantur in Authentica *Cassa*, C. de Sacrosanct. Eccles. & cap. *Nouerit*, & ca. *Grauem*, de Sentent. excommunicat. & alijs multis sub titulis de Immunit. Ecclesiar. de Foro comp. & de Iudicijs.

13 *Obiectio.*

Dices. Posset Rex temporalis in suo regno Ecclesiasticam libertatem augere, concedendo v. g. vt clerici non solùm vt rei, sed etiam vt actores possint laicos ad tribunal Ecclesiasticum vocare; vel etiam concedendo, vt temporales causæ inter laicos possint ad tribunal Ecclesiasticum deferri, si rei velint, vt Constantinum concessisse legimus in cap. *Omnes.* 11. qu. 1. Ergo poterit etiam, quando sibi expediens videbitur, immunitatem restringere, vt æquitas seruetur. *Solutio.* Respondetur primò, negando consequentiam, nulla enim æquitas hoc postulat. Tum quia Rex temporalis potest priuilegium fauorabile Ecclesijs concedere, non tamen legem condere onerosam, aut nociuam Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis, quæ illas obliget, tum etiam quia quilibet potest donationem à se factam augere, non verò minuere, quia prius liberalitatis est & non tollit ius alterius, sed confert; posterius autem repugnat iuri acquisito, & consequenter est contra iustitiam. Atque ita in præsenti augere immunitatem Ecclesiasticam de se opus est liberalitatis, & non repugnat iustitiæ, aut religioni, quia non est dispositio de iuribus iam Ecclesiasticis, sed de iure proprio, vt Ecclesiasticum fiat, quod de se potiùs est opus religionis. At verò immunitatem restringere, aut limitare liberalitatis non est, religioniq́ue derogat, & iniustitiam inuoluit, quia est falcem mittere in alienam segetem. Deinde circa antecedens aduertimus, licèt possint Principes temporales per noua priuilegia clericorum exemptionem, aut iurisdictionem Episcoporum in temporalibus augere, nihilominus hæc priuilegia non cogere Ecclesiæ Prælatos, vt illa obseruent, sed necessarium esse eorum liberum consensum, vt effectum habeant, quia in tali materia nec vim coactiuam, nec directiuam habere possunt, vt suprà est ostensum. Et præterea vt talia priuilegia à clericis acceptari valeant, necesse est, vt legibus canonicis non sint contraria, quia contra illas nulla dispositio ciuilis valida esse potest.

Priuilegia per Reges Ecclesiasticis personis concessa ante Prælatorum acceptationē effectum non habent.

B Neque rationes dubitandi in principio huius puncti positæ assertioni obstant. Ad primam enim dicimus, licèt hoc priuilegium vt ab Imperatore manauit, ius ciuile dici possit, tamen postquam per Ecclesiam est approbatum, esse, vt Iuristæ loquuntur, canonizatum, id est, ius canonicum effectum, materiamque eius esse ad altiorem ordinem Ecclesiasticarum rerum eleuatam, & ideò sine consensu Pontificis reuocari non posse. Quod de omni lege ciuili canonizata docuerunt Glossæ, Innocent. Dominicus, & alij apud Felinum cap. 1. de Constitut. num. 19. & Panormit. in cap. *Nouit*, de Iudicijs. num. 27. Ad secundam respondetur, principium illud, Rem per C quas causas nascitur, posse dissolui, tantum habere locum in his, quæ pendent in fieri, & conseruari à causa: in præsenti autem licèt exemptio, prout nunc consideratur, in fieri pendeat à voluntate concedentis, postquam verò data est, iam non pendet, quia, vt dixi, ad altiorem ordinem rerum est euecta. Accedit, quòd effectus ille per potentiorem voluntatem confirmatus est, & ideò per solam sæcularis Principis voluntatem retractari non potest. Ideoq́; non est eadem ratio de hoc priuilegio, & alijs, quæ subditis conferuntur.

14 *Soluuntur rationes dubitandi contra hanc partem propositæ.* *Prima.* *Secunda.*

Ad tertium in primis dicimus; narrari facta, non tamen ostendi iure esse facta. Et ita Felinus in ca. Ec- D *clesia*, de Constitut. respondet ad dictam legem, *Si quis curialis*, quòd licèt de facto quoddam priuilegium reuocauerit, iure tamen non potuit. Idemq́ue responderi potest ad alias leges, præsertim antiquas, quia Imperatores in principio non satis perspectam habebant vim Ecclesiasticæ immunitatis. Deinde verò dicitur, aliqua fortè fuisse priuilegia, quę vel nunquam fuerunt à Pontificibus acceptata, sed ad summum permissa, vt fortasse fuit priuilegium datum à Constantino, quòd laici possent ad Ecclesiasticos iudices appellare. Et si quæ talia fuerunt, per contrariam voluntatem, vel vsum reuocari potuerunt, quia E nec propriè pertinebant ad immunitatem, neque inter iura, seu bona Ecclesiastica computabantur, & ita cessant in illis rationes factæ. At verò priuilegia à Pontifice acceptata, & probata, sine consensu Pontificis reuocari non potuerunt, & ideò leges cōtrariæ, vel effectum non habuerunt, vel non, nisi Pontifice annuente tacitè, vel expressè, illum consequi potuerunt. Quod videtur recognouisse Rex Hispaniæ Alphonsus in l. 54. tit. 6. part. 1. dicens, licèt clerici ob clericatum in multis exempti sint, quædam verò esse, in quibus Ecclesiæ placuit, vt non eximantur, Hispanè *Tubo por bien la santa Iglesia*, quasi diceret, se non posse exemptionem tollere, aut minue- F re, sed solùm declarare, quid in eo genere Ecclesia admiserit.

15 *Tertia.*

Ad quartum respondetur, Reges, qui nunc viuunt, 16 comparari posse vel ad præcedentes quibus hæ- *Quarta ratio* ditario iure succedunt, vel ad Imperatores, quorum *soluitur.* regna ex parte aliqua occuparunt, & iusto titulo cum suprema potestate ciuili possident. De prioribus dico, succedere vnumquemque in regno eo modo, quo antecessores illud habuerunt, si ergo ab aliquo antecessore priuilegium hoc validè concessum est, eo ipso fuit illa iurisdictio ab illo throno

Regio separata, ideoque successor non potest cum ampliori iurisdictione illud hæreditare, nec separationem priùs factam reuocare, quia nullam potestatem consequitur respectu non subditorum. Et ferè eadem ratio est de Regibus supremis, qui nunc sunt in terris, quæ olim erant imperij: nam etiam obtinuerunt illa regna in eo statu, in quo sub Imperatore antea erant, & ita non potuerunt iuri Ecclesiæ derogare.

17 *Euasio.* Quod si quis dicat, exemptionem hanc, vt est ab Imperatoribus, à temporibus Friderici I I. incepisse, quo tempore iam multi erant supremi Principes, & Reges Christiani, qui constitutionem Friderici acceptare non tenebantur. *Dissoluitur.* Respondetur in primis (quidquid sit de antiquitate iuris, & excellentia vniuscuiusq; regni, quod nunc examinare nobis necessarium non est) Fridericum non dedisse, sed innouasse, & ad pristinum, ac debitum statum Ecclesiasticam exemptionem reduxisse, prout ab antiquis Imperatoribus concessa iam fuerat, vt in superioribus visum est. Deinde negari non potest, quin omnia regna Romani orbis legem illam acceptauerint, & vsu, ac moribus obseruauerint, imò & in suis regnis proprijs legibus confirmauerint, quod satis est, vt hoc speciali titulo fuerit Ecclesiæ ius acquisitum. Cuius etiam sufficiens indicium est, quia vt in aliquibus casibus possint contra exemptionem agere, priuilegia ab Apostolica sede obtinuerunt, vt respondèdo Barclaio, eiusque argumentum in ipsum retorquendo, Bellarminus notauit, ex Iulio Claro lib. 5. §. vlt. quæst. 36. n. 26. in fine, & Aufrerio in Clementin. *Vt clericorum*, de Offic. Iudicis ordinarij limitatio. 13. Et de republica Veneta similia priuilegia refert Gigas in tract. de Crimine læsæ Maiestatis sub Rubrica. *Quis de illo cognoscat.* num. 20. Signum ergo est, hoc ius exemptionis, in toto orbe Christiano receptum esse, & in eodem orbe esse quasi ius gentium, ideòque temporales Reges non posse authoritate sua illud reuocare. De Regibus verò supremis, qui fortasse de nouo conuertuntur ad fidem, iam suprà dictum est, posse ab Ecclesia cogi ad hanc exemptionem admittendam, & quasi cum illis contrahere, neque aliter illis ministros Ecclesiasticos tribuere, nisi eos ab ipsorum temporali iurisdictione exemptos admittant. Quæ conditio, licèt non expressè proponatur, in ipsa professione obedientiæ ad Pontificem Romanum includitur, ideòque hoc etiam titulo non possunt huiusmodi Reges hoc priuilegium reuocare, aut infringere.

18 *Etiam per summũ Pontificem non posse hoc priuilegiũ simpliciter reuocari.* Tertiò dicendum de Summo Pontifice, an possit hoc priuilegium reuocare, in quo eædem ferè rationes dubitandi possent proponi. Illis tamen non obstantibus breuiter dico, etiam Summum Pontificem non posse priuilegium hoc simpliciter, & absolutè reuocare. Ità dicunt communiter Canonistæ in cap. *Ecclesia*, de Constitut. vbi præcipuè Panormitan. Decius, & Felin. & in cap. 2. de Maiorit. & obedien. Cardinalis in Repetit. cap. *Perpendimus*, de Sentent. excommunicat. oppos. 7. Rebuff. in Concordat. tractat. vltim. vbi alios refert, & Iacobatius lib. 1. de Concil. art. 6. Probatur autem hæc assertio, discurrendo breuiter per tria iura, à quibus hæc exemptio originem ducere potuit. Et in primis cum dixerimus esse immediatè à iure diuino naturali, vel positiuo, clarum est, non posse per Pontificem reuocari, & in hoc principio dicti auctores fundantur. Quo supposito, euidens est consecutio, quia Pontifex non potest diuinum ius abrogare; ergo nec potest reuocare priuilegium iure diuino immediatè collatum, & institutum, quia per hoc ius quoddam diuinum abrogaret. Et hac ratione diximus suprà, non posse Pontificem se ipsum hoc priuilegio priuare, quia iure diuino est suæ dignitati annexum, neque potest ab illa sine eiusdem dignitatis diminutione diuelli; ergo eadem ratione non potest A vniuersale priuilegium cleri reuocare, quatenus à iure diuino est.

Verumtamen etiam ex hypothesi, quod hoc priuilegium non esset immediatè collatum à Christo cæteris clericis infra Summum Pontificem, vera esset assertio de eodem priuilegio, vt est ab hominibus. Et primo de iure ciuili, quia res est facilior. Non potest enim Pontifex renunciare huic priuilegio eo modo, quo ab Imperatoribus, & Regibus conferri potuit, & de facto collatum est, nisi abdicando à sede sua omnem directam iurisdictionem temporalem ipsi collatam à Principibus sæculi, eamq; illis renunciando; hoc autem non potest facere Pontifex; ergo B vel ex hoc capite non potest Pontifex hoc priuilegium reuocare. Maior satis in superioribus declarata est. Minor probatur, quia Pontifex non est Dominus absolutus bonorum, & iurium suæ Sedis, etiam illorum, quæ ab hominibus illi donata sunt, quia principaliter sunt data Christo, ipsi autem tantùm vt Vicario eius, & ideò non personæ, sed Sedi dare sunt; ergo solum est illorum dispensator fidelis, & prudens; ergo non potest suo arbitrio illa donare, alienare, vel dissipare. Et ob hanc causam non posset nùc Vrbem, aut reliquum Patrimonium Petri Imperatori reddere, aut alteri liberè donare. Eadem autem, vel maior ratio est de prædicta iurisdictione, postquàm semel in potestatem, & dominium Ecclesiæ translata est: nam inter temporalia bona est res magnæ æstimationis, & Ecclesiæ magis necessaria ad eius decorem, & bonum regimen, quàm temporale regnum, vel similia bona temporalia; ergo multò minus potest iurisdictionem illam, & potestatem relinquere, & sedem suam illa priuare.

Deinde ex parte clericorum non minùs euidenter hoc ostenditur: nam per hoc priuilegium etiam illis est ius acquisitum, per quod speciàlem libertatem à temporali iugo consequuti sunt, & illius libertatis facti sunt domini; ergo non potest Pontifex pro suo D arbitrio eos priuare hoc iure acquisito, seu libertate, cuius sunt domini; ergo nec potest reuocare priuilegium illud vt ab Imperatore datum, quia per talem reuocationem dicto iure, & libertate clerici priuarentur, iterumq; potestati sæculari subijcerentur. Dices, hoc argumento rectè probari, non posse Pontificem sine causa priuare clericos illo iure acquisito, ex causa tamen posse. Respondetur, tam necessariam esse exemptionem hanc statui clericali, vt nulla causa iusta excogitari possit, propter quam totus Ecclesiasticus status iustè, aut validè possit tanto beneficio priuari. Itaque vt aliquis clericus in particulari E interdum hac libertate priuetur, poterit interdum ex parte illius sufficiens causa interuenire, vt ex suprà dictis intelligi potest, quoniam clerici in pœnam criminum, vel quia statum clericorum non seruant, interdum hoc priuilegio, vel omnino, vel ex parte priuantur. Respectu verò totius Ecclesiæ, & status clericalis nulla ratio, vel causa sufficere potest ad talem mutationem, seu reuocationem iustè faciendam, & ideò neque validè in tali materia fieri potest.

Atque hinc tandem idem facilè probatur de eodem priuilegio, vt per ius canonicum est stabilitum, quia non posset nunc Pontifex totum ius canonicum F concedens, vel confirmans hoc priuilegium abrogare. Quia non est illi data potestas in destructionem, sed in ædificationem; talis autem abrogatio nullum commodum posset Ecclesiæ afferre, sed potiùs perturbationem, & alia nocumenta. Quia eo ipso vellent Christiani Principes potestatem in clericos vsurpare. Nam etiam stante iure canonico vix possunt in officio contineri, quid ergo futurum esset, si ius canonicum in hac parte abrogaretur? Dices, licèt malè faciat Princeps, seu Pontifex abrogàdo sine causa, vel ratione legem à se, vel à suis prædc-

19 *Ex parte cleri vtrũq; euidenter assertio.*

20 *Euasio quòdam refellitur.*

21 *Non potest Pontifex omnia iura immutabilem concedentia abrogare.*

Obiectio.

prædecessoribus constitutam, nihilominus si id faciat, factum tenere, quia valor talis legis ex legislatoris voluntate absolutè pendet; ergo similiter in præsenti illa abrogatio vel reuocatio valida esset, quamuis iniusta.

22 Solutio. Respondeo in primis, talem reuocationem non solùm fore iniustam ex illa generali ratione, quòd est contra iustitiam legalem, sed etiam alia speciali, scilicet, quia non obstante dicta suppositione, ad huc esset contra ius diuinum saltem præcipiens, vt talis exemptio sit in Ecclesia quoad commodè fieri potest, & ex hac parte esset fortasse talis reuocatio non solùm iniusta, sed etiam inualida, quia iuri diuino contraria. Secundo dicitur, quando lex semèl posita contulit ius, & mutationem in ipsis rebus fecit, non posse sine causa boni communis ita abrogari, vt subditi priuentur rebus, vel iuribus iam acquisitis, quia ergo status clericalis perpetuum ius immunitatis per hanc legem canonicam acquisiuit, non potest per reuocationem sine causa, & temerè factam validè illo iure priuari. Denique dico, quidquid sit de hypothetica quæstione, an si talis reuocatio fieret, valida esset, non esse timendum, quòd talis reuocatio aliquando fiat, quia cùm non posset fieri sine magno dispendio, & perturbatione vniuersalis Ecclesiæ, non permittet Spiritus Sanctus, cuius speciali prouidentia Ecclesia regitur, vt Pontifex in suæ potestatis vsu tam grauiter erret. Et ita considerando illam potestatem, non vt purè subsistat voluntati humanæ, sed præcipuè vt à Spiritu Sancto regitur, dicimus, non posse Pontificem talem reuocationem facere, quia esset intolerabilis error moralis contra vniuersale bonum Ecclesiæ, vt alibi in præcepto decimarum declarauimus.

Tom. 1. de Relig. tract. 1. lib. 1. c. 14. nu. 10.

CAPVT XXXI.

VTRVM PRIVILEGIVM CLERICORUM possit per renunciationem amitti, vel diminui?

1 *Per voluntariam renunciationem hoc priuilegium amitti non potest.* RESolutio est, hanc Ecclesiasticam immunitatem, per renunciationem eorum, quibus concessa est, propria voluntate, & authoritate factam amitti non posse, quia à nullo potest validè, & efficaciter renunciari. Hæc assertio quatenus peculiari ratione ad Summum Pontificem pertinere potest, in cap. 7. huius libri tractata est. Quoad cæteros verò intelligi potest vel de singulis personis, vel de toto clero, seu statu clericali. De singulis ergo personis traditur expressè ab Innocent. III. in cap. *Si diligenti*, de Foro compet. redditque rationem his verbis: *Cùm non sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potiùs toti collegio Ecclesiastico publicè sit indultum, cui priuatorum pactio derogare non potest.* Vnde concludit, talem renunciationem etiam iuramento firmatam validam non esse, nec tale iuramentum obligare, quia est contra bonos mores. Talis enim renunciatio est iniusta, & sacrilega, quia est iniuriosa statui clericali. Atque hoc ius ante Innocentium traditum erat, vt ipse notat, in Concilio Carthaginens. 3. cap. 9. cap. *Placuit.* 2. 11. q. 1. vbi peculiari pœna puniuntur clerici huic priuilegio renunciantes tam in criminali, quàm in ciuili causa. Idemque de priuilegio canonis statuitur in cap. *Contingit.* 1. de Sentent. excommunic. Ex quibus iuribus colligitur notanda differentia inter hoc priuilegium, & alia, quæ in fauorem priuatorum conceduntur: nam hæc, quæ priuata iura dicuntur, non habent vim legis, & præcepti respectu eorum, quibus conceduntur, sed potiùs sunt quasi permissiones, seu dispensationes, seu fauores, quibus vti possint, si velint. Hoc verò priuilegium, quia continet publicum ius, habet vim præcepti, non solùm respectu aliorum, sed etiam respectu priuilegiatorum, quia non solùm eis tribuit fauorem, sed etiam præcipit, vt illo vtantur, seu prohibet, ne illud renuncient; alijs autem iubet, ne illud violent, etiam si clerici consentiant.

Priuilegium fori respectu priuilegiatorum inducit præceptū.

A

2 Vnde quoad vtranq; partem per hoc ius canonicum non solùm reuocatum, sed etiam emendatum est ius ciuile Iustiniani in l. *Si quis in conscribendo.* C. de Episc. & cleric. in qua statuebatur, *Si clericus promiserit, non vti suo priuilegio fori, non posse aduersus sua pacta venire,* & in simili l. *Si quis.* Cod. de Pactis, vbi præcipitur iudicibus laicis, vt eam legem obseruari faciant. Et ratio in vtroque loco redditur, *quia est regula iuris antiqui, omnes licentiam habere his, quæ pro se introducta sunt, renunciare.* Verumtamen lex illa semper nulla fuit, & in ea condenda grauiter excessit Imperator (fortasse per ignorantiam) tum quia disposuit in materia non sua, & circa personas sibi non subiectas, tum etiam, quia nititur falso fundamento, quia vel non intellexit vim, & naturam huius priuilegij, quod non propter priuata commoda personalia, sed propter commune bonum religionis principaliter institutum est; vel si hoc intellexit; male applicauit iuris antiqui generalem regulam, nam illa intelligenda est de ijs, quæ pro priuato vniuscuiusque commodo introducta sunt, vt rectè Pontifex intellexit, ad quem, & non ad Imperatorem pertinet, quale sit priuilegium clericale, & quomodò à clericis obseruandum sit, declarare.

B

C

3 *An de licentia Episcopi possit quilibet clericus huic priuilegio renunciare.* Ratio dubitandi. Sed quæri non immeritò potest, an de licentia Episcopi possit quilibet clericus huic priuilegio renunciare. Et ratio dubitandi est, quia multa iura antiqua prohibentia, ne clerici in iudicio sistant sæculari, addunt hanc limitationem *sine licentia, vel sine permissu Episcopi*, vt patet in ep. 2. Marcellini Papæ, & ex Conc. Agathens. cap. 32. Aurel. 3. can. 31. & habetur in cap. *Clericum.* 1. 2. & 3. 11. quæst. 1. Venetico sub Leone I. cap. 9. Epaunens. can. 11. Denique idem sumitur ex cap. 2. de Foro competenti, vbi dicitur: *Nullus iudicium, &c. sine permissu Pontificis clericum per se distringere, aut condemnare præsumat*; ergo hæc omnia iura significant, de licentia Episcopi posse, & clericum renunciare iuri suo, & laicum illum iudicare.

D

4 *Vera resolutio.* Nihilominus dicendum est, quoad priam fori renunciationem non posse Episcopum talem licentiam concedere. Ita docet Glossa in cap. *Qualiter, & quando*, de Iudicijs, verb. *Prohibemus.* Item Glossa in cap. *Significasti*, de Foro compet. verb. *Clerici* in fine, & colligitur ex illo textu ibi: *Clerici in iudicem non suum (nisi fortè sit persona Ecclesiastica, & Episcopi diœcesani voluntas accedat) consentire non possunt.* Duas ergo conditiones requirit ibi Gregor. IX. ad talem consensum, vel renunciationem; ergo si desit prima conditio, & iudex sit laicus, non sufficit Episcopi licentia. Et ita etiam sentiunt Panormitan. & alij expositores his locis, Glossa item, & Doctores in cap. 2. de Foro compet. Ratio verò est, primò, quia non solùm inferior clericus, sed etiam quilibet particularis Episcopus est priuata persona respectu totius Ecclesiastici status, & ideò non potest ipsemet Episcopus respectu suæ personæ renunciare iuri suo, & iudicio sæculari se committere; ergo nec potest dare suis clericis licentiam, vt id faciant; nam est eadem ratio, per vtrunque enim fit contra priuilegium in fauorem totius status concessum.

E

Ratio huius resolutionis.

F

5 *Secunda ratio.* Secundò id amplius declaratur, quia hoc ius, vt dixi, non tantùm est priuilegium concedens, sed etiam est prohibens, seu præcipiens, & est ius superioris generale, & grauissimum; ergo non potest inferior, qualis est quilibet priuatus Episcopus, in eo dispensare. Tertiò in priuilegio canonis non potest Episcopus licentiam concedere clerico, vt permittat, se ab alio verberari, nec potest facere, quin laicus verberans etiam de licentia sua excommunicatio-

Tertia.

nem incurrat, vt rectè dixit Glossa in dicto cap. *Significasti*, & colligitur ex capitulo *Vniuersitatis*, de Sententia excommunic. ergo nec potest clerico dare licentiam, vt renunciet priuilegio fori, nec iudici sæculari permittere, vt tali renunciatione vtatur. Dixi autem, hoc intelligi quoad propriam fori renunciationem, vt aduerterem, in tributorum solutione posse admitti aliquem modum exceptionis. Quanquam si attentè res consideretur, propriè non est exceptio; tum quia secundum nouum ius cap. *Aduersus*, de Immunitat. Ecclesiar. etiam in tributorum solutione non sufficit licentia Episcopi, sed consulendus est Papa; tum etiam quia licèt in casu instantis necessitatis videatur admittenda exceptio per epijkiam, nihilominus attento modo, & ratione contributionis non est propria exceptio, quia illa contributio non fit, nec permittitur tanquam debita in ratione tributi, id est, in signum subiectionis, vel ex vi legis ciuilis, sed quia ex charitate, vel ex legali iustitia, vel alio modo ex vi rationis ipsimet Prælati Ecclesiæ indicant, expedire, vt à clericis fiat, vt suprà declaratum est. Vnde non est renunciatio, sed veluti naturalis iuris prudens interpretatio.

6 *Soluuntur iura in contrarium obiecta. Glossæ responsio.*

Ad iura verò antiqua in contrarium allegata vario modo respondent Glossæ. Quædam enim in dicto cap. *Significasti*, dicit, in illis textibus supplendam esse particulam *maximè*, ita vt sensus sit, semper esse illicitum clerico renunciare huic priuilegio, maximè verò, id est, maiori culpa, sine licentia Episcopi, quia peculiarem illi facit iniuriam. Sed, vt Iuristæ aiunt, misera est interpretatio, quæ fit, addendo legi verba in illa non contenta. Præsertim quia aliquando illi canones ita loquuntur, vt non nisi violenter, & destruendo sensum particula illa addi posse videatur, vt in Concilio Epaunensi, verba sunt: *Clerici sine ordinatione Episcopi sui adire publicum iudicium non præsumant, &c.* certè ex vi horum verborum, qui ex ordinatione Episcopi id faceret, legem illam non violaret, & euidentiora sunt verba Concilij Venetici: *Clerici nisi ex permissu Episcopi, &c.* ibi enim particula *maximè* accommodari non potest. Alia igitur glossa in dicto cap. 2. de Foro competet. respondet vno verbo: *Hic vacat argumentum à contrario sensu*, id est, illi canones specialiter prohibent, ne talis renunciatio fiat sine licentia Episcopi, non tamen propterea concedunt, vt cum illa fieri possit: nam hoc est argumentum à contrario sensu, quod argumentum non est efficax, quando alijs iuribus repugnat. Estq; probabilis responsio, sed dura satis, & quasi violenta, si verba tot canonum simpliciter expendantur. Et similes sunt aliæ solutiones, quas multiplicat Panorm. in dicto cap. n. 15. Mihi ergo verior, & simplicior videtur responsio Glossæ in d. cap. *Clericus.* 1. dicentis: *Hodiè nec cum consensu Episcopi potest*, quibus verbis significat, olim secundum ius antiquum id licuisse, nunc verò non licere. Et idem sensit Glossa in dicto cap. *Qualiter, & quando*, de Iudicijs, dicens, hoc non licere, *licet iura antiqua contrarium innuere videantur.*

Alia glossa.

Vera responsio.

7 *Ad cap. 2. de Foro comp.*

Ad cap. autem 2. de Foro comp. quod magis modernum est, non videtur illa responsio accommodari posse, & ideò considero, canonem illum non loqui ad clericos, prohibendo, vt non renuncient foro, sed loqui ad iudices sæculares, prohibendo sub censura ipso facto, *ne clericos per se distringere, aut condemnare præsumant.* Et respectu illorum rectè additur particula *sinè permissu Episcopi*, quia interdum possunt de licentia Episcopi distringere clericos, quia verbum *distringere*, in rigore non significat iudicare, aut iurisdictionem exercere, sed coactionem aliquam aut pœnam exequi, capiendo, incarcerando, & torquendo; hæc autem, & similia possunt interdum facere iudices sæculares iussu Episcopi, iuxta cap. *Vt famæ.* de Sentent. excommun. quia, vt ibi dicitur, tunc

A sæcularis iudex non sua authoritate, sed Episcopi illa exequitur, & quia sæpe Prælati indigent potentia, & authoritate talium ministrorum. Addi etiam potest alia ratio, quia si Episcopus iurisdictionis actum sæculari iudici in clericum committat, videtur ei suam iurisdictionem delegare, & iudex sæcularis potest præsumere, Episcopum posse talem delegationem facere. Hæc verò posterior ratio tolerari posset, si iudex sæcularis aliàs esset clericus, saltem in minoribus, & committeretur illi causa, iure canonico, & Ecclesiastico more clericis accommodato tractanda, aliàs non potest habere locum, quia E-

Episcopus iurisdictionem in clericum laico nullo ordinibus impetrato cõmittere nequit.

B piscopus non potest iurisdictionem in clericum puro laico committere, neque etiam laicorum more, & per leges ciuiles clericum iudicari permittere, iuxta cap. 2. de Iudicijs. Ideòque solùm respectu Summi Pontificis posset hic intellectus illius textus quoad hanc partem habere locum. Neque est contemnenda expositio, quæ textum illum ad Summum Pontificem restringit; non enim dicit sine permissu Episcopi, sed sine permissu Pontificis, quæ vox solet per antonomasiam pro Summo Pontifice sumi, præsertim quando per literam maiusculam. P. scribitur, vt ibi habetur in collect. 1. Antonij August. cap. 3. illius tituli.

8 *De licentia Pontificis potest clericus huic priuilegio renunciare.*

Vnde manifestum est, posse quemlibet clericum

C de licentia Pontificis summi huic priuilegio renunciare, prout in illo textu tradunt Panormitan. ibi numer. 12. inducens textum illum in eodem sensu, & Glossam in dicto cap. *Clericum.* secundo, 11. quæst. 3. verb. *Sæcularem.* Indeque argumentum sumit, quia Papa potest delegare laico causam spiritualem iuxta cap. *Illud.* 10. quæstion. 3. & de purgatione Episcopi in causa criminali: idem sumitur ex cap. *Mennam.* 2. quæst. 5. Et ratio est, quia Summus Pontifex habet potestatem dispensandi in quolibet iure canonico etiam præcipiente, & determinare, vel ex parte mutare priuilegium iure diuino con-

D cessum, quod respectu Pontificis non includit præceptum, vt nunquam mutetur. Item quia Pontifex potest suam iurisdictionem committere laico, præsertim in causis temporalibus, etiam si ad personas clericorum pertineant. Hoc tamen rarissimè facit Pontifex, quia per se non decet statum clericalem. Vnde etiam constat, necessariam esse causam, & satis grauem, vt Papa facultatem hanc rectè, & legitimè concedat: nam ad omnem dispensationem communis iuris, vt licitè fiat, necessaria est causa; ergo multò magis in hoc iure, quod grauissimum est, & statum ipsum clericalem vniuersè respicit, & ad ius diuinum pertinet, vel illi est coniunctis-

E simum.

9

Aduertendum autem est, duobus modis posse facultatem hanc à Pontifice concedi. Primò per se ac directè ipsi clerico intuitu suæ personæ, & in fauorem eius, & tunc datur propriè facultas ad renunciandum priuilegio, ideòque non datur potestas iudici sæculari ad cogendum clericum, sed licentia ad iudicandum causam eius, si ipse illi se submittere voluerit. Et ex hac parte minor fit derogatio priuilegij, ac subinde minor etiam causa sufficiet ex hoc capite, vt facultas hæc licitè concedatur, ex alia verò parte difficilius honestari potest, præsertim in causis

F criminalibus, quia solùm potest ad priuatum, & personale commodum ordinari, & ideò vix potest sufficientem habere causam, ideoq; rarò, vt opinor, talis facultas conceditur. Alio modo fit hæc concessio directè iudici, seu Principi sæculari, dando illi potestatem, & iurisdictionem, eius intuitu, & in fauorem eius. Et tunc magis quidem derogatur priuilegio, quia tunc non solùm volentem, sed etiam inuitum clericum potest iudex sæcularis cogere, & iudicare, ideòque grauior requiritur causa. Ideòq; frequentiùs fit vel in singularibus occasionibus occurrentibus, vel in aliquib. priuilegijs circa aliqua grauiora crimina,

vt lx-

vt læsæ maiestatis, quia tales concessiones ad commune bonum, & pacem reipublicæ ordinantur, vel ad defensionem, & congruentem fauorem aliquorum Principum, quæ quidem causæ frequentiùs occurrunt. Hic autem posterior modus concessionis non pertinet ad renunciationem priuilegij, cum in illo voluntas priuilegiarij non concurrat, sed pertinet ad ablationem priuilegij in aliquo casu, vel causa, quæ vt superiori capite dixi, fieri potest à Pontifice in pœnam, vel odium alicuius culpæ, & secundum potentiam ordinariam aliter non fit, quia vix potest alia causa necessaria, vel sufficiens occurrere.

10 *Ratio dubitandi.*

Tandem quæri potest circa hanc assertionem, an communitas aliqua Ecclesiastica; vel saltem totus Ecclesiasticus status possit huic priuilegio renunciare. Et ratio dubitandi esse potest, quia tunc cessat ratio textus in dicto cap. *Si diligenti*, & procedit regula generalis, quòd vnusquisque potest renunciare iuri sibi concesso. Hęc enim regula generaliter, & sine limitatione procedit in quacunque persona vera, vel ficta, cui per se primò, & quasi adæquatè priuilegium concessum est, vt ex materia de Legibus suppono. Hoc autem priuilegium concessum est statui clericali, vt dicitur in dicto cap. *Si diligenti*; ergo totum corpus cleri per modum vnius personæ poterit huic priuilegio renunciare. Hæc autem ratio in primis non procedit de quacunque priuata cõmunitate Ecclesiastica, siue sit vnius Ecclesiæ, siue vnius diœcesis, siue vnius Metropolis, siue vnius prouinciæ, aut regni, quia nulla istarum communitatum est subiectum adæquatum (vt sic dicam) istius priuilegij, sed ad totum corpus cleri tanquam pars, ac proinde tanquam particularis persona in suo ordine comparatur. De quacunque igitur huiusmodi communitate certum est, non posse huic priuilegio renunciare, quia in ea procedit ratio cap. *Si diligenti* & consequenter etiam decisio.

11 De toto verò corpore status clericalis procedit difficultas posita, quæ ad quæstionem hanc reducenda videtur, an Concilium generale possit huic priuilegio renunciare, quia non videtur posse morali modo cogitari alia via, quia possit vniuersus Ecclesiæ clerus ad consentiendum in huiusmodi renunciatione congregari, aut conuenire. De Concilio ergo generali dico breuiter duo. Vnum est, Concilium generale sine Pontifice, id est, sine illius facultate, & approbatione non posse priuilegio renunciare. Hoc certum est multis de causis. Primò quia Concilium generale nihil potest facere sine approbatione Pontificis, cuius authoritate congregari debet, & continuari. Quòd si contingat, Sede Apostolica vacante, congregari Concilium (quod fieri non debet, nisi quando ratione schismatis non possit electio veri, ac certi Pontificis aliter fieri) tale Concilium non potest aliquid de statu vniuersalis Ecclesię immutare, & ideò multò minus posset huic priuilegio renunciare, ideoq; talis renunciatio non solùm à futuro Pontifice facilè reuocari posset, sed etiam à principio esset inualida tanquam sine potestate facta.

12 Secundò quia talis renunciatio est contraria iuri Pontificis duplici modo. Nam & est contra ius canonicum latum, vel approbatum à Pontificibus, cui nullum Cõcilium sine Papa potest derogare. Et præterea est contra iurisdictionem Papæ, priuaretur enim per talem renunciationem illa singulari, & suprema directa iurisdictione, quam super totum clerum etiam in causis temporalibus habet. Tertia, & optima consideratio, quæ rationem dubitandi soluit, est, quia hoc priuilegium est concessum statui clericali ab ipso Christo, non absolutè ratione talis communitatis, sed quatenus est speciale familia Christi filij Dei naturalis, vt suprà visum est. Estque omnino verum, siue hæc exemptio dicatur esse immediatè de iure diuino, siue mediante iure canonico: nam vtrũque ius, imò etiam ius ciuile hoc præcipuè in toto collegio Ecclesiastico considerauit, vt priuilegium hoc ei concederet, atque ita magis in Christi Dei honorem, quam in ipsorum hominum commodum hoc ius introductum est. Propterea enim dixit Imperator in l. *Sancimus*, Cod. de Sacrosanct. Eccles. *Cur non facimus discrimen inter res diuinas, & humanas? & quare non competens prærogatiua cœlesti fauori conseruetur?* Et in l. *Generaliter*. Cod. de Episcop. & Cleric. *propter hoc eis beneficium indulgemus, vt omnibus aliis derelictis, Dei omnipotentis ministeriis inhæreant*. Quia ergo totum Collegium Ecclesiasticum, seu Concilium generale non potest iuribus ipsiusmet Christi derogare, neque illa, quæ in Dei cultum, & honorem inducta sunt, tollere, ideo non potest huic priuilegio renunciare. Sicut etiam inter homines non posset familia Principis, Cardinalis, aut Episcopi renunciare sine consensu eius priuilegio in peculiarem honorem, vel decentiam Domini, ipsi familiæ concesso.

13 *Concilium generale etiam cũ Pontifice huic priuilegio renũciare nequit.*

Atque hinc vlteriùs addimus, etiam Concilium cum Pontifice, id est, cum eius consensu, & approbatione, non posse huic priuilegio renunciare. Hoc mihi satis probat ratio proximè facta, quia priuilegium familiæ Christi, quà talis est à nemine potest sine consensu ipsiusmet Christi renunciari. Neque satisfaciet, qui dixerit, consentiente Papa, consentire Christum per Vicarium suum, quia non est verisimile, potestatem Papæ extendi ad huiusmodi cõsensum loco Christi præstandum, quia non est data ei potestas in destructionem, sed in ædificationem; talis autem renũciatio prorsus in destructionem esset. Vnde confirmatur: nam suprà dicebamus, non posse Papam reuocare hoc priuilegium, quia non potest habere iustam causam, vel rationem, & quia esset contra præceptum diuinum saltem in generali, & ideo semper esset in destructionem; ergo neque cũ Concilio potest facere validam talem renunciationem, neque interpretari, Christum in eam consentire: nam eadem est ratio, & quoad effectum eodem reuoluitur, & quia consensus ipsius cleri parum in hoc operari potest, cùm ad Christi honorem, & Dei cultum præcipuè intendatur. Ac denique quia quod potest in Ecclesia facere Papa cum Concilio generali, potest etiam facere se solo, quia non est minoris potestatis; ergo si non potest solus è medio tollere hoc priuilegium per modum abrogationis, neque etiam cum Concilio potest illud tollere per modum renunciationis. Hoc autem de integra, seu totali renunciatione intelligendum est: nam in aliqua particulari causa, vel materia, consentiente Pontifice, fieri posset, quia potest ad hoc interdum sufficiens ratio, & causa interuenire. Ideo namque etiam diximus, posse hoc priuilegiũ restringi, aut in particulari minui per solius Pontificis potestatem; faciliùs ergo fieri poterit per modum renunciationis, quando pars ipsa, quæ lædi videtur, iuri suo cedit; imò propter hoc verisimile est, tunc minorem causam posse sufficere.

CAPVT XXXII.

VTRVM PRIVILEGIVM CLERICORUM consuetudine amitti, vel minui possit.

9. *Probatur primo assertio de nõ vsu*

REspondeo, exemptionem clericorum nulla cõsuetudine amitti, vel diminui posse. Vt difficultatẽ huius assertionis attingamus, distinguenda est propria consuetudo priuilegio contraria, à non vsu priuilegij, vtrumque enim solet sub consuetudine latè sumpta comprehendi. In præsenti autem certum est, hoc priuilegium non amitti, vel diminui

minui per purum non vsum, qui contrarium vsum A non includat. Probatur, quia priuilegium non amittitur per non vsum, nisi in vi tacitæ renunciationis, vel ratione præscriptionis alterius contra priuilegiatum, sed neuter modus hic habet locum. De priori probatur ex dictis, quia in hoc priuilegio non habet locum expressa renunciatio; ergo multò minùs tacita; ergo non vsus nihil operari potest contra hoc priuilegium in vi tacitæ renunciationis. Altera pars probatur, quia si non vsus sit merè negatiuus, sine aliquo vsu contrario iuri alterius partis, cui priuilegium videtur præiudicium afferre, non potest induci præscriptio, vt in tractat. de Legibus probaui, quia est contra rationem, & definitionem præscriptionis; ergo neque hoc modo potest in præsenti sufficere non vsus sine contrario vsu. Eo vel maximè, quòd statim generaliter ostendimus, nullam præscriptionem humanam contra hoc priuilegium prævalere posse.

Lib.8.ca.34. B

2 Assertio ergo etiam de propria consuetudine huic priuilegio contraria intelligenda est. Et ita est communiter recepta per Canonistas in cap. *Clerici*, de Iudicijs, vbi Abbas numero 5. Decius numero 14. Ripa in cap. *Decernimus* de Iudicijs, numero 15. Probus in cap. 2. de Probat. vbi assertionem ad immemorialem consuetudinem extendit. Tradit etiam Rota tit. de Consuetud. in Antiquit. decis. 3. & 10. aliàs 123. & 840. Idem Barth. in l. *De quibus*. ff. de Legibus numero 5. Rochus Curtius in cap. vltim. de Cõsuet. & Gregorius Lopez in l. 2. tit. 2. part. 1 numero 6. Nauarr. in cap. *Cum contingat*. de Rescript. Remed. primo, & Stephanus Aufreri. in tract. de Potest. ciuil. supra Ecclesiasticam regul. 1. & 2. Addit verò ibi plures limitationes, seu exceptiones, quas omitto, quia nullam propriam exceptionem censeo esse admittendam, vt ex discursu huius capitis, & vltimi constabit.

C

3 *Probatur secundo de propria consuetudine.* Probatur autem assertio ex dicto capite *Clerici*, de Iudicijs, vbi dicitur, cum Canones generaliter tradant, *Vt de omni crimine clericus debeat coram Ecclesiastico iudice conueniri, non debet in hac parte canonibus ex aliqua consuetudine præiudicium generari*. Vbi licèt videatur sermo esse tantum de priuilegio fori in criminalibus, nihilominus ab omnibus de tota immunitate Ecclesiastica intelligitur: tum quia ratio textus in quacumque materia huius exemptionis æquè procedit, vt Panormitanus & Decius notarunt: tum etiam quia alij canones absolutè de libertate Ecclesiastica loquuntur, vt cap. *Cum terra*, de Elect. vbi damnatur quædam consuetudo, *quia in grauamen, & perniciem Ecclesiasticæ libertatis redundabat*. Idemque sumi potest ex cap. *Ad nostram*, & cap. *Cum inter*, de Consuetud. & notat Glossa vltim. in dicto cap. *Clerici*. Denique apertè probatur assertio ex Authentica *Cassa*, Cod. de Sacrosanct. Eccles. vbi omnis consuetudo contra libertatem Ecclesiasticam cassa, & irrita denunciatur, quæ Authentica sumpta est ex constitutione Friderici, quam tanquam *in æternum valituram* Honorius III. confirmauit. Vnde idem Honorius in cap. *Nouerit*, de Sentent. excommunicat. excommunicat omnes, qui consuetudines introductas contra Ecclesiasticam libertatē seruari fecerint.

D

E

4 *1. Ratio.* Ratio autem huius assertionis in primis reddi potest ex illo fundamento, quòd hæc exemptio est de iure diuino, contra quod non potest consuetudo humana prævalere. Quia vel illud diuinum ius, est naturale, & sic consuetudo illi contraria est iniqua, vt pote rationi contraria, & ideo non potest ius inducere, vel auferre, iuxta cap. vltim. de Consuetud. Si autem ius illud est diuinum positiuum, non possunt voluntates humanæ, vel actiones earum, quantocumque tempore, vel numero multiplicentur contra Christi voluntatem prævalere, aut quod ipsa statuit manere. Sed licèt hæc ratio vera sit, non est illi soli insistendum: Tum vt ex varijs capitibus magis fiat certa, & indubitata probatio: Tum etiam quia citati canones aliam rationem indicant, quæ in dicto cap. *Ad nostram*, his verbis explicatur, *Attendentes, quod consuetudo, quæ canonicis obuiat institutis, nullius debeat esse momenti, &c.* Eademque insinuatur in dicto cap. *Clerici*, cùm in eius principio præmittitur *in canonibus generaliter tradi, &c.*

F

Est ergo secunda ratio principalis, quia talis cõsuetudo est iuri canonico valde contraria, & ideo non potest contra illud prævalere, quia inferior non potest ius superioris abrogare. Satim verò insurgit difficultas, quia consuetudo potens est ad derogandum iuri humano, vt est constans in materia de Legibus; sed canones tantùm constituunt ius humanũ; ergo non satis est, consuetudinem hanc esse contra canones, vt non possit contra canones prævalere, & ius per illos inductum auferre. Nam si in alijs materijs iure canonico prohibitis id potest facere consuetudo, cur non in ista? Et confirmatur, quia consuetudo sufficit ad obtinendam iurisdictionem, & consequenter etiam ad amittēdam, vel ad inducendam etiam subiectionem, quia hæc inter se cohærēt; ergo hoc modo poterit etiam in præsenti hæc consuetudo tollere, vel minuere exemptionem clericorum.

5 2. Ratio. *An cõsuetudo contra ius canonicũ præualere valeat.* Ratio dubij. Confirmatio.

6 *Præmittitur duo modi quibus potest aliqua lex cõsuetudine abrogari.* Ad explicandam ergo vim huius rationis, oportet ex materia de legibus supponere, duos esse modos, quibus legi humanæ, vel priuilegio potest per contrariam consuetudinem derogari, scilicet, vel per modum abrogationis, seu retractationis legis, vel per modum præscriptionis contra legem, vel cõtra ius per illam concessum. Inter quos modos variæ constitui solent differentiæ, duæ verò sunt, quæ præsenti instituto deseruiunt. Vna est, quòd derogatio per modum reuocationis legis inchoari potest, & paulatim fieri per actus malos, & mala fide contra legem factos: præscriptio autem requirit bonam fidem, vt est notum, præsertim secundum ius canonicum. Altera differentia est, quòd derogatio legis quando priori modo per consuetudinem fit, innititur voluntati legislatoris, quam, vel tacitè, vel expressè consentiendo consuetudini, mutat, & suam legem reuocat: quando verò derogatio fit per modum præscriptionis, non fundatur in peculiari voluntate legislatoris, neque expressa, neque tacita, sed in aliquo alio iure positiuo, quo talis præscriptio concessa est, vt latè in lib. 7. de Legibus declaratum est.

7 *Dubij solutio.* Priùs ergo probatur assertio de priori genere derogationis, varijs modis. Primò ex hac secunda differentia, seu conditione requisita, vt consuetudo deroget legi. Nam in præsenti materia necessarius est consensus Pontificis; sed ipsemet Pontifex non potest voluntate sua huic priuilegio derogare sine alia causa, vt suprà ostensum est; ergo multò minus id poterit facere consuetudo, accipiendo vim, & efficaciam à voluntate Pontificis, quia talis voluntas nec præsumi potest, nec si daretur, sufficeret. At hæc ratio habet quidem vim quoad abrogationem totius priuilegij, etiam si non fiat pro tota Ecclesia, sed in aliquâ prouincia, aut diœcesi, in qua talis consuetudo cogitetur, quia reuera etiam similis abrogatio totius immunitatis in aliquo loco Ecclesiæ esset valde iniuriosa toti statui clericali, & scandalosa Ecclesiæ, & non posset esse in ædificationem, sed in destructionem, & ideo verisimillimum est, etiam hoc modo non posse à Pontifice fieri certiusque credimus non permissurum Deum, vt id faciat Pontifex.

8 Addimus verò, licèt fingatur casus, in quo ad vitanda maiora mala hoc possit Pontifex in aliqua prouincia permittere, nihilominus nunquam posse per solam consuetudinem id fieri, quia talis cõsue-

tudo

tudo de se valde irrationabilis est, & multum derogans iuri diuino, & nunquam potest præsumi, tacitam voluntatem Pontificis illi assistere, quia in re tam ardua, & quæ vix, aut ne vix quidem potest honestari, non potest præsumi consensus Pontificis, nisi præcedente causæ cognitione, magnaque deliberatione, & ideò necessarius semper erit expressus cõsensus, & tunc ratione illius fiet abrogatio pro tali loco, non ratione consuetudinis. Verumtamen no ita vrget hæc ratio in derogatione immunitatis partiali seu in aliqua parte materiæ, vt in aliquo actu iurisdictionis, vel in aliquo tributo, & cæt. quia hæc derogatio fieri potest interdum per Pontificis priuilegium, quod est priuata lex, quidquid autem fieri potest per legem humanam, introduci consuetudine potest, & vbi voluntas expressa potest esse honesta, & efficax, etiam tacita esse poterit.

9 *Vtrũ quod parte per cõsuetudinem cæt immuni non abrogari possit.*

Nihilominus tamen assertio posita etiam de propria derogatione in particulari materia procedit: nã in hoc sensu sine dubio loquuntur iura, & Doctores, & ideo in hoc aliæ rationes reddendæ sunt. Vna est, quia ius canonicum propter rei grauitatem, & maiorem immunitatis incolumitatem, non solùm prohibet quemlibet actum illi contrarium, sed etiam abrogat omnem consuetudinem libertati Ecclesiasticæ contrariam, vt constat ex citatis decretis, & ex multis alijs sub titulis de immunitate Ecclesiar. Quo ties autem Lex non solum prohibet actum, sed etiam abrogat consuetudinem, non potest per consuetudinem derogari, quia lex ipsa præuenit (vt sic dicam) & vires abstulit consuetudini ad derogandum se, aliàs inutilis esset illa clausula, quod dicendum non est, cùm sæpissime addatur in legibus tam ciuilibus, quàm canonicis, non solum de preterita consuetudine, sed etiam de futura. Propter quam rationem videtur esse illud principium communiter receptum in materia de Legibus.

10 *Obiectio.*

Sed fieri potest communis replica, quia illamet lex abrogans futuram consuetudinem contrariam, est humana; ergo potest per posteriorem consuetudinem abrogari, sicut potest per aliam posteriorem legem scriptam tolli: nam voluntas Principis mutabilis est, & ideo sicut per expressam, ita & per tacitam posteriorem voluntatem mutari potest. Neque propterea erit illa clausula superuacanea, quia saltem operabitur, vt consuetudo non possit prævalere contra talem legem, sine certa scientia, & patientia Principis, nihilominus tamen valere poterit illa interueniente, quia illa scientia, & patientia Principis mutationem volũtatis eius indicat. Ergo in præsenti etiam materia poterit consuetudo prævalere contra canones, non obstante illa clausula.

11 *Responsio.*

Respondemus in primis, admissa illa generali doctrina, obiectionem tantùm procedere de possibili; de facto verò non rectè applicari, quia certissimum est, nunquam interuenire in hac materia tacitum cõsensum Apostolicæ Sedis, cuius authoritate talis cõsuetudo iure communi prohibita est. Assumptũ probatur, quia semper Apostolica sedes per sententias, vel per expressa edicta his consuetudinibus contra libertatem Ecclesiasticam resistit, & specialiter in Bulla Cœnæ singulis annis eas reuocat, vel potiùs irritas esse declarat; ergo nunquam potest præsumi tacitus consensus Pontificis. Nam licèt fortasse interdum non ignoret, multa per consuetudinem fieri in aliquibus locis contra libertatem Ecclesiasticam, quæ non punit, sed quodammodo tolerat, non ideo est, quia consentiat, sed quia sine periculo maioris mali non potest efficaciùs resistere, & ideo non consentit, sed permittit.

12 Accedit præterea alia ratio, quia ius canonicum non solùm prohibet cõsuetudines contra exemptionem Ecclesiasticam, sed etiam reprobat illas, quod maius est. Nam potest lex prohibere consuetudinem non quia per se irrationabilis sit, sed quia propter alias rationes expedit illam non permittere, & tunc dici potest consuetudo irrationabilis, quia prohibita; non autem prohibita, quia irrationabilis: aliquãdo verò lex prohibet consuetudinem, quia supponit, illam esse irrationabilem, quod cẽsetur facere, quoties prohibendo consuetudinem declarat, esse irrationabilem, addendo *esse corruptelam*, vel *contra nerauum disciplinæ*, aut esse *abusum*, vel quid simile, vt constat ex toto titulo de consuetudine. Hoc ergo posteriori modo prohibet ius canonicum consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam, vt omnes sumunt ex cap. 1. de Consuetud. vbi Gregor. ait, *Consuetudines, quæ Ecclesiis grauamen inducere dignoscũtur, nostra nos decet consideratione remittere*, id est, non permittere, seu dissoluere, aut irritare, vtique tanquam irrationabiles, hoc enim indicat verbum *decet*, quia illas tolerare esset indecens. Et c. *Ad nostram* eodem tit. dicitur talis consuetudo *minus rationabilis, & canonicis obuians institutis*, & proinde nullam habere firmitatem. Item leges omnes contrariæ immunitati Ecclesiasticæ tanquam irrationabiles reprobantur, vt constat ex pluribus decretis de Immunit. Ecclesiar. eadem autem ratio est de consuetudine: nam æquiparatur legi. At verò iuxta doctrinam recepta consuetudo reprobata per legem nũquam potest contra legem prævalere. Quia vt consuetudo legi deroget, rationabilis esse debet, iuxta cap. vlt. de Consuet. omnis autem consuetudo, quam lex præsertim canonica vt irrationabilem reprobat, verè irrationabilis habenda est, quia iuris declaratio authentica est: ergo.

Vide Bart. in l. De quib. ff. de Legi. n. 4. Antonium in c. Cum ex officio de præscr. nu. 3. Rochum in c. vlt. de Cõsuet. nu. 521. qui alios refert.

Sed in hac ratione, quæ in hac materia exprecipuis est, occurrit difficultas, quia licèt respectu consuetudinis totam exemptionem abrogantis efficacissima sit, quia talis consuetudo statim præ se fert absurditatem, & indecentiam, propter quam diximus, etiam per legem scriptam talem abrogationem fieri non posse; nihilominus non videtur vniuersè procedere de omni consuetudine particulari in vna materia, vel causa, hæc enim non semper irrationabilis est. Quod probatur, quia per legem scriptam sæpe fieri potest iustè, & prudenter talis derogatio: ergo signum est, derogationem ipsam non esse irrationabilem; ergo nec consuetudo illam introducens erit irrationabilis, quia ex ipsa materia, & singulis actibus habet consuetudo quòd rationabilis, vel irrationabilis sit. Vnde tali consuetudini non poterit obesse ius positiuum declarans, seu reprobans consuetudinem contrariam libertati Ecclesiasticæ, vt irrationalem, quia illud ius non facit cõsuetudinem esse irrationabilem, sed supponit talem esse, & ideo illam reprobat, vt diximus; ergo non cadit nisi in eã consuetudinem, quæ re vera omni ratione destituitur. Vnde fieri potest, vt aliqua consuetudo, quæ in vno tempore irrationabilis est, in alio mutatis rebus ratione sufficienti honestari possit. Et similiter consuetudo aliqua, quæ respectu Ecclesiæ regulariter irrationabilis est, in aliqua prouincia potest habere peculiarem, & sufficientem rationem; ergo pro tali tempore, vel pro tali loco non censebitur talis consuetudo reprobata per legem absolutè, & generatim loquentem; ergo idem contingere potest in hac materia exemptionis. Atque ita sentire videntur multi authores approbantes, & defendentes aliquas consuetudines contrarias immunitati, præsertim Couar. in Practic qu. 3. & Iulius Clar. lib. 5. §. vlt. q. 36. num. 3. Ioannes Garsia de Nobilit. gloss. 9. n. 44. & sequentibus, & multi alij, qui in hanc partem potissimè inclinant, vt particulares quasdam consuetudines diuersorum regnorum tueantur.

13

Ratio pro negatiua parte.

Nihilominus dicendum censeo, omnem consuetudinem, siue generalem, siue particularem contrariam libertati Ecclesiasticæ esse irrationabilem, & in iure reprobatam, ac subinde non posse priuilegio immunitatis aliqua ex parte derogare. Hæc

14 *Autoris sententia.*

est

Refert Azor 3.t. li.5.c.12.q.1. §. Sed dubitari posset.

est sententia communiter recepta à Theologis, & Iurisperitis in locis allegatis, & apertè colligitur ex decretis citatis. Non enim loquuntur de consuetudine abrogante totam immunitatem clericorum, vel in tota materia eius, vel in omnibus criminibus, vel omnibus causis ciuilibus, vel alia simili magna parte exemptionis, quia nunquam tales consuetudines fuerunt in regnis catholicis à multis annis introductæ, vel etiam intentatæ, neque hoc authores canonum ignorabant. Loquuntur ergo de particularibus vt attentè legenti textus ipsos constabit. Et specialiter notari potest lectio integra dicti cap. *Clerici*, sic enim habet: *Clerici maximè in criminalibus causis in nullo casu possunt ab aliquo, quàm ab Ecclesiastico iudice condemnari, etiam si consuetudo Regia habeat, vt fures à iudicibus secularibus iudicentur.* Vbi constat, particularem consuetudinem non potuisse vniuersali priuilegio ex parte derogare; eadem autem est ratio de alijs similibus, quia etiam in illa particulari consuetudine posset ratio aliqua honestatis considerari. Et hoc maximè confirmant variæ prohibitiones, quæ in Bulla cœnæ quotannis fiunt omnium ferè actuum, per quos huiusmodi particulares consuetudines introduci possunt, & renouantur iura tales actus, & consuetudines reprobantia. Rationem autem huius veritatis, & dictorum iurium, respondendo ad difficultatem positam, reddemus.

In Collect. Decretal. li. 2.tit.1. c.8. Et in corpore iuris canonici iussu Greg. 13. edito.

A

B

C

15 *Satisfit rationi pro opposita sententia facta.*

Ad obiectionem ergo in primis respondeti posset iuxta aliquorum opinionem, consuetudinem semel per legem reprobatam non posse ampliùs prqualere, aut rationabilem reputari propter quamcunque materiæ mutationem, vel nouam circumstantiam successu temporis, aut in diuerso loco exortam. Sententia tamen hæc generatim sumpta rigorosa est, & non necessaria. Nihilominus verò in præsenti materia est valde probabilis, tum quia vix potest mutatio esse tanta vt sit conueniens Ecclesiæ fieri talem exemptionis diminutionem, vel derogationem, tum etiam quia licèt fortasse in aliquo loco expediat, non inde statim sequitur, ibi esse consuetudinem rationabilem: nam cum hoc priuilegium toti Collegio Clericorum concessum sit, fieri potest, vt illi non expediat, & vt pars secundum rectam rationem propter bonum totius aliquid incommodi sustinere teneatur. Tum præterea quia hæc materia odiosa est laicis, & ideo est morale periculum ne huiusmodi mutationes, vel nouæ rationes ad honestandam talem consuetudinem sine sufficienti causa excogitentur, vel exaggerentur. Imò vt experientia docet in omnibus consuetudinibus, quas iuristæ defendere conantur, re vera non inueniuntur nouæ rationes, præter eas, quæ vel sunt intrinsecæ tali materiæ, vel facilè potuerunt à Pontificibus considerari, quibus non obstantibus, propter grauiores rationes ad bonum religionis, ad vitanda maiora incommoda clericatus pertinentes, tales consuetudines irrationabiles iudicarunt; ergo nunquam potest aliqua talis consuetudo in particulari rationabilis censeri.

D

E

16 Potestque hoc ampliùs declarari, distinguendo inter derogationem aliquam, seu diminutionem exemptionis, & modum introducendi illam per consuetudinem. Fieri enim potest, vt aliqua diminutio exemptionis expediat, & nihilominus modus introducendi illam per solam consuetudinem non expediat, propter moralia pericula, quæ modo dicebamus. Sicut interdum expedit, clericos contribuere ad aliquos sumptus communes ciuium, & nihilominus propter excessus vitandos statuerunt Pontifices, ne ipsis inconsultis id fieret, vnde si aliter fiat, non rationabiliter fit, etiam si contributio ipsa rationabilis esse videatur. Sic ergo, licèt diminutio exemptionis in aliquo casu, vel loco sit rationabilis, consuetudo nihilominus erit irrationabilis, quia modus ille introducendi derogationem priuilegij est periculis expositus, & (vt ita dicam) temerarius, meritoque vt talis reprobatus. Vnde facilè soluitur quædam obiectio suprà facta ex æquiparatione legis, seu priuilegij, & consuetudinis, fieri enim potest, vt superior in aliqua materia possit cõmuni iuri per priuilegium, seu specialem legem derogare, & quod per consuetudinem solam fieri conuenienter non possit, quia nimirum, vt derogatio conuenienter fiat, maior consideratio, & deliberatio necessaria est, quàm in sola consuetudine esse soleat. Et propterea in Bulla Cœnæ postulatur in hac materia expressus & specialis consensus Pontificis, quia regulariter datur cum maiori causæ cognitione, aut deliberatione, quàm tacitus.

Vltima ratio pro hac parte addi potest, quia omnis consuetudo quæ contra immunitatem introduci solet, est consuetudo laicorum, vtique Principium, vel iudicum exercentium actus iurisdictionis in clericos. At consuetudo laicorum, licèt possit iuri ciuili derogare, non tamen iuri canonico, neque etiam potest Clericis aliquod detrimentum inferre: ergo neque potest huic priuilegio derogare. Minor certa est, quia non plus potest consuetudo, quàm lex cæteris paribus, sed lex ciuilis non potest derogare iuri canonico, nec potest clericis grauamen imponere, vel præiudicium afferre; ergo nec consuetudo laicorum hæc potest. Probatur consequentia, quia consuetudo laicorum est merè ciuilis, & in sola authoritate ciuili, & temporali nititur. Vnde est communis doctrina Iurisperitorum, consuetudinem laicorum non posse clericos obligare, vt videre licet in Innocentio in Rubric. de Consuetudin. num. 6. & Panormitano cap. *Quod Clerici*, de Foro Competent. numer. secundo, Felin. in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, de Constitut. numero 100. Hostiens. in Sum. tit. de Consuetud. §. *Et de virtute*, vers. *Sed pone*, & alijs, quos refert Azor tom. 1. lib. 5. cap. 18. quæst. 12. Qui varia iura allegant, quæ magis loquuntur de lege, vel statuto ciuili, sed per æquiparationem inducuntur, vt cap. 1. distin. 10. & dictum cap. *Ecclesia*. de Constit.

17

Adduat præterea, hoc maximè procedere, quando talis consuetudo laicorum derogat Ecclesiæ libertati. Quod etiam notauit Bartholus in l. 1. Cod. de Summa Trinit. & l. 2. Cod. de Legibus & l. *De quibus* ff. de Legibus, & per argumentum ab speciali probari potest ex cap. vltim. de Vita, & honest. Cleric. vbi in speciali casu, in quo clerici abutuntur priuilegio exemptionis, & negotiationibus sæcularibus ad lucrandum implicantur, permittit Pontifex, *vt de suis facultatibus statutis, & consuetudinibus patriæ subiaceant, cùm facto* (inquit) *priuilegium abijciant clericale*: ergo extra huiusmodi casum non potest consuetudo clericos grauare. Imò aduerto, etiam in illo casu necessariam fuisse Pontificiam declarationem, & prohibitionem. Considero etiam, quoad hunc effectum consuetudinem, & legem, siue statutum ciuile ibi æquiparari.

18

Dices, interdum fieri posse, vt consuetudo non tantùm laicorum sit, sed etiam clericorum, vt si non coactè, sed voluntariè laicorum consuetudinem obseruent, eorum adeundo iudicia, vel tributa soluendo, vel in alijs similibus cooperando, tunc enim consuetudo erit mista, seu communis laicis, & clericis, quæ etiam in Ecclesiasticos vim habet. Ad hoc Couarru. in dicto capite 31. concedit, in eo casu consuetudinem, quantum est ex hoc capite, posse derogare Ecclesiasticæ libertati, si alioqui rationabilis sit. Sed in primis existimo, talem consuetudinem vix posse moraliter inueniri, quia licèt vnus, vel alius clericus interdum voluntariè consentiat huiusmodi violentijs laicorum, rarissimè contingit, & nunquam dici potest per modum consuetudinis fieri. Addo verò, etiam si talis consuetudo fingatur

19 *Obiectio.*

Primaresp.

Reiicitur. tur, sententiam Couarruuiæ falsum esse in hac parte. Primò, quia consensus clericorum nihil potest ibi operari: nam est quædam priuata renunciatio priuilegij, quæ vt diximus, nulla est, & nullius efficacię ideoque ad introducendam consuetudinem valere non potest, vt rectè notauit Felinus suprà cum Paulo de Castro cons. 59 Secundò, quia tali consensui Clericorum nunquam assistit voluntas expressa, vel tacita Pontificis, sine qua non potest voluntas clericorum, quantocunque tempore operetur, iuri Pontificio derogare; ergo neque illa consuetudo mista potest habere hunc effectum. Antecedens quoad vtramque partem in superioribus declaratum, & probatum est. Consequentia verò est euidens, quia id, quod additur ex parte clericorum illi consuetudini mistæ, nullum valorem, vel efficaciam eidem addere potest. Quocirca cùm dicitur consuetudo mista posse operari in rebus, vel personis Ecclesiasticis, intelligendum est de consuetudine, quæ non præiudicat sacris canonibus, vel si præiudicat, in illam Pontifex consentit, saltem tacitè, in præsenti autem materia necessarius esset expressus consensus, vt suprà dixi. Tum quia ipsi Pontifices ita voluerunt, & declararunt, tum etiam quia in hac materia non potest præsumi tacitus consensus quia & est valde odiosa pōtificibus, & quia vix posset talis consensus tacitus sine maiori cognitione causæ prudenter, & licitè dari quoties autem consensus non esset prudens, & honestus in Principe, non præsumitur.

Quia verò hic consensus necessarius non est in
20 abrogatione legis quæ fit per modum præscriptionis
Cōtra immu niatē cōsuetudine præscribi nō posse ostēditur. 1. Ratio. ideò probandum supereſt aliud membrum, quod suprà posuimus, nimirum, etiam per viam præscriptionis non posse consuetudinem immunitati Ecclesiasticæ præiudicium afferre. Probatur autem primò, quia nulla consuetudine præscribitur, nisi intercedat bona fides, vt nunc suppono; hic autem non potest bona fides intercedere; ergo neque potest præscribi. Probatur minor, quia talis consuetudo irrationabilis est, & iure Canonico reprobata, quod adeò notum est, vt nō possint Principes, vel iudices sæculares prætextu ignorantiæ probabilis excusari; ergo semper actus talis consuetudinis sunt illiciti, ac proinde mala fide facti; ergo non possunt
Secunda. præscriptionem inducere. Secundò, quia non potest exemptio aliqua ex parte diminui, nisi acquiratur iudici laico iurisdictio aliqua in clericum, quam antea non habebat, quia sicut exemptio est liberatio à iurisdictione, & consequenter est diminutio iurisdictionis in alio; ita è conuerso non potest exemptio diminui ex parte clerici, quin ex parte magistratus sæcularis iurisdictio augeatur. Sed laici non possunt sola præscriptione iurisdictionem supra clericos acquirere; ergo nec clerici possunt propter præscriptionem laicorum aliquid de suo priuilegio amittere. Maior probatur primò ex communi sententia Iuristarum dicentium, laicos non posse præscribere spiritualia, vel quæ spiritualia concernunt, quatenus illis annexa sunt, vt non potest laicus præscribere ius conferendi beneficium, & similia, quæ notant Panormitanus in cap. *Nouit* de Iudicijs, numer. 22. & ibi Decius, numer. 12. & Ioan. Andr. in cap. 2. de Præbend. in 6. Et alij in cap. 2. de Pœnitent. & remiss. in 6. Qui textus solet ad hnc induci, quatenus dicit, facultatem eligendi confessorem non posse præscriptione acquiri: nam videtur esse eadem ratio de cœteris rebus spiritualibus, & in præsenti de iurisdictione supra clericum, quæ licèt in se temporalis videatur, quatenus cadit in clericum, spiritualia concernit.

Ratio autem reddi potest vel eadem, quæ tacta
21 est, quia actus præcedentes ad talem præscriptionem nunquam possunt bona fide fieri, vel, quia præscriptio requirit personam capacem illius rei, quam debet præscribere, laicus autem non est capax administrationis rerum, vel personarum spiritualium, & ideo non potest ius in illas præscriptione acquirere. Quam rationem attingit Panormitanus suprà. Intelligi autem debet de capacitate non absolutè, sed secundùm ordinarium ius: nam laicus non est omnino, & absolutè incapax alicuius Ecclesiasticæ administrationis, vel potestatis in Clericum. Iure autem communi, & potestate ordinaria laicus censetur incapax, quia ex se nullam habet proportionem, & omnia iura illum excludunt, ideoque sola præscriptio non sufficit sine expressa voluntate, & concessione Summi Pontificis. Et in his casibus rectè dicunt Iuristæ, multa posse priuilegio concedi, quæ consuetudine præscribi nō possunt, argumento cap. *Quanto* de Consuetudine.

Vnde etiam potest addi tertia ratio, quia omnis 22
præscriptio requirit iuris adminiculum, per quod a- 3. Ratio.
liquo modo Princeps concedat, vel dominium rei præscribendæ, vel iurisdictionem, si illa est præscribenda, quia mutatio illa, seu acquisitio, quæ fit in præscriptione non potest fieri sine authoritate, & voluntate alicuius superioris. In præsenti autem nullum est ius quod tali præscriptioni adminiculum præbeat: nam ius ciuile nihil in hoc potest, ius autem canonicum omnino resistit, & voluntas Pontificis omnibus modis ei opponitur; ergo non habet locum præscriptio in præsenti materia. Ex dictis ergo satis constat, nullam consuetudinem, etiam si immemorialis sit, vllo modo contra immunitatem Ecclesiasticam præualere posse. Ita enim authores citati conclusionem interpretantur, & rationes & iura adducta in eodem sensu illam confirmant, & difficultates, quæ contra illam occurrere possunt, probādo assertionem, expeditæ sunt. Solùm obijci solent quædam peculiares consuetudines aliquorum regnorum, quæ licèt sint contra immunitatem Ecclesiasticam, sine scrupulo à Magistratibus laicis obseruantur. Ad illas verò possemus vno verbo respondere, illas consuetudines non ad ius, sed ad facta hominū pertinere, propter quæ veritatem negare non possumus, neque illorum rationem, aut excusationem dare tenemur, sed ad illos hoc spectat, qui consuetudines illas obseruant, fortasse tamen in capite vltimo, pauca de illis adijciemus.

CAPVT XXXIII.

QVIBVS MODIS POSSIT IMMVNITAS Ecclesiastica violari.

HActenus illa omnia, quæ ad explicandam, & tuendam immunitatem Ecclesiasticam, 1
clericorumque exemptionem opportuna visa sunt pro viribus explicare conati sumus, nunc duo tantùm tractanda supersunt. Vnum est, quod proposuimus, quibus modis immunitas hæc violari soleat: aliud quibus modis excusari hoc crimen soleat. Circa primum supponimus, huiusmodi violationem ex se malam, & ex genere graue peccatum esse, quia vel est immediate contra ius diuinum, vel saltem contra ius canonicum sub grauissimis censuris, & pœnis hanc violationem prohibens. Et illo iure posito est etiam contra iustitiam, quia & est vsurpatio iurisdictionis non habitæ, & est coactio aliqua, vel exactio sub titulo potestatis legitimæ, sine vera iurisdictione, ac potestate facta. Denique includit etiam culpam sacrilegij, quia iniuria illa circa personas, vel materiā sacram versatur, & quia prohibitio illa intuitu Religionis, & diuini cultus facta est. De hac ergo culpa quoad speciem & grauitatem eius nihil supereſt dicendum: nam suppositis, quæ de iure huius immunitatis hactenus dicta sunt, grauitas, & species culpæ clara est, si de violatione immunitatis constet. Quia verò hæc violatio varijs modis fieri potest,

potest, & in aliquibus obscura esse potest transgressio, seu violationis ratio, ideo de hac varietate, quæ in modis violandi libertatem esse potest, pauca dicemus. Et quia interdum actio, quæ contra libertatem Ecclesiasticam esse videtur, excusationem aliquam, veram, vel prætensam habere solet, ideo de his excusationibus nonnulla in sequenti capite expendemus. Videbatur autem consequens, vt pœnas & censuras, quæ per hanc transgressionem incurruntur, explicaremus, quia verò in libro de Cẽsuris sufficienter de illis diximus, ab earum tractatione in præsenti abstinemus.

2. *Proponitur duo modi immunitatem violandi.*

Primò ergo possumus duos modos distinguere, quibus immunitas clericorum violari solet, scilicet, vel legibus, vel actionibus: hos enim duos modos multa iura indicant, & pœnis diuersis puniunt. Prior est, quando Principes, vel Magistratus ciuiles leges, vel statuta condunt contraria Ecclesiasticæ libertati. Quod duobus etiam modis contingere potest. Primò, quia lex specialiter dirigitur ad personas, vel res Ecclesiasticas, vel licet lex generalior sit, ad eas peculiariter extenditur. Talis enim lex eo ipso repugnat libertati Ecclesiasticæ, etiam si id, quod disponit, non sit contra Ecclesiæ commoda; imò etiam si alioqui esset rationabilis dispositio talis legis, & Ecclesiæ conueniens, si debita potestate lata fuisset. Ita sumitur ex cap. 2. de Iudicijs, & cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, & cap. *Quæ in Ecclesiarum*, de Const. & cap. *Bene quidem*, cum alijs, 96. dist. & est communis resolutio, vt suprà tactum est, & latius in materia de legibus. Et ratio est, quia Princeps laicus ferens talem, per ipsam se exhibet superiorem, & legislatorem in rebus Ecclesiasticis; ergo eo ipso per talem actum contra exemptionem agit. Et quia hæc contrarietas non tam in obiecto legis, quam in ipso actu præcipiendi consistit, ideò vocari potest hic modus formaliter contrarius libertati Ecclesiasticæ. Et ob eandem causam non habet locum hic modus læsionis quando laicus priuilegium concedit clericis, quia tale priuilegium non includit præceptum respectu priuilegiati, neq; per se est actus iurisdictionis, vt suprà diximus.

3. Aliæ verò sunt leges, quæ dici possunt contrariæ libertati Ecclesiasticæ obiectiuè, quia præcipiunt aliquid fieri, quod est contra statum Ecclesiasticum, vel eius exemptionem, siue præceptum dirigatur ad laicos respectu clericorum, vt verbi gratia præcipiendo illis, vt à clericis exigant tributa, aut quid simile; siue dirigantur ad ipsos clericos, præcipiendo eis, vt soluant vectigal, vel coram iudice laico compareant, & tunc lex dici potest habere vtramque repugnantiam, & formalem, & obiectiuam. Et huiusmodi leges, quæ obiectiuè sunt contra libertatem Ecclesiasticam, præcipuè in iure prohibentur, & puniuntur, præsertim in cap. *Nouerit*, de Sentent. excommunicat. & in Authentica *Cassa, & irrita*, Cod. de Sacrosanct. Eccles. quamuis illa, & similia iura non immeritò possint ad omnes leges quomodocunque contrarias libertati extendi, quia verba eorum generalia sunt.

4. *Quando percussio clerici sit contraria priuilegio fori.*

Circa aliud verò membrum de violatione immunitatis per facta hominum solùm occurrit adnotandum, sub illo nunc non comprehendi percussiones, seu violentas manus in clericum: nam licèt actiones illæ sint contra immunitatem generatim sumptam, non sunt contra priuilegium fori, de quo nunc tractamus, sed contra priuilegium canonis. Quod tamen intelligendum est de illis actionibus, quatenus in sola violentia, & priuata iniuria consistunt, nam si fiant sub titulo iurisdictionis, & potestatis publicæ, erunt contra priuilegium fori, & habebunt vtramque malitiam, vt si iudex secularis, aut ministri eius per vim clericum detineant, & vinculis, aut carceri tradant. Idemque iudicium est (seruata proportione) de actionibus contra immunitatem Ecclesiarum, quatenus sunt loca refugij, seu quatenus sunt loca sacra, quæ per iniuriam, vel indecentes actiones violari non debent: nam si tales actiones fiant, non iurisdictionis titulo, sed per priuatam iniuriam, seu malitiam, quamuis lato modo sint contra immunitatem, nihilominus sunt sacrilegia alterius rationis, vt in principio huius materiæ diximus. Omnia ergo facta, quibus libertas Ecclesiastica propriè læditur, ad duo capita reducuntur nimirum, ad actiones forenses, & iudiciorum tam ciuilium, quam criminalium, quę circa clericos tanquam reos exercentur, & ad exactiones tributorum, vel coactiones, quæ eisdem personis fiunt in aliquibus oneribus publicis eis imponendis. Et ita hæc duo genera actionum specialibus pœnis, & censuris prohiberi solent in iure in titulis de Immun. Eccles. maximè verò in Bulla cœnæ clauſ. 15. 18. & 19.

5. *Modi hoc ius violandi legibus ciuilibus.*

Secundò distinguendi sunt alij duo modi violandi Ecclesiasticam libertatem, qui tam in legibus, quam in factis possunt contingere, maximè verò in ferendis legibus ciuilibus libertati Ecclesiasticæ contrarijs obseruari solent. Prior modus est, quando directè, & manifestè aliquid fit, vel disponitur contra clericorum exemptionem, & de hoc modo nihil addere oportet, quia & per se facile cognosci potest, & ille maximè in iure reprobatur. Committitur enim quasi per expressam contradictionem, vel contrarietatem ad legem, quæ iubet talem exemptionem seruari. Vt si lex ciuilis directè præcipiat clericis, vel si iubeat, eos sub tributis comprehendi, vel si iudex laicus clericum ad comparendum coram se citari iubeat, & sic de cæteris. Alius modus est violationis indirectæ, qui & difficilius cognoscitur, & eius malitia obscurior est. Habet tamen fundamentum in iure cap. vltim. de Immunitat. Eccles. in 6. vbi dicitur, excommunicationem incurrere illos sęculares Magistratus, qui laicis subditis suis præcipiunt, ne clericis vendant, aut ab illis emant, vel ne eorum triticum molant, aut aliqua similia obsequia eis exhibeant, & ratio redditur, *quia talia in derogationem Ecclesiasticæ libertatis præsumuntur*. Per quæ verba declaratur, illam esse indirectam violationem libertatis Ecclesiasticæ, quia licèt talia statuta, vel præcepta directè non ordinarentur, ad clericos quoad verba, quoad intentionem verò, & effectum fraudulenter, vt ait ibi Glossa, transitum faciebant de persona, ad personam, loquendo cum laico, & grauando clericum. Similis decisio est in cap. *Quanto* de Priuileg. vbi de quibusdam, qui cùm non possent excommunicare Monachos, excommunicabant eos, qui cum Monachis communicarent, dicitur: *Priuilegiorum non vim, & potestatem, sed verba seruantes, monachos quodammodo excommunicant, quando alijs prohibent, ne cum ipsis communicent.* Et ita dicuntur ibi similia fieri in fraudem priuilegiorum, vbi non tantum est sermo de proprio priuilegio immunitatis Ecclesiasticæ, sed latius de quocunque priuilegio, à fortiori tamen in præsenti definitio illa locum habet.

6. *Quid illicitum Ecclesiastica indirectè violare.*

Hanc ergo fraudulentam, & latentem læsionem Ecclesiasticæ libertatis indirectam vocamus, potestque describi, vt sit illa, quæ fit per verba, vel actiones, quæ licèt verſentur directè circa personas laicas, nihilominus ordinantur ad grauandum clericos, vel vniuersalius dici potest, indirectè fieri violationem, quando verbis non apparet, tamen re ipsa fit. Sicut dicitur quis violare legem indirectè, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem, vt dicitur in regula vltim. de Regulis iuris in 6. & in l. *Contra legem*. ff. de Legibus, & in l. *Non dubium*, Cod. de Legibus, quia vis, & potestas legis magis in voluntate iubentis, quàm in verbis posita est.

est. Hæc autem fraus, seu indirectum grauamen multis modis fieri potest, qui non videntur posse sub numero certo comprehendi, quia per humanam sagacitatem, & malitiam possunt facilè multiplicari, ideoque prudenti iudicio, consideratis circunstantijs discernendum est, an moraliter æquiualeant directis grauaminibus. Et quoad forum conscientiæ pendere hoc multum potest ex intentione operantis, seu præcipientis: nam si id faciat, vt quod sibi est directè prohibitum facere circa personâ clerici, per illum circuitum, etiam inuito clerico, consequatur, magnum signum est indirectæ violationis.

Vt autem violatio hæc indirecta, & malitia eius magis explicetur, interrogari potest, an hæc sit vera, & in re ipsa subsistens violatio libertatis Ecclesiasticæ, malitiam eiusdem rationis, & speciei participans; an verò sit tantum præsumpta, quia ex circunstantijs externis talis apparet, quamuis si animus, vel intentio prauа desit talis in re ipsa non sit. Hanc enim posteriorem partem videtur docere Caietanus in summa verb. *Excommunicatio* cap. 31. ait enim, tunc legem ciuilem esse contra libertatem Ecclesiasticam, quando per se, & intentione sua contra illam tendit, quia voluntas, & intentio distinguit maleficia, & quæ sunt per accidens sub artem non cadunt. Ad explicandum autem, quando lex ciuilis talis sit, adiungit, id non esse difficile scientibus, *idem esse per se, quod ex propria natura, & intentione*, quod exéplis declarat dicens: *Sicut detractio contra famam, contumelia contra honorem, homicidium cõtra humanam vitam, ita statuere quòd clericis non dentur decimæ, aut eleemosynæ, quòd non possint iudicare in causis Ecclesiasticis, quòd soluant vectigalia de rebus suis absq; negotiatione, & similia, est contra libertatem Ecclesiasticam.* Quæ omnia exempla, si quis ea rectè consideret, ad directam oppositionem, & violationem Ecclesiasticæ libertatis pertinent, atq; ita indicat Caietanus, solam illam legem esse per se, & natura sua contra libertatem Ecclesiasticam, quæ directè cõtra illam disponit. Vnde in eodem verbo cap. 37. ait, actiones prohibitas in dicto cap. vlt. de Immun. Eccleſiar. in 6. non esse propriè contra libertatem Ecclesiasticam sed contra humanam societatem. quia verò in odiũ Ecclesiæ fiunt, præsumi contra libertatem Ecclesiasticam fieri.

7. 1. *Opinio.*

8 Et hanc opinionem sequitur. Nauar. in sum. cap. 27. n. 119. & 120. Fundantur primò, quia dictum c. vlt. vtitur verbo præsumendi, dicens, *Cum talia in derogationem Ecclesiasticæ libertatis præsumantur.* Secundò quia cum actio ipsa, seu verba legis directe non lædant libertatem, transgressio, & derogatio pendet ex intentione facientis: si enim id faciat animo grauandi clericos, erit violatio libertatis; si autem id faciat propter suum commodum permittens grauamen aliorum, non erit contra libertatem, quamuis interdum esse possit contra charitatem, vel cõtra humanam societatem. Cum ergo de intẽtione non possit constare, neque etiam certò iudicari potest, sed ad summum præsumi violatio libertatis Ecclesiasticæ, quatenus talis intentio ex circũstantijs externis præsumi potuerit. Vnde iuxta hanc sententiam, si cõtingat, veritatem non subesse præsumptioni, in conscientia non erit violatio libertatis.

9. *Contraria sententia eligitur.*

Nihilominus contrariam sententiam veram censeo, quam apertè tenet Glossa in illo cap. vlt. ibi communiter probata, & in dicto ca. *Quanto*, vbi bene Panormitanus. Sumitur etiam ex communi sententia Barto. in Authentica *Cassa*, C. de Sacrosanct Eccles. & aliorum dicentium, omnem legis ciuilis dispositionem, per quam clerici redduntur timidiores, esse contra libertatem Ecclesiasticam, non præsumptiuè tantum, sed verè, & propriè, vt in superioribus explicauimus. Probatur autem primò ex dicto cap. *Quanto* de Priuil. leg. vbi non dicitur, similes sententias, aut dispositiones legum præsumi, sed esse in fraudẽ priuilegij, & per illas obseruari verba, non vim, & potestatem priuilegij; ergo si nõ seruatur, violatur vis, & potestas priuilegij, hæc autem est vera non præsumpta violatio.

Probatur 1.

10 *Secundo.*

Vnde argumentor secundo ex generali principio legis, *Non dubium* in quo Pontifex in illo textu fiidatur. *Non dubium est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem,* vbi non dicitur præsumi, cõmittere in legem, sed certum esse cõmittere, vt dicitur etiã in vltima regula iuris in 6. at cõmittere in legem, est contra legẽ peccare, aut agere, vt constat ex proprietate verbi Latini, & ex glossis, & communi expositione in citatis iuribus, præsertim ex Bart. in dicta. l. *Non dubium.* Imò addit Gloss. in c. *Si postquam* de Elect. in 6. verb. *Mente*, eadem pœna puniri, qui in legem committit per fraudem, & sub verborum cortice, ac illum, qui aperte, & directè contra legem agit; ergo eodem modo verè, & propriè violat legem, seu priuilegium immunitatis, qui indirectè illam violat, quia in fraudẽ priuilegij agit, vt in dict. cap. *Quanto* dicitur. Tertio est propria ratio, quia in moralibus voluntas indirecta ad directam reuocatur, eandemq; speciẽ malitię participat, vt est primum principium in materia morali: nam voluntarium directum, & indirectum ad idem reducũtur, vt non impedire nocumentum, cùm possis, & debeas, perinde est, ac directe nocere, & sic de alijs. Sic ergo in præsẽti parum refert, quòd violatio sit indirecta, si in re eundem habeat effectum. Et cõfirmatur, qui aliàs vel inutile esset priuilegium, vel saltẽ multum minueretur, si per vnam viam quasi obliquã (vt sic dicam) liceret, quod directè, & simpliciter est per priuilegium prohibitum.

11 *Satisfit fundamentis oppositæ sententiæ.* *Primo.*

Ad fundamentum contrariæ sententiæ de verbo, *Præsumantur*, quo vtitur dictum cap. vlt. respondeti potest primò, interdum vocari præsumptionem illã, quæ sub aliqua fraude, vel simulatione fit, etiam si verè fiat, & non tantùm fieri præsumatur. Secundo verò, & meliùs dicitur, ibi verbum præsumendi non significare iudicium, vel suspicionem, quę de tali facto ex cõiecturis eius desumitur, sed significare modum operandi ex certa scientia, & deliberatione, vel quadam animi arrogantia, ac temeritate. Nam vsus huius verbi in hac significatione valde communis est in iure canonico, & ita sumitur in illo textu, imò bis in eadem significatione ibi ponitur, primò in narratione facti, ibi, *aut alia obsequia eximere præsumant*, & iterum in reddenda ratione iuris, seu excommunicationis latæ ibi: *Cùm talia in derogationem Ecclesiasticæ libertatis præsumantur*, vtique non à iure, sed ab illis, qui talia facere, vel præcipere præsumunt, sicut priùs dictum fuerat. Vnde ille textus sic expositus potiùs confirmat, quod diximus, nam talia puniũtur vt verè, & ex ptæsumptione contra libertatem Ecclesiæ facta. Addi etiam potest, quòd licèt illa de se non esset vera violatio libertatis Ecclesiasticę, ex vi illius textus prohibentis illam, iã esset vera violatio libertatis. Sed licèt hoc ex hypothesi verè dictum sit, simpliciter non censeo, similes actiones esse cõtra libertatem Ecclesiasticam, quia ibi prohibentur propter periculum, & præsumptionem, sed potiùs è contrario, ibi prohiberi sub censura speciali, quia re vera de se sunt violationes libertatis ecclesiasticæ: nã hæc ratio ibi redditur, & supponitur in re subsistisse ante illam legem.

12 *Secundo.*

Ad secundum respondeo, sicut rectè Caietan. citato loco de violatione directa dixit, non pendere ex intentione operantis, sed operis, ita etiam dicendum esse de violatione indirecta. Nam si legislator ciuilis ferat legem, quæ re vera sit contra libertatem Ecclesiasticam, saltem indirectè, quamuis non intendat clericorum nocumentum, sed suum, vel suorum ciuium commodum, contra libertatem Ecclesiasticam peccat, quia, vt dixi, in materia morali eadem est ratio de directo, & indirecto. Si autem legislator

ciuilis directè tale grauamen imponeret, contra libertatem Ecclesiasticam ageret; ergo idem est licèt indirectè id faciat. Quapropter non potest illa dici tantum permissio, quia magistratus ciuilis tenetur simpliciter vitare tale grauamen clericorum. Alioqui si in casu dicti cap. vltim. laici illas actiones prohiberent, non intendentes grauamen clericorum, sed suum commodum, non agerent contra libertatem, nec illam censuram incurrerent, quod absurdum est.

B Ad melius autem intelligendam hanc indirectam violationem immunitatis, oportet aduertere, non differre à directa in materia; imò necessarium esse, vt in eadem materia versetur, vtique prohibita per immunitatem, ita vt differentia solũ sit in modo, nam in vna violatione actio, vel lex recta tendit ad personam clerici, in altera verò, scilicet, indirecta, solum per circuitum. Siquis tamen attentè consideret, semper illam attingit, saltem in obliquo, vt cum lex prohibet laico, ne vendat necessaria clerico, &c. Imò licèt quoad obligationem legis non directè imponatur clerico, quoad effectum ita in illum redundat, vt vel talem effectum directè efficiat, si onerosus sit, vel indebitè impediat, si sit fauorabilis, & debitus. Sicut qui impedit alium, ne mecum communicet, me directè priuat communicatione illius, vel saltem iniquè illam impedit, & qui prohibet, vel detinet notarium, ne adsit testamento Clerici, satis directè impedit clericum, ne testamentum facere possit, & multa similia in Glossis, & legibus tractatis videri possunt, quę sub illa generali regula comprehenduntur, *Non refert cum quo lex loquatur, sed in quem intentio legis dirigatur*, Lex. *Cum pater*. §. *Donationis*. ff. de legat. 2.

CAPVT XXXIV.

QVIBVS MODIS ACTIONES CONtra libertatem Ecclesiasticam excusari soleant, & quid de illis iudicandum sit.

1 CVm laici Magistratus, & iudices frequenter Ecclesiasticam immunitatem inuadere soleant, varias rationes excogitarũt, quibus actiones suas honestare, & à sacrilegij, & iniustitiæ crimine excusare valeant, quas in fine huius libri proponere, & examinare necessarium duxi. Sex autem huiusmodi excusationes excogitatas inuenio, quæ sũt ignorantia, necessitas, consuetudo, pactum, seu concordia, priuilegium, & iusta defensio, de quibus sigillatim dicendum est.

Sex modi quibus immunitatis violatio excusatur.

Ignorantia.

2. DE prima ignorantiæ excusatione pauca dicere necessarium est, quia propriè loquendo nó est ex his, quas nunc inquirimus. Duobus enim modis potest cogitari excusatio in huiusmodi actionibus, quæ videntur libertatem Ecclesiasticam lædere. Primò vt talis sit excusatio, quę reddat actionem in re ipsa licitam, & validam, sitque tanquam exceptio quædam à generali priuilegio exemptionis alio modo potest excusatio talis esse, quæ sufficiat excusare personam à culpa. licèt actio ipsa per se spectata praua sit, quatenus est priuilegio contraria. Hic ergo præsertim inquirimus prioris generis excusationem, & sic excluditur ignorantia, quia licèt interdum fortasse possit operãtem à culpa liberare nihilominus non dat iurisdictionem, & ita nec reddit actum secundum se, aut licitum, aut validum. Illo autem modo, quo ignorantia potest culpam impedire, excusatio illa generalis est omnibus delictis, & ferè nihil speciale de illa in præsenti dicendum relinquitur. Duplex enim ignorantia hic interueni- A re potest, vna facti, altera iuris. Prior duobus modis accidere potest, primò ex ignoratione personæ, circa quam actio versatur, vt si laicus clericum capiat, aut iudicet, putans esse laicum. Et hoc genus ignorãtiæ interdum excusare potest à culpa, quia potest esse inuincibilis, an verò in particulari talis sit, in foro conscientiæ standum erit confessioni partis, seu pœnitentis, & ex circunstantijs ab eo propositis ferendum erit iudicium, in foro autem externo ex legitimis indicijs, & probationibus. In casu autem dubio, an talis persona pro Ecclesiastica habẽda sit, nec ne, vel an gaudeat priuilegio clericali, ad quem iudicẽ, laicum, vel Ecclesiasticum talis causæ cognitio pertineat, tractant Iurisperiti, ad quos illa materia pertinet. Vera tamen resolutio est, pertinere ad iudicem Ecclesiasticum, quia materia illius iudicij Ecclesiastica est, vt definitur in cap. *Si iudex*, de Sentent. excom. in 6. vbi ferè omnia, quæ in simili dubitatione fieri debent, statuuntur, & videri possunt, quæ latè tractat Couar. in lib. Practicar. quæstion. cap. 33.

Alius modus ignorantiæ esse potest circa materiam ipsam, circa quam actio, vel iudicium versatur, quia nõ existimatur Ecclesiastica, vel spiritualis, vel non creditur ad exemptionem pertinere. Hæc tamen ignorantia interdum nasci potest ex solo defectu cognitionis ipsius materiæ, de qua tractatur, & tunc est propria ignorantia facti, idemque iudicium de illa ferendum est, quod de ignorantia personæ: nam est eadem ratio. Aliquando verò illa ignorantia, vel dubitatio occurrit ex varietate opinionum circa ius ipsum, quomodo sæpe est inter Doctores controuersia, an hæc, vel illa actio sit contra libertatem Ecclesiasticam, vel an cognoscere de culpa periurij commissi à clerico testimonium ferente in iudicio sæculari, sit eiusdem sæcularis fori, vel Ecclesiastici, & similia, quorum dubitatio ad ignorantiam iuris reuocatur. 1

Circa ignorantiam ergo iuris aduertendum est, aliquando oriri tantùm ex defectu personę, vt quando in reipsa satis constat aliquid contineri sub iure exemptionis, qui verò in contrarium operatur illud ius nescit, & ideò ignoranter exemptionem violat. Aliquando verò ignorantia, vel incertitudo oritur ex re ipsa quia videlicet, ius ipsum occultum est, ita vt etiam apud peritos, & post diligentem inquisitionem ius dubium sit, vel sub opinione constitutum. Quando ergo ignorantia iuris est prioris modi, vix reputari potest inuincibilis, saltem in ipsis Principibus, vel iudicibus laicis, tum quia ex vi sui muneris tenentur vel ius scire, vel ab his actionibus abstinere, tum etiam quia supponitur tale ius esse satis publicum, & manifestum, ideoque vix credi potest, huiusmodi personas illud inuincibiliter ignorare, sed vel ex negligentia valde supina, vel, quod frequentius fortasse contingit, ex affectata nescietia, vt exercere possint iurisdictionem, quam valde affectant. Dico autem *vix* propter conscientiæ forum, nam in externo, & Ecclesiastico foro talis excusatio (vt opinor) nunquam reputabitur sufficiens, tamen in foro conscientiæ aliquando poterit iuxta operantis intentionem, & occurrentes circumstantias admitti. Dixi etiam hoc præcipue habere locum in ipsis Principibus, eorumvè Consiliarijs, & iudicibus, qui ius scire possunt, & debent, quia inferiores ministri faciliùs possunt per ignorantiam excusari, iuxta vulgarem regulam cap. *Qui culpatur*. 23. q. 1. At verò quando ignorantia, vel dubitatio circa ius prouenit ex rei ipsius difficultate, & opinionum varietate, tunc si nihil certum, & exploratum possit ex sacris canonibus colligi, seruandæ sunt generales regulæ de opinionum delectu, & in hac materia est valde obseruandum, vt in fauorem Religionis, & consequenter in fauorem exemptionis amplietur potiùs, quàm restringatur Ecclesiastica

Ignorantia iuris vnde proueniat.

ſiaſtica immunitas. Et iuxta hæc iudicandum eſt de multis ſingularibus caſibus, quos congerit Azor tom. 1. lib. 5. cap. 13. & 14.

Neceſſitas.

5 SEcunda excuſatio *ob neceſſitatem*, valde ordinaria eſt in hac materia, fundaturq; in illo principio, quòd neceſſitas caret lege. Contingere enim poteſt, vt ad commune bonum reipublicę neceſſarium ſit, aliquid agere contra immunitatem clericorum; ergo tunc ius immunitatis non obligabit. Et confirmatur, quia hoc ius, ſaltem vt applicatum, & determinatum ad talem materiam, vel actionem, nō eſt diuinum, ſed humanum, ſed omne ius humanum, B etiam ſi canonicum ſit, poteſt in particulari caſu ceſſare per epijkiam propter occurrentem neceſſitatem, propter quam contingere poteſt, vt ſeruare ius humanum in tali caſu ſit contra ius naturale, ergo & in preſenti. Exemplum optimum eſt in cap. *Peruenit*, de Immunit. Eccleſiar. vbi dicitur, tempore magnæ neceſſitatis non excuſari clericos à vigilijs in muris ciuitatis. Et ſimile eſt in materia tributorum, quando ad ſubleuandam communem neceſſitatem laici non ſufficiunt, niſi clerici contribuant. In materia etiam fori iudicialis ſolet eſſe commune exemplum quando deeſt iudex Eccleſiaſticus muneri ſuo, & laici, vel clerici magnum detrimentum patiuntur, C tunc enim propter neceſſitatem poterit iudex laicus cauſas expedire, etiam ſi in eis clerici rei ſint, vt multi iuris canonici interpretes affirmarunt cum Gloſſa in cap. *Filijs, vel nepotibus*, 16. quæſt. 7. vt latiùs ibi, & in cap. *Qualiter, & quando*, de Iudicijs tractari ſolet. Et maximè vrgere poteſt hæc neceſſitas ſi Eccleſiaſticus iudex omnino non inueniatur legitimus, vt in terris hæreticorum, & ſchiſmaticorum ſæpe poteſt accidere.

Nihilominus tamen exiſtimo, non eſſe hanc excuſationem, moraliter loquendo, neceſſariam, ſaltem 6 intra catholicam Eccleſiam. Probatur hæc aſſertio D *Quid de hac excuſatione ſentiendū ſit* primò quaſi inductione quadam diſcurrendo per caſus inſinuatos, ad quos omnes alij, qui excogitari poſſunt, reducuntur. Aut enim neceſſitas eſt in materia tributorum, vel in materia, ſeu cauſis fori iudiciarij. In priori materia ſuprà oſtenſum eſt, nunquam propter neceſſitatem poſſe clericos cogi à laicis ad tributa ſoluenda. Nam ſi aliquando tenentur contribuere, vel opus aliquod communis oneris ſuſtinere, non eſt ex vi legis imponentis tributa, ſed ex aliqua obligatione charitatis, aut cōmunis iuſtitiæ, & iuxta canonum diſpoſitionem. Vnde in huiuſmodi caſibus E non poſſunt clerici per iudices ſæculares ad ſatisfaciendum huic obligationi compelli, ſed per ſuos Prælatos, & ſecundum canonicum ius. Quòd ſi ipſi Prelati ſuo muneri ſatisfacere nolint, ad Pontificem recurrendum eſt, vt eos compellat. Quòd ſi ſit periculū in mora, quia extrema, vel grauis neceſſitas boni cōmunis auxilium clericorum ſtatim requirit, tūc non per modum iuriſdictionis, ſed per modum defenſionis licere poterit, quod recta ratio ad ſubueniendum communi bono, vel impediēdum damnum imminens, neceſſarium eſſe dictauerit. Et ita in eo caſu excuſatio reducitur ad alteram, quę ſub nomine iuſtę defenſionis ponitur, & infrà tractabitur, declarabiturque non continere propriam excuſationem, seu F exceptionem à generali priuilegio, ſed eſſe aliam ſpeciem actionis ad priuilegium non pertinentem.

7 Eadem fere ratio eſt de caſibus in materia iudiciali occurrentibus: nam in primis in cap. 13. oſtenſum eſt, non poſſe iudicem laicum propter negligentiam iudicis Eccleſiaſtici in cauſis clericorum ſe intromittere, quia manifeſtè repugnat iuri Canonico. Nec ex illa negligentia ſufficiens neceſſitas inſurgit, nam ſi iudex Eccleſiaſticus fuerit negligens, ſuperiorem habet, à quo emendari poſſit, & debeat. Quòd ſi proximus ſuperior etiam neglexerit, ad aliquem eiuſdē ordinis magis remotum recurrendum erit, & ita vſque ad Romanum Pontificem, in quo tanquam in ſupremo capite ſiſtēdum eſt: nam ſi ipſe neglexerit, nō eſt per Regem cogendus, ſed rogandus, vel cum debita ſubmiſſione monēdus, vt in principio libri præcedentis dictum eſt. Sicut in republica merè tēporali, ac ethnica, vel nunc in Anglia, ſi iudices Regij in vna prouincia negligentes eſſent in adminiſtranda iuſtitia, non poſſent Magiſtratus alterius prouinciæ ad ſupplendam horum negligentiam in eorum territorijs iudicia vſurpare: multoque minus poſſent inferiores iudices eiuſdem prouinciæ de ſuperioribus ſuis ius dicere, aut eorum tribunalia titulo neceſſitatis vſurpare, quia eſſet ſumma confuſio, & iniuriarū occaſio. Ergo neceſſarium tunc eſt, aliquem ſuperiorem Magiſtratum, vel ſenatum adire, vel ſi non ſufficiat, vſque ad Regem procedere. Quòd ſi Rex ipſe negligens ſit, profectò nollent Reges, vt inferiores ſibi ſubditi iudicia ſua emendent, aut vſurpent. Cur ergo volent, vt ſæculares iudices Eccleſiaſticas cauſas ſibi arrogent ſub prætextu negligentiæ Eccleſiaſticorum iudicum? aut cur potiùs negligentia, vel iniquitas in Eccleſiaſticis iudicibus, quàm in ſæcularibus timetur? Imò verò quia contrarium potiùs preſumendum eſt, & quia in Chriſtiana, & catholica republica Prælati Eccleſiaſtici ſunt ſuperiores laicis iudicibus, ſeu Magiſtratibus, ideò iuxta canones poſſunt Prælati ſupplere negligentiam laicorum, non autem è conuerſo, vt in eodem cap. 13. declaratum eſt.

Atque hinc poſſumus vniuerſaliter colligere, nūquam poſſe ſæcularem iudicem vſurpare iuriſdictionem in clericum prætextu neceſſitatis, quandiu aliquis prælatus Eccleſiaſticus, ſiue proximus, ſiue remotus adiri potuerit. Ratio generalis eſt, quia ſola neceſſitas non dat iuriſdictionem; ſine iuriſdictione autem non poteſt vſurpari iudicium; ergo nec ſub prætextu neceſſitatis poteſt aliquid fieri contra priuilegium fori clericorum. Patet conſequentia, quia non ceſſat exemptio in aliqno caſu ex parte clerici, niſi iuriſdictio laici in eodem caſu augeatur. Antecedens autem quoad poſteriorem partem per ſe notum eſt, quoad priorem verò, probatur, quia iuriſdictio requirit poteſtatem, & voluntatem ſuperiorem, à qua proueniat: nam licēt vnus homo indigeat correptione, aut pœna, & deſit ſuperior, qui poſſit illum coercere, non ideo poteſt alius priuatus iuriſdictionem in illum vſurpare, ſed ad ſummum tunc ea licēt, quæ ad iuſtam, & moderatam defenſionem fuerint neceſſaria, aliàs non poſſet pax, & iuſtitia in humana ſocietate. Sola ergo neceſſitas vt ſic, nunquam dat iuriſdictionem, ideoque neque ad excuſandam violationem immunitatis ſufficit. Quomodo autem ad iuſtam defenſionem ſufficiat, infrà videbimus.

8 *Clericū, ſi cōrā aliquo ſuperiore ſuo conueniri poſſit, nō poſſe ſe à laico iudicari cōcluditur.*

Solùm ſupereſt caſus ille vltimo loco propoſitus 9. quando clericus verſatur inter paganos, vel hæreticos, vbi nulli ſunt Prælati, vel iudices veram Eccleſiaſticam iuriſdictionem exercentes. Et tunc in primis dicendum eſt, ſi ſtatus ille ſit durabilis, & valde generalis in aliqua prouincia, cōſulendum eſſe ſummum Pontificem, ſi fieri poſſit, vt remedium adhibeat, quia ipſe eſt ſupremus iudex, & ibi alius propinquior deeſt. Si verò aut caſus eſt particularis, & extraordinarius aut non datur locus conſulendi Pōtificem, aut exequendi mandata eius, tunc caſus reducitur ad terminos iuris naturalis, vel gentium, & ideo licebit vti remedio quōcunque honeſto ſecundum rectam rationem. Vel dici etiam poteſt, tunc poſſe conueniri clericum coram iudice laico iure defenſionis, quia ille tunc eſt modus ſuauior ſe defendendi, vel ius ſuū conſeruandi, aut recuperandi, aut etiam communi bono conſulendi.

TErtia excusatio erat consuetudo, de qua multa in superioribus diximus, quibus non obstantibus, Doctores frequenter hoc solo nomine varias actiones exemptioni repugnantes, quæ in varijs locis sunt in vsu, excusare conantur. Quales sunt punire clericum ob crimen læsæ Maiestatis, de qua consuetudine testatur Iulius clarus, & illam dicit posse excusari per cap. *Perpendimus*, de sentent. excommunicat. supra allegatum. Vnde videtur illam consuetudinem ad iustam defensionem reuocare, quia cùm crimen illud mortem Principis intentet, iure defensionis videtur Princeps, posse traditorem per suos ministros, vel iudices interficere. Alia consuetudo referri solet de clerico, qui coram iudice sæculari testimonium dicens, de periurio conuincitur, vt possit ab eodem iudice laico puniri, quando cognitionem de tali crimine ipse præuenit, quam consuetudinem in Gallia seruari, refert Couarr. in Pract. cap. 18. num. 8.

Alia dicitur esse in Gallia Consuetudo, nimirum, vt clerici in actionibus realibus coram iudice sæculari coueniantur, quam defendit Ioannes Garsia de Nobilit. gloss. 9. num. 49. cum Fabro, & alijs quos refert. Et similiter est ibi consuetudo, vt de quibusdã delictis grauibus iudices laici contra clericos cognoscant. Item vt clerici portantes arma prohibita, vel tempore prohibito, illis per Magistratum ciuilem priuentur, consuetudine receptum est, & defenditur, vt videre licet in Couarruuia dict. lib. Practic. cap. 33. circa fin. & lib. 2. Var. cap. vltim. in fin. Iul. Clar. suprà num. 16. Salced. in Practic. cap. 55. In Hispania etiam solét clerici ministri Regis, qui sunt à consilijs eius de delictis, vel defectibus in suis officijs commissis visitari, inquiri, ac puniri. Et in multis dubijs, & controuersijs inter iudices Ecclesiasticos, & laicos, vel in causis, in quibus subditi, seu vasalli à Prælatis, vel iudicibus Ecclesiasticis grauari conquèruntur, Regia tribunalia indicant. Hæc autẽ, & multa similia, quę authores referunt, sola consuetudine defenduntur, vt videre licet in Couar. suprà à cap. 31. vsque ad 35. & Nauarr. in cap. *Nouit* de Iudicijs notab. 13. num. 31. & Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 13. & 14.

Nihilominus dicendum est, hanc excusationem consuetudinis nunquam esse posse sufficientem, si actus verè sit contra libertatem Ecclesiasticam, & consuetudo per similes actus introducta sit. Hoc euidenter sequitur ex his quæ cap. 32. dicta sunt, & ita communiter traditur ab omnibus authoribus supra allegatis. Nam consuetudo nunquam potest derogare, vel minuere priuilegium immunitatis, nec potest dare iurisdictionem laico in clericum; ergo omnis actus iurisdictionis, quem laicus exercet in clericum solo titulo consuetudinis, est actus sine iurisdictione factus; ergo est violentia contra immunitatem Ecclesiasticam; ergo sola consuetudo nunquam sufficit ad culpam, seu libertatis Ecclesiasticæ violationem excusandam. Quæ ratio supposito dicto principio, est moralis demonstratio, illud autem principium, vt opinor, satis demonstratum est. Vnde omnia iura canonica, quæ consuetudinem illam dicunt esse corruptelam, & tanquam damnabilem reprobant, hanc etiam assertionem apertè confirmant. Nam corruptela, & damnabilis consuetudo, non est aliud, nisi frequentia peccandi; peccatum autem subsequens non excusatur propter frequentiam præcedentium, sed quodammodo augetur. Quocirca consuetudines, quæ allegantur, vel alijs titulis à consuetudine distinctis excusandæ sunt, vel simpliciter reprobandæ, nam propter facta hominum non sunt iura diuina, vel canonica neganda, vel falsis interpretationibus corrumpenda. Et ita Rota decision. 804. quæst. 10. de Consuetud. in antiquis damnat consuetudinem quandam, quæ etiam ante schisma in Anglia vigebat, scilicet, vt Rex, vel eius ministri clericos iudicarent in actionibus ciuilibus, etiam personalibus, & in criminalibus, quando agitur ciuiliter. Et idem profectò etiam dicendum erit de Gallicana consuetudine, vt clerici iudicentur à laicis in actionibus realibus, nisi alia via excusetur. Idemque de similibus dicendum est, vt latius prosequitur Azor. loco citato.

Duo autem sunt tituli, quibus similes consuetudines excusari solent. Vnus est, qui facta, seu actiones, quibus introducuntur, & postea defenduntur, non sunt actus contra libertatem Ecclesiasticam, quia non sunt actus iurisdictionis laicæ in clericum, sed sunt actus iustæ defensionis, vel reipublicæ, vel innocentum, quæ defensio non est contra libertatem Ecclesiasticam. Iuxta quam doctrinam actio re vera non excusatur propter consuetudinem, sed potius consuetudo excusatur propter modum, & titulum actionis, ipsa verò consuetudo post quam introducta est, & à viris prudentibus, ac timoratis seruata creditur, ad summum indicat, & est argumentum, actiones illas non fuisse vsurpatæ iurisdictionis, ac proinde per modum defensionis fieri consueuisse. Atque hoc modo excusatio hæc reducitur ad vltimam infrà tractandam, ideoq; nunc illa generali doctrina suppositа solum aduertimus, necessarium esse, vt ad talem materiam, seu actionem verè, & conuenienter applicetur, alioqui si materia non sit capax defensionis, quia ibi non fiebat violentia, nec morale periculum eius, erit ficta excusatio, & de solo titulo, non vera, nec de re, oportet ergo, vt & causa, & necessitas defensionis supponatur, & vt in ipsa defensione debita moderatio seruetur, vt infra explicabitur.

Atque hoc titulo potest aliquo modo excusari cõsuetudo illa auferendi à clericis arma prohibita. Nam certè si id fiat per vsum iurisdictionis, vel aliqualis punitionis, nõ video, quomodo excusari possit, quidquid Couarr. & alij sentiant. Quod ex parte sensit Nauarr. consil. 27. alias 44. de Excommunicat. num. 5. quatenus excusat huiusmodi factum, eo quod ordinatur ad impediendum aliquod ordinatur ad impediendum aliquod delictum, additque interdum fieri per modum pacti, & conuentionis inter clericum, & ministros iustitiæ, solent enim clerici arma offerre, ne ad suos superiores, & Prælatos deferantur, vel denuncientur. Quòd si ita est, cessat violatio Ecclesiasticæ libertatis, quidquid sit de iniustitia, vel turpitudine pacti. Quando verò arma tolluntur solùm per modum defensionis ad tollendam occasionem rixæ, vel periculum perturbationis ciuitatis, tunc non auferuntur in pœnam, & ideò non videtur licere ex vi talis facti omnino spoliare clericum armis, priuando illum dominio eorum, quia nullus apparet iustus titulus, quo id fieri possit; ergo tantùm debent pro illa occasione auferri, vt posteà reddantur, nisi clerici voluntariè consentiant donationi eorum, vt dictum est.

Sic etiam honestari solet consuetudo, qua solent ministri sæcularis iustitiæ clericos in delicto inuentos, vel quos probabiliter præsumunt ad delinquendum incedere, detinere, & comprehendere, vt suis Prælatis eos præsentent, nullo enim modo id facere possunt titulo iurisdictionis, vt constat ex ca. *Cum non ab homine*, de Iudicijs, & cap. *Si verò*, de Sentent. excommun. & cap. *Si clericus*, de Foro comp. & cap. *Si clericus*, de Sentent. excommun. in 6. Vnde nulla consuetudine introduci potest, vt eo modo tale factum liceat. Solet autem iustificari per modum defensionis, quia expedit valde reipublicæ, vt impediãtur delicta, & hoc munus videtur maximè commissum ministris iustitiæ sæcularis. Et ita docent Panor-

Consuetudo non excusat actum cõtra immunitatẽ factum.

Quomodo excusentur, arma prohibita à clericis auferentes

Quo pacto excusetur cõsuetudo cõprehendendi clericos in delicto comperta.

Panormitan. in cap. *Vt famæ*, de Sentent. excommunic. nu. 6. & in cap. *Cum non ab homine*, de Iudicijs, vbi etiam Decius num. 10. & Felinus ibi, & in cap. *Si verò*, de Sentent. excom. n. 11. & Nauarr. in dicto conſ. & in Sum. cap. 27. n. 83. & Iulius Clar. dicto §. vlt. qu. 28. n. 6. Cenſetur etiam ibi interuenire tacita volũtas Prælatorum, quam etiam poteſt interpretari conſuetudo, & poteſt ibi ſufficere, quia ibi non interuenit commiſſio iuriſdictionis, ſed tantùm quidam vſus facti, quo Prælatus vtitur miniſtro iuſtitiæ ad comprehendendum ſubditum ſuum delinquentem, quod optimè per ſæculare brachium facere poteſt. Denique ad hunc modum ſub hac ſpecie defenſionis excuſantur aliæ conſuetudines, vt excludendi clericum à curia Regis, vel etiam à regno, vel aliæ ſimiles, quas nunc examinare, non eſt noſtri inſtituti, ſed videri poſſunt Doctores allegati. Præſertim Azor ſuprà, & Henriq. lib. 14. de Irregul. cap. 12. nu. 6. litera P. & ſequentib.

91 *Alius modus dictam conſuetudinem defendendi.*

Alius modus defendendi hanc cõſuetudinem eſt, fundando illam in priuilegio Pontificio. Non eſt enim dubium, quin poſſit Pontifex concedere alicui Regi, vel regno ſpeciale priuilegium derogans aliqua ex parte priuilegio exemptionis, de quo infrà dicetur. Hoc ergo priuilegio ſuppoſito, actus, qui ex illo fiunt, honeſti ſunt, & ita etiam conſuetudo illorum eſt honeſta. Tunc autem conſuetudo non derogat immunitati, ſed derogatam ſupponit, & ideò non eſt conſuetudo, quæ excuſat, ſed priuilegium, de quo ſtatim dicam. Vnde non probo, quod Nauarr. in dicto conſ. 27. de Sentent. excommunic. num. 1. dicit, conſuetudinem immemorialem Galliæ, quòd iudex ſæcularis poſſit punire clericum, habere vim priuilegij, citans Aufredum in Clementin. 1. de Offic. ordinar. regul. 1. fallentia 10. Inſinuat enim, talem conſuetudinem poſſe inducere priuilegium, quod in hac materia non cenſeo eſſe verum, quia ſi conſuetudo ſit turpis, & reprobata, etiam ſi immemorialis ſit, non poteſt inducere priuilegium, & ideò cùm in hac materia conſuetudo ſit reprobata, vt diximus, etiam ſi immemorialis ſit, non poteſt vi ſua priuilegium introducere, vt rectè dixit Probus in c. 2. de Probat. & ſentiunt alij authores ſuprà citati. Ergo oportet, quòd priuilegium præcedat, vt conſuetudinem honeſtet.

17 *An immemorialis cõſuetudo ſit ſufficiens ſignum priuilegij à Pontifice cõceſſi.*

Quæri autem poteſt, an immemorialis conſuetudo ſit ſufficiens indicium, ſeu teſtimonium, quòd ex legitimo priuilegio inchoata fuerit, videtur enim valdè probabile, ita eſſe præſumendum, quia immemorialis cõſuetudo præſumitur honeſta, vt multi Iuriſperiti tradiderunt, quia cùm non poſſit probari mala præſumitur bona. Nihilominus cenſeo, ſolam, & nudam conſuetudinem etiam immemorialem non ſufficere in hac materia ad probandum priuilegium. Tum quia illa regula non procedit in conſuetudine reprobata per legem, vt Rochus Curtius, & alij tractantes de conſuetudine tradiderunt; tum etiam quia valde odioſum eſt priuilegium hoc & difficile, ac rarò conceditur, & ideò niſi legitimè probetur, non præſumitur; ſolus ergo vſus quantumuis antiquus, cùm in facto conſiſtat, non probat ſufficienter ius, ſeu priuilegium. Loquor autem de nuda, & pura conſuetudine, quia ſi cum illa coniungatur conſtans fama, & traditio æquè antiqua, ſeu immemorialis, quòd præceſſerit priuilegium, & talis traditio integrè probetur, videtur ſufficiens, vt talis conſuetudo pro priuilegio reputetur.

18 *Cõſuetudo in priuilegio fundata poteſt à Pontifice reuocari.*

In tali verò caſu addendum eſt, non obſtante illa traditione, & probatione, poſſe talem conſuetudinem per Pontificem reuocari. Tum quia illa conſuetudo non accipit vires à præſcriptione, ſed à priuilegio, priuilegium autem à ſuperiori datum ſemper poteſt reuocari, præſertim ex iuſta cauſa. Tum etiam quia licèt admitteretur ibi aliqua præſcriptio, non poſſet obſtare, quo minus Pontifex poſſet reuocare iuriſdictionem receptam per illud priuilegium & quaſi præſcriptam illa conſuetudine, quia ſemper illa iuriſdictio eſt quaſi delegata à Põtifice, & conſequenter ab eius voluntate pendens. Item quia contra Papam nemo præſcribere poteſt in his, quæ ad ſupremam eius poteſtatem pertinent. Nam, vt rectè dixit Innocentius in cap. 2. de Poſtulatio. Prælator. num. 2. *quia Papa circa ſpiritualem poteſtatem omnia poteſt, & plenitudinem poteſtatis habet, nullus poteſt quærere poſſeſſionem, quæ ei præiudicet, cùm illam habeat a Domino tantùm.* Idemque docuit Gloſſa in ca. *Cum nobis*, de Præſcript. vbi Panormit. nume. 1. & 12. eam valdè commendat, & in cap. *Si diligenti*, eodem tit. nu. 11. Pontifex autem ex vi poteſtatis ſpiritualis, quam à Chriſto accepit, poteſt exemptionem clericorum, vel conſeruare, vel redintegrare, ſi aliqua ex parte fuerit diminuta, & ideò ſemper poteſt quãcumque conſuetudinem illi contrariam quomodocunque introducta ſit, reuocare, quia illa poteſtas, quæ à Domino conceſſa eſt, per nullam conſuetudinem diminui poteſt, neque ipſe Pontifex illam poteſt à ſe abdicare.

Concordia.

QVarta excuſatio erat concordia, ſeu pactum. 19.
Solent enim iudices laici nonnullas actiones ſuas contra immunitatem defendere titulo alicuius antiquæ concordiæ inter Reges, & Prælatos, ſeu clerum tranſactæ, per quam conceſſum fuerit ſæcularibus iudicibus, vt in talibus cauſis, vel occaſionibus poſſint circa materiam Eccleſiaſticam iuriſdictionem ſuam exercere. Atque hunc titulum video in hoc regno ſæpiùs allegari, & in regno Galliæ ſcimus, facta eſſe ſimilia concordata tempore Leonis X. & Regis Franciſci, quæ Rebuffus commentatur, & in regno Hiſpaniæ, & alijs deſiderari ſcimus, propter vitandas perturbationes, quæ inter iudices ſæculares, & Eccleſiaſticos oriri ſolent.

20 *Cõcordia inter Eccleſiaſticos, & ſæculares ſabiq; Pontificis authoritate facta, immunitati nihil derogat.*

Circa hanc autem excuſationem in primis aduertendum eſt, quotieſcunque huiuſmodi concordia inter Epiſcopos etiam in Concilio prouinciali, vel nationali congregatos, & Reges, aut Senatus fit, nihil poſſe contra priuilegium immunitatis operari, niſi authoritate Summi Pontificis facta ſit, vel cõfirmetur. Ita notauit Rebuff. in Concordat. titul. de Approbat. Conuentor. verb. *Firmitatem*. Ratio autem eſt manifeſta ex ſuperiùs dictis, quia Epiſcoporum conſenſus non eſt ſufficiens ad diſpenſandũ, vel priuilegium concedendum, quo exemptio clericorũ minuatur, quia non poteſt inferior diſpenſare, nec priuilegiũ concedere in iure ſuperioris, præſertim, quando eſt tam graue, & tam difficilem, ac raram habet diſpenſationem, vt de hoc priuilegio ſuprà oſtendimus; ergo ſolùm poteſt conſenſus Prælatorum operari per modum renunciationis, per quam aliqua ex parte cedant iuri ſuo; at verò talis renunciatio propria authoritate facta non valet, vt ſuprà etiam eſt probatum; ergo neq; illa concordia poteſt eſſe valida ſola authoritate Prælatorum etiam cum inferiori clero facta.

21

Nec refert, quòd illa non videatur eſſe ſimplex renunciatio, ſed quaſi commutatio per modum trãsactionis facta, tum quia per illam tranſactionem nunquam ſuppletur in ipſa exemptione diminutio, quæ in aliqua parte materiæ illius fit, neque nouum aliquod ius Eccleſiaſtico ſtatui conceditur, ſed ordinariè ſolet ab Eccleſiaſticis fieri ad fugiendam vexationem, vel maius malum vitandum, vt ſæculares illa parte contenti, maiorem non vſurpent. Quod certè fieri non debet contra commune bonũ, ſi autem fiat, ſiue cum culpa, ex humano timore, ſiue ſine culpa ob neceſſitatem ad vitandũ maius malum, erit potiùs tolerantia quædam, vel permiſſio, quàm con-

concordia, etiamsi fortasse hoc nomine appelletur, & ideò non reddet tutos in conscientia iudices sęculares, donec consensus Pontificis legitimè informati accedat. Tum etiam quia licèt fingamus, aliquid iuris, vel commodi tribui Clero à Principibus sæcularibus, vt in aliqua parte exemptionis cedant iuri suo, etiam hoc modo non potest priuatus Prælatus, seu particularis clerus in aliquo renunciare exemptioni, quasi alienando partem eius per modum commutationis, tum quia hoc etiam est contra commune bonum status clericalis, in cuius fauorem exemptio est introducta; tum etiam quia illa est quædam alienatio iurisdictionis Ecclesiasticæ, quę inter bona Ecclesiastica meritò computatur, ideoq; sub prohibitione alienandi bona Ecclesiastica meritò comprehenditur.

22 Cõcordia per Pontificem confirmata valida est, & sufficiens

Accedente autem Summi Pontificis consensu, non est dubium, quin talis concordia valida sit, & consequenter sufficientem excusationem inducat. Est autẽ considerandum, hanc Papæ approbationem habere vim cuiusdam priuilegij, vt in simili notauit Rebuffus in Concordatis tit. de Approbatione Conuentor. verb. *Priuilegijs*, & est per se manifestum, quia etiam si fiat per modum contractus, est peculiaris fauor permanens, & stabilis cum aliqua iuris communis derogatione. Quocirca excusatio hæc ad sequẽtem de priuilegio reuocatur, vndè sicut ibi diximus, priuilegium reuocari posse per Pontificem, ita de qualibet simili concordia ab eodem confirmata dicendum est. Nam licèt post cõfirmationem Prælati non possint à concordia recedere sua authoritate, saltem inuitis Principibus sæcularibus, nihilominus Pontifex semper potest concordiam reuocare, quia vt dixi, confirmatio illa fuit quasi priuilegij cuiusdam concessio, quod reuocari semper posse infrà ostendam.

23 Solutio.

Contra hoc verò allegari potest Rebuffus in Cõcordatis tit. de Collationib. qui in præfatione quæstionem proponit in §. *Insuper quæro, an altera pars valeat derogare his concordatis*. Et respõdet, non posse, loquiturq; de concordatis inter Regem, & Papam Et licèt plura argumenta multiplicet, vnicum tamen est fundamentum, scilicet, quia concordia illa transit in contractum, contractus autem obligat partes, etiam si supremi Principes sint. Sed in primis casus, in quo versamur, videtur esse diuersus, quia quando concordia fit inter Episcopos, vel clerum alicuius regni, & Regem, illi tantùm sunt partes contrahentes, Pontifex autem confirmando pactum, solùm se gerit vt supremus dispensator, fauorem, & gratiam concedens vtrique parti contrahenti tanquam sibi subditę, & inferiori, & ideò illam reuocare potest. Quia verò instari potest, quòd Papa in illo casu cõiungitur clero tanquam caput eius consensum cõsummando, ideoq; etiam considerari tanquam partem contrahentem, propterea vlteriùs addo, resolutionem illã Rebuffi aliqua declaratione, vel limitatione indigere. Nam ex parte Regis simpliciter verum est, non posse recedere à concordatis cum Papa, tum propter dictam rationem contractus, tum etiam quia si aliquid priuilegij, vel fauoris ex parte Regis ibi intercedit, concessum est à subdito suo superiori, & ideò est irreuocabile.

24

At verò ex parte Pontificis distinctione opus est, quia per nullum contractum potest Pontifex à se abdicare supremam potestatem spiritualem, quam habet ad disponendum ea, quæ ad conuenientem Ecclesiæ gubernationem pertinent, & ideò licèt sine causa non possit à concordat recedere, si tamen postea mutatis rebus, vel meliùs perspectis concordatam Ecclesiæ nociuam, aut non conuenientem esse intellexerit, potest, reuocando illam ab ea recedere, compensando alteri parti damnum, si quod fortasse ratione pacti præcedentis patiatur. Sic enim Rex temporalis potest priuilegium subdito suo concessum, etiam si in vim pacti transierit, reuocare, dummodò, & ad commune bonum regni expediat, & subdito restituat, vel recompenset, quod ille in pacto præcedente ex parte sua contulerat, vt in materia de Priuilegijs latiùs traditum est. Quæ generalis doctrina speciali ratione locum habet in hac materia exemptionis, tum quia, vt dicebam, quidquid in ea remittitur ex parte Ecclesiæ, ordinariè liberaliter sine compensatione conceditur; tum maximè quia in hac exemptione magis est attendendum bonum commune status clericalis, quàm vlla conuentio cum temporali Principe facta, quia necesse est, vt semper habeat illam conditionem tacitè B inclusam, dummodò in præiudicium, aut vexationem, vel vilipendium status clericalis non cedat, aut aliquando sequatur ex concordia. Intercedente ergo simili causa poterit reuocari, sine illa verò non poterit, saltem licitè, si tamen fiat, existimo factum tenere propter supremam spiritualem potestatem Papæ, quæ in se minui non potest, vt de priuilegio statim dicam.

Oportet autem aduertere hæc omnia dicta esse, quando per concordiam conceditur laicis iurisdictio aliqua in clericos contra priuilegium clericale: nam si non concedatur iurisdictio, sed tantùm exC cutio aliqua, vel ministerium facti, non repugnat fieri per concordiam inter Prælatum, & iudicem sæcularem, vt hic possit tanquam organum, & minister Episcopi actiones aliquas circa clericos exercere, quæ ad impedienda peccata, vel perturbationes publicas conuenientes iudicentur, & sine indecentia clericalis status fieri possint, vt sunt, eripere arma clericis noctu illa portantibus, vel comprehẽdere clericum in graui delicto inuentum, & similes. Hoc supponunt omnes authores suprà allegati, approbantes huius modi consuetudines, quæ maximè ex hoc pacto saltem implicitè honestantur. Sumitur etiam ex iuribus, quæ declarant, esse in Episcopis D potestatem ad vtendum hoc modo auxilio brachij sæcularis, cap. *Si verò*, de Sentent. excom. cum aliis suprà allegatis. Non enim est necesse, vt id semper faciant per speciale mandatum. Cur enim non poterunt etiam id efficere per aliquam generalem commissionem, seu concordiam, quatenus necessitas suæ diœcesis iuxta suum prudens arbitrium postulauerit? Intelligendum autem est, huiusmodi licentiam, seu concordiam semper esse debere ab arbitrio Prælatorum Ecclesiæ dependentem, non enim possunt ius aliquod in hac parte tribuere sæcularibus iudicibus, sed tantùm illis vt instrumentis vti, instrumentum autem semper pendet à motione E principalis agentis. Et ideò semper est integrum Prælatis prohibere iudicibus sæcularibus, ne tales actiones exequantur, non obstante quacunque licentia, vel prætensa concordia, etiam consuetudine firmata, ita enim expedit ad bonum regimen status clericalis, & oppositum exemptioni clericorum multũ derogaret.

25. Cõcordia super re inter Laicũ & laicos abiũ iurisdictionem concessa valida est.

Vltimò possunt ad hoc caput reduci nonnulli actus iurisdictionis, quos Principes sæculares interdum circa Ecclesiasticos exercent, non vt Ecclesiastici sunt, sed vt sunt feudatarij, vel ministri ciuiles talium Principum. Sic diximus suprà causas feudales tractari debere coram domino feudi, etiam si supra Ecclesiastica bona, & contra clericos moueantur. Sic etiam Cardinalis Bellarminus contra Barclaium cap. 35. defendit factum Imperatoris Caroli V. qui Hermannum Colonien sem Episcopum ad suum tribunal vocauit. Quod factum obijciebat Barclaius, Cardinalis autem respondet, verum quidem id esse, sed vocasse illum vt Principem imperij. Sic etiam solent Reges visitare ministros suos, & Consiliarios, etiam si clerici sint, eosque temporalibus pœnis pecuniarijs, vel depositione ab officio sæculari, & alijs similibus clericis non indecentibus, puni-

26.

punire. Quam conſuetudinem defendunt Aufrerius A in Clement. *Paſtoralis*, de Officio Ordinarij regul. 1. fallent. 27. & 28. & Chaſſeneus in Conſuetudinib. Burgundiæ, verb. *Inſtitia*. Videtur autem in hoc maximè fundari, quod tunc non conſiderantur, niſi ſub reſpectu merè ciuili, & maximè, quia ſub ea conditione, & pacto ad ea miniſteria, & officia Regia acceptantur, quod pactum nec contra exemptionem Eccleſiaſticam, nec contra decentiam Eccleſiaſtici ſtatus, aut bonos mores eſſe videtur, & ita eſt communi vſu receptum, & approbatum.

Priuilegium.

27 QVinta excuſatio erat priuilegium, de quo in iure, vt ſic dicam, nulla eſt difficultas, in facto autem eſt maxima. Duo enim, quæ ad ius pertinent, certa ſunt, vnum eſt, poſſe hoc priuilegium concedi ſaltem à ſummo Pontifice, quod ſuprà probatum eſt, & ex vſu ſatis conſtat. Alterum eſt, hoc priuilegium poſſe à Pontifice reuocari, ac proinde, vt ad legitimam excuſationem profit, non ſatis eſſe, quod ſemel conceſſum, ſeu obtentum ſit, ſed oportere, vt perſeueret non reuocatum. Atque hoc etiam ex vſu Pontificum conſtat, frequenter enim huiuſmodi priuilegia reuocant per illa verba: *Non obſtantibus quibuſcunque priuilegijs*, vt patet ex cap. *Clericis*. §. vltim. de Immunitat. Eccleſiar. in 6. vbi id notat Gloſſa, & ex cap. *Quia ſæpe* de Election. in 6. cum ſimilibus, & ſingulis annis ſit talis reuocatio in Bulla cœnæ Domini. Ratio vero eſt, quia priuilegium conceſſum ſubdito reuocari poteſt ab eodem ſuperiore, vel eius ſucceſſore, vt in lib. 8. de Legibus cum communi ſententia probatum eſt. Hoc autem priuilegium eſt huiuſmodi, etiam ſi Imperatori, aut Regibus ſit conceſſum, quia datur à Papa, qui eſt ſuperior illis, & ideo ſemper poteſt illud reuocare.

26 In quo eſt conſiderandum, quòd Papa, quando hoc priuilegium concedit Imperatori, verbi gratia, non ſolùm remittit aliquid de priuilegio, quod fortaſſe ab ipſo Imperatore acceperat, ſeu committit illi aliquam partem iuriſdictionis temporalis directæ, quam ipſe Imperator Eccleſiæ prius donauerat, ſed etiam ex parte aufert priuilegium à Chriſto ipſo conceſſum, & derogat iuri canonico, & in illo diſpenſat per ſuam ſpiritualem poteſtatem. Quia ergo hæc poteſtas ſemper in Pontifice manet integra, (quia per nullum priuilegium poteſt ſupremam, iuriſdictionem à ſe abdicare, vt cum Aretino, Baldo, & alijs rectè notauit Felinus in cap. *Nouit* de Iudicijs. num. 8.) ideo ſemper poteſt Papa priuilegium ſuum reuocare, prohibendo ſæculari Principi vſum temporalis poteſtatis circa clericum, ſeu reducendo ius diuinum, & canonicum ad ſuum integrum ſtatum, ablata diſpenſatione. Imò etiam poteſt iuriſdictionem temporalem directam, quam per ſuum priuilegium Principi ſæculari commiſerat, ab illo auferre, & ad ſe reuocare, ſeu in ſe ſolo retinere. Quia veriſimilius eſt, non illam à ſe abſtuliſſe, ſed quaſi delegaſſe, & commiſiſſe dependenter ſemper à voluntate ſua, quia non amplius neceſſarium eſt ad finem priuilegij, nec ex verbis eius plus colligi poteſt. Hoc autem priuilegium, quod minuit immunitatem, odioſum eſt, & ideo reſtringendum, vt illo modo intelligatur conceſſum, quo immunitati minus præiudicet, ideoq; ſemper eſt reuocabile, & per poteſtatem ſpiritualem, per quam Pontifex poteſt clericos eximere, & per ſupremam poteſtatem ciuilem, quam Pontifex nunc habet in perſonas, & bona clericorum, quàm nunquam à ſe abdicat, etiam ſi talia priuilegia concedat.

27 *An aliqua priuilegia* Difficultas autem eſt, an de facto integra ſint aliqua huiuſmodi priuilegia, vel potius omnia, quæcunque fuerunt conceſſa, nunc ſint reuocata, ideoq; talis excuſatio, licet de poſſibili iuſta eſſe poſſit, de facto locum non habet. Ratio dubitandi ſumitur ex Bulla cœnæ Domini, (in alijs enim antiquis iuribus, vel Bullis non inuenitur generalis reuocatio) nam in clauſula 19. poſt prohibitas actiones contra immunitatem adduntur in Bulla Gregorij. xiij. hæc verba: *Etiam prætextu quorumcunq; priuilegiorum à Sede Apoſtolica ex quibuſuis cauſis, ac ſub quibuſcunq; tenoribus, & formis, in genere, vel in ſpecie conceſſorum quibuſcunq; Regibus*, &c. *quæ nolumus illis in aliquo ſuffragari, illa omnia ex nunc in irritum vocando.* Per quæ verba aperte reuocantur priuilegia omnia, & tot particulis additis augetur reuocatio; vt omnia B priuilegia, & omnes modos, ſeu ſpecies illorum, omnemque materiam, & omnem formam, & quaſcunque perſonas comprehendere videatur. Et quamuis in poſterioribus Bullis vſque ad nouiſſimam mutata ſint illa verba, nihilominus eundem ſenſum referre videntur, nam poſt prohibitionem ſub cenſura additur hæc ſola limitatio: *Sine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia.* Quæ exceptio extendit prohibitionem ad omnes alios caſus, non obſtantibus quibuſcunque alijs priuilegijs, nam licentia actualis, & particularis in caſu ſpecifico non eſt propriè priuilegium, ſed potius diſpenſatio quædam, quæ à priuilegio differt, vt in libro de C Priuilegijs dixi. Vnde Nauarr. in ſum. ca. 27. num. 72. verba vtriuſq; Bullæ referens, ingenuè fatetur, ibi eſſe reuocata omnia priuilegia, dubitat autem, an poſſint excipi priuilegia remuneratiua, vel quę ſunt immemoriali conſuetudine firmata, & ſequitur Salzedo in Scholijs ad practicam criminalem Bernardi Diaz, ca. 55. §. *Apud Gallos.* De qua exceptione ſtatim dicam.

contra immunitatem irreuocata ſubſiſtant. Ratio dubitandi.

28 *Sententia negans.* Nihilominus multi authores non ſolum antiqui, ſed etiam moderni vtuntur hac excuſatione priuilegij ad aliquorum regnorum conſuetudines defendas. Vt de Hiſpania affirmat Bannez. 2. 2. q. 67. art. D 1. dub. 2. concl. 6. & Menochius de Retinend. poſſeſſ. remed. 3. n. 354. & de Gallia Aufrerius in Clementin. 1. de Offic. ordinarij, limitat. 13. & Iul. Clar. lib. 5. §. vlt. quæſt. 6. num. 16. & de republica Veneta Gigas in tract. de Crimin. læſæ Maieſt. quoad illud crimen in particulari. Difficile autem eſt ſolidum fundamentum huius ſententiæ afferre, aut probabili modo explicare illa verba reuocatoria, vt prædictum effectum in omnibus priuilegijs, circa talem materiam non conſequantur. Fortaſſe autem illi authores exiſtimarunt, talia priuilegia eſſe remuneratoria, vel immemoriali conſuetudine firmata, quæ etiam Nauarr. excepit. Sed re vera immeritò excipiuntur ab E ijs verbis (præſertim vt habentur in Bulla Gregorij. xiij.) priuilegia, quæ ſunt in antiquo vſu etiam immemoriali, quia vt ſuprà dixi, conſuetudo in hac materia non addit firmitatem priuilegio, cùm in vi conſuetud. nis nullum ius inducat, ideòque immemoriale priuilegium nihil ſpeciale, & proprium habet, ratione cuius ſub generali reuocatione, & appellatione priuilegiorum non comprehendatur. Quod etiam dicitur de priuilegio remuneratorio, non ſatisfacit, tum quia, ſine probatione dicitur, omnia talia priuilegia eſſe remuneratoria, tum etiam quia illa reuocari poſſunt, vt ſuprà dixi, & videntur ſatis comprehenſa ſub illis verbis, *Ex quibuſuis cauſis, ac ſub quibuſcunque formis, ac tenoribus conceſſorum.* F

29 *Sententia auctorit.* Quapropter mihi valde probabile eſt, ex vi illorum verborum eſſe reuocata priuilegia quoad cauſas criminales, nam de illis tantùm in illa clauſula ſermo eſt, ideoque in alijs materijs pertinentib. ad immunitatem clericorum habere poterit locum excuſatio priuilegij, vbi de illo ſatis conſtiterit. In criminalibus autem cauſis, & præſertim in capitalibus (ita enim loquitur expreſsè Gregor. xiij. in ſua Bulla) videntur, vt dixi, priuilegia reuocata. Quia verò

Sixtus V. & posteriores Pontifices non ita expresse illam reuocationem posuerunt, & verisimile est, non sine causa illa verba mutasse, ideo non audeo damnare vsum talium priuilegiorum, sed hoc Apostolicæ sedi remitto. Nam etiam Cardinalis Bellarminus ca. 35. contra Barclaium, cum ille diceret, esse in Gallia quædam delicta grauia, quæ priuilegiata dicuntur, ipse respondet, ideo dici priuilegiata, quia priuilegio Sedis Apostolicæ indultum est Regibus Francorum, vt ea delicta cognoscere possint. Quibus verbis videtur, illam excusationem non improbare, sicut illam non improbant Iulius Clarus, & Aufrerius, quos allegat.

Defensio iusta.

30 SExta, & vltima excusatio est iusta defensio regni, aut innocentum, vel propria, & hæc est valde vsitata in Regijs tribunalibus, quia per se, & generatim spectata habet magnam quandam speciem illius naturalis æquitatis, qua *vim vi repellere licet*. Nam defensio ex suo genere omnibus licita est, si necessaria sit, & debito modo fiat; vnde etiam contra Papam licitam esse Regibus, vel Ecclesiæ in tertio libro notatum est cum Caietan. in Opusc. de Potest. Papæ cap. 27. Idemque in hac materia de Exemptione notat Victoria Relect. 1. de Potesta. Ecclesiæ. num. 8. seu proposit. 8. Couarruuias, & multi alij moderni scriptores, Hispani præsertim, & Galli, ex quibus videri possunt Didacus Perez in legem. 5. tit. 1. lib. 2. Ordinamenti, & Didacus Castillo in l. 49. Tauri. num. 3. & Matthæus de Afflict. in decisionib. Neapolitan. decis. 1. 24. 85. & 363. Et ex antiquis Decius in l. *Vim*. ff. de iustit. & iur. num. 15. & Platea in l. *Prohibitum*. C. de iure fisci lib. 10. Fundamentum autem est, quia illud principium, *Vim vi repellere licet*, est de primæuo iure naturali, teste Isidoro in 5. lib. Etymologiar. cap. 4. & refertur in cap. *Ius naturale*. distinct. 1. & confirmat D. Thom. 2. 2. quæst. 96. art. 4. Et ita illo vtuntur iura canonica in cap. *Significasti*. 2. de Homicid. cap. *Si verò*. 1. de Sent. excomm. ergo etiam licet laicis vti illa defensione contra clericos.

31 In hac autem materia videtur hic vsus maximè necessarius, quia nisi hæc defensio interdum adhibeatur, sæpius innocentes grauissimè opprimentur à suis proximis iudicibus, vel Prælatis Ecclesiasticis, quia vel omnino non possunt, vel non sine magno dispendio ad superiores Prælatos recurrere, & præsertim ad Romanam curiam longè distantem. Et addit Couarru. signum huius necessitatis esse, quòd ferè omnia catholica regna hac vtuntur defensione, quòd videant, sine illa non posse innocentes suos defendere, cùm tamen hoc ad suam conseruationem, & consequenter ad officium suum pertineat. Sicut enim vnusquisque homo ius habet vim vi repellendi, non solùm quando sit toti corpori, sed etiam si cuilibet membro fiat, ita respublica habet potestatem ad propulsandam vim cuicunque membro suo factam. Respublica autem transtulit suam potestatem, & curam in Regem, ideòque defensio hæc Regibus specialiter commendata est, teste Hieronymo Ierem. 22. & Isidoro lib. 3. Sententiar. cap. 53. & habentur in cap. *Regum*. & cap. *Principes*. 23. q 5. & Augustino ep. 10. & habetur in cap. *Maximianus*. 23. q. 3. Et idem tradit Concilium Parisiense. 1. sub Ludouico p. 2. cap. 2. & 3. Rex autem per sua tribunalia Regia, & alios ministros, illa potestate vtitur. Ergo est iusta hæc excusatio, quia & actio sit legitima potestate, & non est contra exemptionem, quia non est actus iurisdictionis, seu superioris, sed defensoris, à defensione autem nullus est exemptus.

32 Quamuis autem hæc defensio habeat, vt dixi, hanc speciem naturalis æquitatis, nihilominus illam A applicare ad praxim, & ad excusanda plurima facta iudicum sæcularium, difficillimum profectò est. Vt autem punctum difficultatis explicemus, suppono, sermonem esse de defensione, quæ fit, non titulo, vel potestate iurisdictionis circa aggressorem, sed quæ fit propria authoritate, viribus, seu potentia, supposito iusto titulo dominij, vel administrationis eius rei, quæ defenditur, ne per violentiam auferatur. Quia cùm sæcularis iudex non habeat iurisdictionem in clericum, non potest propter defensionem, vti iurisdictione in ipsum; ergo solùm facto potest aduersus clericum se vel alios defendere. In quo potest notari differentia inter Prælatum Ecclesiasticum, & Magistratum ciuilem: nam si Magistratus inferat vim Prælato, potest Prælatus se defendere per potestatem iurisdictionis spiritualis, in qua semper est superior præcipiendo, interdicendo, & excommunicando, imò hic modus defensionis est illi magis proprius, quia per se non vtitur gladio materiali, quamuis per laicos possit interdum illo iuuari, pro vt necessarium, vel opportunum fuerit. At verò iudex laicus non potest se defendere à vi per clericum immissa, exercendo iurisdictionem in illum, quia illam non habet, oportet ergo, vt sit defensio facti, qualis à priuata persona fieri potest, si impetatur, etiam vsque ad occisionem aggressoris, si necessaria fuerit.

C Deinde vt habeat locum hæc excusatio necessariæ sunt duæ illæ vulgares conditiones requisitæ ad licitum vsum illius principij, *Vim vi repellere licet*. Vna est, vt actualis vis ab altera parte inferatur, nam hoc ipsum in primis supponitur in illismet verbis. Vnde in præsenti oportet, vt vis sit clara, & manifesta, quia contentio est inter subditum, & superiorem, de quo subditus conqueri solet, quod sibi vim inferat, & ideò necesse est, vt sit clara, & manifesta: nam si res sit dubia, semper pro superiori præsumendum est, ideòque tunc nulla potestas laica vim facere D potest contra iudicem, vel Prælatum Ecclesiasticum, vt suum subditum defendat, quia iniustam vim inferret Prælato, priuando illum iure suo, quod habet in casu dubio. Neque satis erit, quòd potestas sæcularis probabili iudicio, aut suspicione ducatur, nisi certò sciat, nullam esse opinionem contrariam probabilem, iuxta quam possit Ecclesiasticus Prælatus practicè iustè præcipere, vel coactionem aliquam subdito inferre, quia si ita procedat re vera, practicè nullam vim facit: nam speculatiuè tantum res est dubia. Altera conditio est, vt defensio sit moderatæ tutelæ, vt iura, & omnes Doctores declarant, vt alibi latiùs declaraui. Ad hanc ergo conditionem E spectat, vt defensio per potestatem laicam necessaria sit: nam si is, qui conqueritur de suo Prælato, vel de alia persona Ecclesiastica coram potestate laica, possit sine graui incommodo, vel periculo æqualis, vel maioris nocumenti, à superiori Prælato Ecclesiastico defensionem postulare, profectò non inculpatè se defendit à clerico per laicum, nec laicus ipse iustè se intromittit, neque inculpatè vtitur potestate sua defensiua, quia sine ratione, aut iusto titulo ius alterius, & munus vsurpat. Et ita canones non permittunt, postulare auxilium sæcularis potestatis contra insolentias clericorum, nisi vbi per superiores Prælatos remedium adhiberi non potest, vel ab eis negligitur. Vt apertè docet Gelasius Papa in ca. *Quòd autem*, & Concilium Antioch. in cap. *Si quis Episcopus*. 23. q. 3. & Concilium Toletan. 9. in capite *Filij*. 16. q. 7. Suppositâ autem necessitate, etiam pertinet ad hanc conditionem, vt actiones ipsæ, quibus fit defensio, non excedant modum debitum, ac prudenti arbitrio moderatum.

Ex his ergo principijs oritur, vt dicebam, non parua difficultas in applicatione iusta istius excusationis ad casus in hac materia occurrentes. Primò quidem quia hæc potestas, quam vsurpant laici in Ecclesiá-

33 *Duæ conditiones ad licitum vsum illius principij, Vim vi repellere licet.*

Vna conditio.

Hanc explicationem confirmat.

Vnde oritur quæstio.

Tom. 5. disp. 46. sect. 1.

34

Hæc defenſionem ſemper ferè per vſum iuriſdictionis à laicis exerceri.

cleſiaſticas perſonas, vel cauſas, ferè ſemper eſt per vſum iuriſdictionis, quia exercendo illius actiones, dicunt, eum defendere, qui vim patitur. Nam frequentiùs fit hæc defenſio deferendo cauſas clericorum, vel Eccleſiaſticas ad tribunalia Regia, vt ibi examinetur, & iudicetur, an iudex Eccleſiaſticus vim inferat, nec ne. Hoc autem faciunt iudices ſæculares cauſam ad ſe aduocando, & acta cauſæ cum proceſſu in Eccleſiaſtico tribunali formato ad ſe afferri præcipiendo, & poſteà cauſam iuridice examinando, ac tandem ſententiam de appellatione iniuſtè negata, vel cenſura male impoſita, vel alia vi ſimili iniuſtè illata, proferendo; hi autem omnes ſunt actus iuriſdictionis. Reſpondent authores, qui hunc morem defendunt, tunc iudicem ſæcularem non iudicialiter, ſed extraiudicialiter procedere. Sed videntur profectò verbis illudere. Quid enim eſt iudicialiter procedere, niſi aduocata cauſa, illam publicè examinare, & ſententiam in illa cum authoritate ferre? hæc autem facit iudex ſæcularis in illo articulo, in quo defenſionem præbere dicit. Reſpondent alij, non eſſe inconueniens, quòd iuriſdictione vtatur in ſolo articulo, quem iudicandum aſſumit, dummodò de principali cauſa, quæ eſt fundamentum controuerſiæ non iudicet. Sed hoc etiam nihil ad excuſationem confert, ſatis eſt enim, quòd ille etiam articulus ad materiam Eccleſiaſticam pertineat, & quòd Eccleſiaſtica perſona ad iudicium ſæculare tanquam rea in eodem articulo deferatur. Ergo in omnibus huiuſmodi caſibus non ſeruatur prima conditio ad defenſionem neceſſaria.

Quidam euaſioni obiectus.

Refellitur alia euaſio.

35 Vnde etiam deficit alia, quia non præcedit certa, & manifeſta violentia. Et inde fit, vt ſine ſufficienti cauſa, vel occaſione ſub nomine defenſionis vſurpentur actiones, quæ re vera non pertinent ad defenſionem facti, vt ſic dicam, ſed ad defenſionem iuridicam, quam poteſt præſtare iudex legitimus ſua iuriſdictione vtendo. Vnde vlteriùs efficitur, vt illa non poſſit dici defenſio moderatæ tutelæ, neque poſſit fundari in ſolo illo principio naturali *vim vi repellere licet*, tum quia non fit per actionem licitam, ſed per vſurpatam iuriſdictionem, vt oſtenſum eſt, tum etiam quia fit antequam conſtet certò vim inferri innocenti. Quod ex ipſo facto manifeſtum eſt, quia ad hoc ipſum ſuam operam adhibet, & ſe interponit iudex ſæcularis, vt iuridicè examinet, an fiat vis, nec ne; ergo non ſupponit certam, & euidentem violentiam; ergo non ſupponitur talis ſtatus cauſæ, ſeu iniuriæ, in quo poſſit iuſtè per ſolam defenſionem facti vis vi repelli. Quæ ratio locum habet, quotieſcunque iuridicè cognoſcendum eſt de iuſtitia, vel iniuſtitia alicuius facti Eccleſiaſtici iudicis, vel cuiuſcunque clerici. Et declaratur à contrario, nam ſi laicus de ſuo iudice ſæculari conqueratur, quòd illi inferat vim, negando appellationem, vel quid ſimile, non patienter feret iudex ſæcularis, vt Eccleſiaſticus ſe intromittat, & authoritatem ſuam interponat, acta cauſæ poſtulando ſub præcepto, vel cenſura ad examinandum, & iudicandum, an iudex ſæcularis vim faciat, nec ne. Neque ſæculares iudices illam vocabunt defenſionem in iudice Eccleſiaſtico, ſed ſuæ iuriſdictionis vſurpationem; ergo eodem iure ipſi iudices ſæculares reſpectu Eccleſiaſticorum cenſeri debent, vel certè maiori. Quia maiorem poteſtatem habet Eccleſiaſticus iudex ſuprà laicum, quàm è contrario, vt ſæpe dictum eſt, quia Prælatus Eccleſiaſticus poteſt iudicare de peccatis omnium ſuarum ouium iuxta cap. *Nouit*, de Iudicijs, & cap. *Ex tenore*, de Foro compet. & ca. *Si quis de Potentibus*. 24. q. 3. Et ſimiliter munus defendendi innocentes magis incumbit Prælatis Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus Magiſtratibus, vt notauit Gloſſa in cap. *Regum*, 23. q. 5. & ſumi poteſt ex

A multis decretis. 87. diſt.

Quapropter difficile videtur hunc modum defenſionis admittere, aut approbare tanquam iuſtum ex vi ſolius legis naturalis, qua vim vi repellere licet, quoties non ſupponitur euidens, & manifeſta violentia ſolo facto impedienda, non iure examinanda, aut vindicanda. Hæc enim duo in hac materia diſcernenda maximè ſunt, ne iuriſdictio pro defenſione vſurpetur. Poteruntque facilè illa duo hoc exemplo diſtingui: nam Rex Galliæ ſi videat manifeſtam vim, & iniuriam inferri innocenti à ſubdito alterius Regis, v.g. Angliæ, qui ad innocentem ſubditum ſuum occidendum aggreditur, poteſt illi facto B reſiſtere, & innocentem defendere, vim vi repellendo. Si tamen vis non ſit manifeſta, & euidens, neque per actionem exteriùs violentam inferatur, ſed in iudicio ſibi fieri ſubditus alterius Regis conqueratur, opuſque ſit iudiciario examine ad cognoſcendum de violentia, non poterit profectò Rex Galliæ ſub ſpecie defenſionis, & ex vi illius principij, *vim vi repellere licet*, acta cauſæ poſtulare, vt de querela cognoſcere, & iudicare valeat, vt eſt per ſe manifeſtum, tum ex vſu, & communi iure gentium, tum etiam quia ſi contrarium permitteretur, plurimarum perturbationum, & diſſenſionum ſeminarium eſſet. C Ergo ſignum eſt, hanc poſteriorem non eſſe defenſionem, nec ex vi naturalis iuris ei licere, qui iuriſdictionem non habet.

Defenſionem ſpiritualis poteſtatis vſurpationē impedientem admittendam non eſſe.

Hinc ergo nonnulli authores videntes fortaſſe, illam non eſſe legitimam excuſationem pro omnibus ſimilibus caſibus, vel actionibus, addiderunt, excuſari iudices ſæculares ſimilia facientes, quia hoc eſt illis iure canonico conceſſum, ideoque non ſine debita iuriſdictione procedere. Vnde in Bulla cœnæ cum damnantur iudices ſimiles actus exercentes, additur: *Niſi in caſibus iure conceſſis*. Ita ſentit Couarru. in Pract. cap. 35. num. 4. §. *Cæterum in hac Regia*, vbi alios authores refert. Idem Nauarr. in cap. *Cum contingat*, de Reſcrip. remed. 1. §. *Secundo infertur*, Rebuff. in commentarijs ad Conſtitutio. Gallic. tom. 3. tit. de Appellationibus tanquam ab abuſu. num. 14. & in Concordat. tit. vlt. de Protectione concordator. Azebedo in lib. 1. Nouæ recopilat. legum Hiſpaniæ tit. 6. l. 2. Quod autem ius canonicum hanc poteſtatem Principibus ſæcularibus, vel eorum Magiſtratibus tribuerit, colligunt dicti authores ex cap. *Filijs, & nepotibus* 16. quæſt. 7. quia in eo dicitur, *Si Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differat*. Et ſimili modo allegant cap. *Principes*, & cap. *Regum*, cap. *Adminiſtratores*, 23. quæſt. 5. & cap. *Chriſtiani*, & cap. *Petimus*. 11. quæſt. 1. Item cap. *Quidam Monachi*, & cap. *Probinum*. 16. quæſt. 1. & cap. *Non licuit*, diſt. 17. & ca. *Maximinianus* 23. quæſt. 3. & cap. *Boni Principis*. 96. diſt.

37 *An prædicta defenſio per ius canonicum liceat. Prima opinio.*

Circa hanc autem ſententiam duo mihi dicenda videntur, vnum eſt, ſententiam illam nullum in iure canonico habere fundamentum. Nam illa omnia, quæ afferuntur, ſunt antiqui iuris, & ideo licèt aliquid ſimile in eis eſſet conceſſum, per nouiora iura Decretalium, & Bullarum Pontificum eſſet reuocatum. Sic enim ad cap. *Filijs, & nepotibus*, Reſpondet Panormitan. in cap. *Qualiter, & quando*, de Iudi- F cijs, vbi etiam Gloſſa idem ſentit, & idem habet Stephanus Aufrerius in Tract. de Poteſt. ſæcularium in Eccleſiaſtic. & Azor tom. 1. lib. 5. cap. 14. quæſt. 2. in fine. Non exiſtimo tamen neceſſarium, ad reuocationem antiquorum canonum recurrere, quia in nullo eorum, quæ allegantur, ſermo eſt de poteſtate iuriſdictionis in res, vel perſonas Eccleſiaſticas, quæ laicis tribuatur. Et præſertim in cap. *Filijs*, ſolum dicitur, vt patronus Eccleſiæ, ſi viderit, bona Eccleſiæ ab inferioribus clericis defraudari, moneat Epiſcopū: ſi ab ipſo Epiſcopo, moneat Metropolitanum; ſi à

38 *Prædicta ſententia in iure canonico fundamentum non habet.*

Satisfit iuribus in oppoſitum adductis.

Metro-

Metropolitano, *Regijs auribus intimare non differat*, quod non oportet intelligi, vt Rex iurisdictione vratur in Metropolitanum, sed vt authoritate sua illum moneat, vel si non satis sit, implorato Pontifice, illius authoritate illum cohibeat, interim verò facto, & potentia impediat, ne Ecclesia in bonis suis iniuriam aliquam, vel damnum patiatur. Qui sensus & est conformis intentioni Concilij Toletani. 9. cuius est illud caput, vt indicant illa verba, *Aut commonitionis honesta conuentione compescant*, quæ licet de ipsis Patronis dicta sint, nihilominus Regi accommodari possunt, quatenus indicant, mentem Concilij fuisse, vt vnaquæque persona ibi nominata iuxta modum statui, & conditioni suæ accommodatum, remedium adhibeat. Nam si Concilium voluisset nouam iurisdictionem Regi in Metropolitanum tribuere, profecto clarioribus verbis id facere debuisset. Item aliàs potuisset tunc Rex Metropolitanum in ius vocare, in carcerem mittere, & punire, quod est incredibile. Imò censeo solius Concilij prouincialis authoritate sine approbatione Pontificis fieri non potuisse. Denique, cum Concilium aliud non declarauerit, secundum regulas iuris loquutum fuisse intelligendum est, regula autem iuris etiam antiquioris illo Concilio est, vt qui iudicium ab Imperatore petierit, *Honore proprio priuetur: si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulauerit, nihil ei obsit.* Ex Concilio Mileuitano ca. 19. cap. *Placuit.* 11. quæst. prima. Atque hic etiam sensus non displicuit Panormitano, & insinuatur etiam in marginali nota quæ in C. Gregoriano habetur, & ex Archidiacono sumpta est.

39 Et iuxta hunc sensum facillimè, & omnino verè intelliguntur reliqua iura allegata, in nullo enim illorum est sermo de iurisdictione, nec de actu, qui illam requirat, sed de defensione, tuitione, aut auxilio, quod & Principes sæculares Ecclesiæ debent, & Ecclesiastici Prælati ab illis possunt exigere. Sic Isidorus in dicto cap. *Principes*, dixit, ipsos rationem esse reddituros Deo propter Ecclesiam, quam à Christo *tuendam* suscipiunt, Hieronymus verò in dict. cap. *Regum*, duo de Regibus dicit, scilicet, officium eorum esse facere iudicium, & iustitiam: & liberare de manu calumniatorum vi oppressos, & miseris, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium, vbi nihil in speciali dicit de clericis. Vnde prior pars in suo foro, & respectu subditorum intelligenda est, sub posteriori verò possunt clerici in legitimo sensu comprehendi. Ioannes autem Papa in dicto cap. *Administratores*, solum monet Magistratus sæculares, vt Prælatis Ecclesiasticis eos monentibus, vt ad Ecclesiarum *tuitionem*, pupillorum, ac viduarum *protectionem*, rapaciumque refrænationem inuigilent, obediant. Gelasius autem Papa in cap. *Christianis*, potiùs dicit, *cœlestem militem*, id est, clericum, *non nisi forum suum debere sectari*, occasione quorundam clericorum, qui per Regiam potestatem opprimebatur, vt in seruitutem redigerentur. Et ideo statim in capite sequenti duabus Ecclesiasticis personis causam delegat, commendat tamen cuidam Comiti, *vt si ad delegatorum iudicium eorum aduersarij venire contempserint sublimitatis eius tuitione vallentur, ne quid illis aut subreptio, aut inimica legis violentia necessitatis imponat.* Vbi imploratur brachium sæculare ad resistendum alteri laico, non ad iudicandum clericum.

Et hoc ipsum confirmat Concil. Carthag. 3. in d. 40 cap. *Petimus*, & extendit ad petendum auxilium à brachio sæculari, ad resistendum Prælato intruso, & tyranno, quod his verbis moderatur, & declarat, *seruata forma disciplinæ non æstimabitur appetitus, si à vestra charitate modeste conuentus recedere detractauerit, cum fuerit, sua contumacia faciente, etiam authoritate iudiciaria*, id est, sæculari, *conuentus.* Similiter Concil. Chalcedonense in dicto cap. *Quidam monachi*, dicit, monachos esse cogendos per brachium sæculare (vtique imploratum ab Ecclesiastico) vt è curia exeant. Idemque facit Gelasius Papa in dict. cap. *Probatum*, & in dicto cap. *Non licuit*; Similiterque August. in dict. cap. *Maximianus*, solùm dicit, esse laudabile in Episcopo petere ab Imperatore auxilium contra hostes Ecclesiæ. Denique Marcellus Papa in dicto ca. *Boni Principis*, quod ad rem pertineat, solum dicit, *Boni Principis esse, sacerdotes Dei honorare, atq; tueri*, tueri autem non est iudicare, & multò minus est honorare, quin potiùs contra honorem sacerdotum est, quòd à laicis iudicentur. Est ergo euidens in illis iuribus, nihil iurisdictionis in Ecclesiasticos laicis tribui.

Vnde vlterius concludo, verisimilem non esse 41 suprà dictam excusationem, nimirum, hæc fieri à laicis licentia, seu iurisdictione eis iure communi concessa. Probatur, quia iura antiqua illam non concedunt, vt probaui, nulla enim alia referuntur; iura autem nouiora non solum non concedunt, sed omnino prohibent, vt cap. *Qualiter, & quando*, de Iudicijs, cum similibus, maximè verò hoc conuincunt verba Concilij Lateranen. sub Leon. X. sess. 9. in reformatione curiæ; *Cum à iure tam diuino, quàm humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innouamus omnes constitutiones*, &c. Vnde Concilium Trident. sess. 25. cap. 3. *nefas* dicit *esse cuilibet Magistratui sæculari, prohibere Ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet*, &c. Et rationem hanc reddit: *Cùm non ad sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.* Huiusmodi autem sunt omnes actiones, de quibus tractamus, ad quas sæculares iudices iurisdictionem non habere, Concilium apertè tradit.

Denique est manifesta ratio, quia iudices sæcula- 42
res etiam in materijs spiritualibus hanc vim (vt ipsi loquuntur) per easdem actiones auferre volunt, in illis autem materijs necessaria est iurisdictio spiritualis, quæ nullo iure diuino, aut naturali competit laicis, & iure canonico semper à principio fuit denegata laicis talis iurisdictio, vt suprà probatum est, & constat ex decretis dist. 96. Et quamuis Papa de absoluta potestate eam possit illis delegare, ordinariè id non facit; ergo non est verisimile, iure communi esse datam sæcularibus totam iurisdictionem Ecclesiasticam, quæ ad honestandas omnes illas actiones, quas ipsi vsurpant, necessaria est. Imò inde etiam concluditur, nullam omnino communicari, tum quia eadem est ratio totius, & singularum partium, tum etiam quia si quis rectè consideret, semper causa, quam isti iudices ad se aduocant, & de qua volunt cognoscere, Ecclesiastica est, nimirum, sententia à iudice Ecclesiastico lata, vel aliquid simile.

Quapropter alij authores sentientes cum præce- 43
dentibus, necessariam esse iurisdictionem ab Ecclesiastico Prælato manantem, vt tales actiones iuste fiant, ad priuilegium Apostolicum recurrunt, affirmantque in regnis catholicis, in quibus hæ actiones in praxi tolerantur, esse priuilegium à Pontificibus concessum ob causas iustas, præsertim ad reprimendos Vicarios Episcoporum ab insolentijs (vt ait Bannez statim citandus) & vt pauperes, & minus potentes, qui sæpius hanc vim patiuntur, facilius, vel sine magno dispendio remedium aliquod habere possint. Atque ita de regno Galliæ testatur Menochius de Retinend. possess. remed. 3. num. 354. & indicat sæpe Rebuff. in locis allegatis, & de Hispania idem affirmat Dominicus Bannez. 2. 2. quæst. 67. art. 1. dub. 1. concluf. 6. Et in hoc regno, scimus, fieri multa similia, & prætextu similis priuilegij defendi, vel ratione cuiusdam concordiæ per Pontificem approbatæ, vel

41 *Ius canonicum laicis dictum defensionis modum non approbat.*

Aliorum sententia.

vel conceſſæ, donec per ſedem Apoſtolicam aliud ordinetur, quod perinde eſt. Et re vera ego etiam aliam viam non inuenio, qua poſſint ſimiles actiones à violatione exemptionis excuſari. Quia verò pendet hæc excuſatio ex facto, id eſt, an talia priuilegia ſint re vera his regnis, vel eorum Principibus conceſſa, & an in ſua vi perſeuerent, fuerint ve perpetua, de quibus circumſtantijs mihi non conſtat, ideò neque approbare poſſum, nec reprobare huiuſmodi facta, ſed illud Apoſtolicæ ſedi remitto. Solumque aſſero, vt Principes, vel Magiſtratus ciuiles tuta conſcientia poſſint hoc genus iuriſdictionis exercere, neceſſarium eſſe, vt de priuilegio, quod eſt illius fundamentum, ſufficientem, ſatiſque probabilem notitiam habeant, & quod à Pontificibus reuocatum non ſit, hac autem notitia ſuppoſita, cætera quæ ad hanc materiam ſpectant, ſufficienter ex principijs poſitis definiri poſſe exiſtimo.

Superioris libri ſumma.

QVamuis in hoc opere fidei catholicæ cauſam, & defenſionem potius, quam mores inſtruendi minus aſſumpſerim, nihilominus in hoc quarto libro vtrunque officium pro viribus explere neceſſarium duxi. Tum vt labor noſter catholicis, quibus maximè debitores ſumus, vſui magis eſſe poſſet; tum etiam vt non ſolum hæreticorum errores refellendo, argumentaque ſoluendo, ſed etiam morum honeſtatem, & æquitatem, quæ in vtriuſque fori Eccleſiaſtici, & ciuilis diſtinctione, ac ſeparatione cernitur, explicando, pleniùs Regi Angliæ, eiuſq; Proteſtantibus, alijsque libertatis Eccleſiaſticæ inimicis, quantum in nobis eſt, ſatis faceremus. Cùm ergo in tractatu de Clericorum exemptione, ſeu Eccleſiaſtica immunitate duas controuerſias eſſe conſpicerem, ad fidem vnam, alteram ad mores ſpectantem, ita vtramq; pertractare curaui, vt & illius, quæ in nobis eſt, fidelis doctrinæ rationem redderem, & quomodo in vſu, & praxi ſeruanda ſit, docerem. Quam ob cauſam priùs exemptionem ipſam ex fidei principijs, ac fundamentis, hoc eſt, ex verbo Dei ſcripto, & non ſcripto, ſed antiqua Patrum, & Eccleſiæ traditione firmato, ſtabilire ſtudui. Deinde immunitatem hanc Eccleſiaſticam non ſolùm iure Pontificio, ac Cæſareo introductam eſſe, verum etiam ipſi diuino iuri, tam veteri, quàm nouo; imò etiam naturali valde conſentaneam eſſe demonſtraui. Quia re vera neque in diuino cultu reuerentia debita, ac decentia, neque in Eccleſiaſticis moribus honeſtas, neque in Eccleſiaſtica Hierarchia decor, ordo, & pulchritudo ſine hoc immunitatis iure, ac priuilegio ſubſiſtere poſſet. Quod vt euidentius conſtaret, rationem, & modum, quo vſu, & moribus talis exemptio ſeruanda eſt, luculentiùs declaraui.

A Quæ omnia, ſi Rex ſereniſſimus Angliæ, attentè, ac ſyncerè, depoſitoque nimio dominandi, ac imperandi affectu, conſiderare voluerit, futurum ſpero, vt non tam grauatè ferat, quàm in ſua Præfatione ſignificat, tantam hominum, & fundorum partem Regum poteſtati, & iuriſdictioni ſubductam eſſe: quia neque Maieſtas Regia inde obſcuratur, ſed illuſtrior fit, nec minuitur potentia, ſed augetur. Nihil enim Chriſtianum, & catholicum Regem ita illuſtrat, clarumque ac celebrem reddit, ſicut integra in Deum pietas, & religionis cultus: nam (vt optimè dixit Cyrillus) ad Theodoſium ſcribens, *Lib. de Recta fid. ad Theodoſ.*

B *Gloriosa in Deum pietas Regijs honoribus immobile fundamentum eſt*, vnde ſubiungit, *Principes pietatis cultores ſine labore vincere, & aduerſarijs præualere.* Ideoque (vt Nicephor. refert) idem Theodoſius nihil aliud filijs Arcadio, & Honorio moriens mandauit, quàm vt veram pietatem integram ſeruarent, per quam & pacem habituros, & victoriam à Deo conſequituros eſſe ſperabat. Filij autem Parenti fidem, & obedientiam exhibentes (eodem Nicephoro teſte.) *Quæcunq; deceſſores eorum pij Imperatores pro Eccleſijs ſtatuerant, & ipſi confirmarunt, eaque firmiter ſeruarunt, aliaque inſuper Deo grata addiderunt.* Intelligebant quippe religioſi Principes, prærogatiuas, & immunitates rebus diuinis conceſſas, non ho- *Lib. 13. Hiſtor. cap. 1.*

C minibus datas eſſe, ſed Deo, à quo regnorum omnium felicitas, & conſeruatio pendet, ac proinde, *tunc Chriſti dextera imperium defendi, quando Eccleſiæ ſtatus inconcuſſus ſeruatur*, vt Leo Papa dixit. Ex quo intulit D. Thomas lib. 2. de Regim. Princip. ſub finem, Regem, & Principem toto conatu, & ſollicitudine diuino cultui teneri incumbere: non ſolum quia homo, ſed etiam quia Dominus, & Rex eſt, & Dei vices gerit, à quo maximè pendet. Vnde ſubdit inferiùs. *Omnes Reges, qui ad diuinam reuerentiam fuerunt ſoliciti, feliciter ſuum curſum conſummaſſe: qui verò è contra, infelicem conſequutos exitum fuiſſe.* Abſit igitur à Chriſtiano Rege, vt Eccleſiaſticam li- *Epiſt. 25.*

D bertatem propter diuinum cultum introductam, & tam diuina, quam humana lege ſancitam, & diuturna Eccleſiæ catholicæ conſuetudine ſtabilitam, & antiquorum Patrum, poſteriorumque fidelium ſcriptorum authoritate probatam, paucorum Nouantium ſuaſu, vel ſtudio, ac deſiderio temporalem dominationem amplificandi, euertere moliatur. Id enim non gloriam, ſed ignominiam ei afferet, & terrenum regnum non augebit, ſed auferet ſempiternum. Quod ne Iacobo Regi contingat, toto corde optamus, & obnixè petimus ab illo, in cuius manu cor Regis eſt, & in ſaniorem partem illud vertere poteſt, & veritatis radijs ita illuſtrare,

E vt amplius ab ipſo non auertatur.

(:).

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER